PAVLI MARIÆ
QVARTI
CLERICI REGVLARIS

De Proceſsionibus Eccleſiaſticis, De Litanijs Sanctorum, & de Sacris Benedictionibus.

BIGA ÆTHEREA

DVPLICI SACRO TRACTATV RAPIENS IN CÆLVM ANIMOS

IN PRIMO AGITVR

DE PROCESSIONIBVS ECCLESIASTICIS.

E T

DE LITANIIS SANCTORVM.

IN ALTERO

DE SACRIS BENEDICTIONIBVS,

Deque rebus benedictione ſacratis.

Opus nouum, & ſingulare multiplicem prabens eruditionum notitiam. Doctrinaeque moralis, ſeu quaeſtionum Conſcientiae accurata fulgens dilucidatione, circa materias vtriuſque tractatus.

A V C T O R E

PAVLO MARIA QVARTI ANDRIENSI,

CLERICO REGVLARI.

COMMISSIONE GOVERNATIVA PER LE BIBLIOTECHE ROMA

Ex libris Caroli Canonici Barabuglini Apterum Cerem. Magistri

VENETIIS, Apud Valuaſenſem, M.DC.LX.V.

SVPERIORVM PERMISSV, ET PRIVILEGIO.

BEATO CAIETANO
THIENÆO
Clericorum Regularium fundatori.
PAVLVS MARIA QVARTI
Cler. Reg. D.D.

ELABORATA à me pridem, ac pro modo inſtructa hæc ſpiritualis Biga, vt diſcurrere fauſtè ſuum ſtadium incipiat, ac pergat; prodire tuis auſpicijs, atque aurigante te debuit Parens Beatiſsime. Fieri profectò vix poterit, quin in offenſos agat curſus, ſi habenas tu rexeris, in quo, & vitæ conſilium, & omnium mearum operationum regimen à me iure locatum eſt.

Ad hæc, quæ ſit ſcriptionis materia, & quid Biga hæc vehat, dum mecum ipſe reputo; video ſua ſponte ſe ſe tibi labores hoſce meos ſiſtere. In celebrando quippe, ornandoq; diuino Numine, in rerum Eccleſiaſticarum ſtudio, ritu, pompa, in religione Sacrorum

rum

rum, in Diuorum, diuinorumque cultu, ita ipſe, dum in humanis ageres, aſsiduus fuiſti, ac totus; vt hanc etiam diuinam indolem, ac mentem poſteritati tuę præclarè inuſſeris:atq; adeo,impetu quodam ad te curſum intendit Biga hæc: & nihil ego eximiæ illi religioni tuæ, nihil ſtudijs hiſce meis congruentius fecerim, quam ea tibi addicere, quæ pleraq; Eccleſiaſticæ momenta rei in medio ponunt, ac explicant. Igitur ab ingenij tenuitate exiguum, à dignitate argumenti magnum,a ſtudio,ac pietate in te mea non minimum excipe donarium hoc, quod libens volens ad tuæ aram benignitatis appendo: ac dicatus tibi erit vna cum ſuis literarum monumentis. Auctor.

AD
LECTORES.

INter ſolemnes Eccleſiæ Catholicæ functiones non vltimum locum obtinent ſacræ proceſſiones. Siquidem in eis ſupremus omnium Dominus publicè, & à pluribus colitur, & honoratur: feruentiores ad ipſum Deum preces agminatim funduntur: ac cœtus Eccleſiaſticorum certo ſub ordine in varias veluti caſtrorum acies diſtributi, æque fortem, ac formoſum componunt exercitum militantis Eccleſiæ, quo Deo, & Angelis iucundum exhibetur ſpectaculum; fidelibus ingens comparatur vtilitas: & non modicum terroris dæmonibus incutitur.

Vt autem eædem proceſsiones ritè, & conuenienter obiri poſsint: neceſſe eſt, vt Eccleſiaſtici, ad quos pertinet eas dirigere; exactè nouerint ritus; & ordinem, myſteria, & documenta, quæ continent. Si enim quid agant ignorent; non poſſunt non in multis grauiter delinquere.

Noſter ergo finis, & ſcopus in hoc opere elaborando fuit prædictorum omnium explicatio, quam varijs eruditionibus illuſtrare conati ſumus; vt ex documentis, quæ ex SS. Patribus, alijſque pijs auctoribus excerpta hic tradimus, Eccleſiarum miniſtri facilius, ac rectius poſsint ſacras proceſsiones obire.

Et quemadmodum, vt excitaremus Sacerdotes ad Sanctè Celebrandum tremendum Miſſæ ſacrificium: Commentaria in Rubricas Miſſalis Romani nuper ædidimus, explicando ritus omnes in eo ſeruandos; ſic pariter in hoc opere explicatione rituum, aliorumque pertinentium ad ſacras proceſsiones, perducere fideles intendimus ad eas ritè, & religiosè exequendas

Porrò de proceſsionibus hiſce Eccleſiaſticis per pauci ex profeſſo ſcripſerunt: & nemo,

quem

quem viderim, queſtiones morales in ipſo proceſſionum tractatu explanat, quamuis alij ſpartim, & incidenter de illis diſputent: cæterum, vt nihil deſit huic operi, quod deſiderari poſsit, eas omnes ſimul collectas, & conuenienti ordine diſpoſitas hic proponere, & reſoluere ſtuduimus.

Tandem huic diſſertationi de proceſſionibus Eccleſiaſticis alteram adiungimus de Sacris Benedictionibus, pari metho elaboratam, ac diſpoſitam: vt integrum hoc opus quædam ſit ſpiritualis Biga, hiſce duobus tractatibus, velut equis alatis per ſuprema ſpatia diſcurrens; lectorum corda vſque ad cælum euehat. Valete.



EAN

D. Angelus Piſtachius Prępoſitus Generalis Clericorum Regularium.

HOc opus Inſcriptum (Biga Æthereà Duplicis Tractatus, de Proceſſionibus Eccleſiaſticis, & de Sacris Benedictionibus) à P. D. Paulo Maria Quarti compoſitum, & iuxta aſſertionem P.P. quibus id commiſimus, approbatum, vt Typis mandatur, quoad nos ſpectat facultatem concedimus; In quorum fidem præſentes litteras manu propria ſubſcripſimus, & ſolito noſtro Sigillo firmauimus.

Romæ die 16. Auguſti 1664.

D. Angelus Piſtachius Præp. Gen. Cler. Reg.

D. Carolus Lobellus Secret. Cler. Reg.

ANobis Infraſcriptis iuſſu Adm. R. P. noſtri Præpoſiti Generalis D. Angeli Piſtachij fuit recognitum opus, cui titulus Biga Etherea, ſiue duplex tractatus de Benedictionibus, & Proceſſionibus à R. P. D. Paulo Maria Quarti Cler. Regulari compoſitum, & nihil in eo repertum, quod bonos mores, & ortodoxam Religionem offendat; quin potius tanquam ad communem, tum noſtri, tum aliorum ordinum, nec non Vniuerſalis Eccleſiæ vtilitatem, vt typis mandetur exiſtimatum fuit. Datum Neapoli in Domo Sancti Pauli Maioris die 29. Martij 1665.

D. Leonardus Duardus Nep. Cler. Regul. Sacræ Theol. profeſſor.

D. Thomas Surgentius Cler. Regul. V. I. Doctor.

NOI REFFORMATORI
Dello Studio di Padoa.

HAuendo veduto per ſede del Padre Inquiſitore nei Libri intitolati l'vno de Sacris Benedictionibus; l'altro de Proceſsionibus, non eſserui coſa alcuna contro la Santa Fede Cattolica, e parimente per atteſtato del Segretario noſtro, niente contro Prencipi, e buoni coſtumi, concedemo licenza, che poſsino eſlere ſtampati, oſseruandoſi gli ordini, &c.

Data 10. Aprile 1665.

(Zuanne Donado Refformator.
(
(Battiſta Nani Caualier Proc. Refformator.

Angelo Nicoloſi Segretario.

TRACTATVS
PRIMVS
DE
PROCESSIONIBVS ECCLESIASTICIS
Tum in genere, tum in ſpecie
CONTINENS
Inſtitutionem, naturam, proprietates, ritus, & fructus Proceſsionum, Myſteria item, & documenta in eis contenta,

Præcipuè verò doctrinam moralem, & quæſtiones ad vtrumque forum pertinentes circa proceſſionum materiam.

CVM APPENDICE LIBELLI
DE LITANIIS SANCTORVM
In Proceſsionibus cantari ſolitis.

INDEX

Sectionum, Punctorum, & Quæſtionum Tractatus primi de Proceſsionibus Et de Litanijs Sanctorum:

SECTIO PRIMA.

De Proceſſionibus in genere.

PVNCTVM PRIMVM.

De Nomine Proceſſionis. pag. 1.

Punctum Secundum.

Quid ſit Proceſſio, & quotuplex. pag. 2.

Punctum Tertium.

De cauſa efficiente, & de Antiquitate Proceſſionum. pag. 3.

Punctum Quartum.

De cauſa meteriali Proceſs. pag. 4.

Punctum Quintum.

De Cauſa formali, & Ritibus Proceſſionum. pag. 4.

Punctum Sextum.

De Ritibus ſpeciatim ſeruandis in proceſſionibus ordinarijs. pag. 6.

Punctum Septimum.

De Cauſa finali Proceſſionum. pag. 10

Punctum Octauum.

De vtilitate Proceſſionum. pag. 11.

Punctum Nonum.

De Myſterijs contentis in proceſſionibus. pag. 13.

Punctum Decimum.

De Documentis, quibus per proceſſiones inſtruimur. pag. 17.

Punctum Vndecimum.

De Excellentijs proceſſionum. pag. 18.

Punctum XII.

De Abuſibus in proceſſionibus vitandis. pag. 19.

Punctum XIII.

De Bono vſu proceſſionum. pag. 23.

SECTIO II.

De Proceſſionibus ſpeciatim.

PVNCTVM PRIMVM.

De Proceſſione in feſto Purificationis B. Virginis. pag. 24

Punctum Secundum.

De Proceſſione in Dominica Palmarum. pag. 24.

Punctum Tertium.

De Proceſſione ad Sepulchrum, feria Quinta in Cœna Domini. pag. 25

Pun-

Punctum Quartum.
De Proceſſione Lugubri Feria Sexta in Paraſceue. pag. 27.
Punctum Quintum.
De Proceſſione in Sabbato Sancto ante benedictionem Cerei Paſchalis. pag. 28.
Punctum Sextum.
De Altera Proceſſione in Sabbato Sancto ad conficiendam Benedictionem Fontis baptiſmalis. pag. 29.
Punctum Septimum.
De Proceſſione in die Sancto Paſchę, De communione Paſchali, & de Aſperſione aquæ benedictæ. pag. 33.
Punctum Octauum.
De Proceſſione ad cantandam Miſſam ſolemnem. pag. 33.
Punctum Nonum.
De Proceſſione Litaniarum maiorum in die S. Marci. pag. 34.
Punctum Decimum.
De Proceſſionibus Rogationum ante Aſcenſionem. pag. 35.
Punctum XI.
De Proceſſione in Feſto Corporis Chriſti. pag. 36.
Punctum XII.
De Proceſſione Sacratiſſimi Roſarij. pag. 37.
Punctum XIII.
De Proceſſione pro gratiarum actione. pag. 41.
Punctum XIV.
De Proceſſione ad lucrandas Indulgentias; & de Stationibus. pag 42
Punctum XV.
De Proceſſione in traslatione Sacrarum Reliquiarum. pag. 43.
Punctum XVI.
De Proceſſione in occurſum Pontificum, & Regum. pag. 44.
Punctum XVII.
De Proceſſione tempore peſtis, & mortalitatis. pag. 45.
Punctum XVIII.
De Proceſſione ad petendam pluuiam. pag. 46.
Punctum XIX.
De Proceſſione tempore belli. pag. 48.
Punctum XX.
De Proceſſione Funerali in exequijs Defunctorum. pag. 49.
Punctum XXI.
De Ritibus Proceſſionum ſpecialium. pag. 50.

SECTIO III.

Doctrinalis

Continens Quæſtiones Conſcientiæ.

PVNCTVM PRIMVM.
De Poteſtate indicendi, & celebrandi Proceſſiones. pag. 50.
Quæritur I.
Ad quem pertineat proceſſiones indicere. pag. 50.
Quæritur II.
Quinam poſſint compelli ad proceſſiones, & in quibus caſibus. pag. 51.
Quæritur III.
An Regulares poſſint ab Epiſcopo per cenſuras ad proceſſiones compelli. pag. 52.
Quæritur IV.
Vtrum in Eccleſijs Cleri Secularis poſſint celebrari proceſſiones inconſulto Epiſcopo. pag. 53.

Quæ-

INDEX.

Quæritur V.

Quid poſſint Regulares circa obeundas proceſſiones. pag. 54.

Quæritur VI.

An Confraternitates Laicorum, alijq; Seculares poſſint celebrare proceſſiones. pag. 55.

Quæritur VII.

Quibus non liceat Sacris Proceſſionibus intereſſe, & qualiter excludi debeant. pag. 55.

PVNCTVM SECVNDVM.

De obligatione indicendi, & celebrandi Proceſſiones.

Quæritur I.

An Epiſcopi teneantur quandoque Proceſſiones indicere. pag. 56.

Quæritur II.

De obligatione conueniendi ad proceſſione. pag. 56.

Quæritur III.

De cauſis excuſantibus à prędicta obligatione. pag. 57.

Quæritur IV.

De exemptione à Proceſſionibus ex ſpeciali priuilegio. pag. 58.

Quæritur V.

An Regulares exempti à publicis proceſſionibus, teneantur eas celebrare in ſuis Eccleſijs. pag. 59.

Quæritur VI.

An ad lucrandum Iubilæum, neceſſe ſit intereſſe proceſſionibus hac de cauſa indictis. pag. 59.

PVNCTVM TERTIVM.

De circunſtantijs proceſſionum loci videlicet, temporis, &c. celebrandarum proceſſionum. pa. 60.

Prima Circumſtantia

Quis.

Quæritur.

An Proceſſiones Fœminarum ſint licitæ, & permittendæ. pag. 60.

Secunda Circumſtantia

Quid.

Quæritur.

An Eccleſiaſtici ad proceſſionem conuenientes teneantur cantare ſacras præces. pag. 62.

Tertia Circumſtantia.

Vbi.

Quæritur.

De termino locali à quò, & ad quem ſacrarum proceſſionum. pag. 63.

Quarta Circumſtantia.

Quibus auxilijs.

Quæritur.

An ad ritè obeundas ſacras proceſſiones ſint neceſſaria auxilia ſupernaturalia. pag. 63.

Quinta Circumſtantia.

Cur.

Quæritur Primo.

An proceſſiones inſtitui poſſint, nedum in Cultum Dei, ſed etiam in honorem Sanctorum. pag. 65.

Quæritur Secundo.

An rectè, & piè inſtituantur proceſſiones ad impetranda à Deo bona temporalia. pag. 66.

Sexta

Sexta Circumſtantia:
Quomodo.
Quæritur I.
De obligatione ſeruandi in proceſſionibus Ritus ab Eccleſia præſcriptos. pag. 67.
Quæritur II.
Vtrum in fine proceſſionum debent cantari Miſſa. pag. 68.
Quæritur III.
An quando tranſit proceſſio ante Altare Sanctiſſimi Sacramenti, debeant omnes genuflectere. p. 68.
Quæritur IIII.
An in proceſſione Litaniarum maiorum debeant duplicari verſus. Et An poſſit aliquid addi Litanijs. pag. 70.
Quæritur V.
De Officio Thuriferarij in proceſſionē Sanctiſſimi Sacramenti. pag. 71.
Quæritur VI.
An in proceſſionibus poſſint permitti Saltationes, & choreæ. pag. 71.

Septima Circumſtantia.
Quando.
Quæritur I.
An proceſſiones nocturnæ ſint licitæ. pag. 71.
Quæritur II.
An tempore Interdicti poſſit fieri proceſſiones. pag. 72.
Quæritur III.
An tempore peſtis poſſint fieri proceſſiones. pag. 73.

PVNCTVM QVARTVM.

De Præcedentia in Proceſſionibus ſeruanda.

Quæritur I.
De Præcedentia debita Clero Seculari. pag. 75.
Quæritur II.
De Præcedentia Regularium inter Seipſos. pag. 75.
Quæritur III.
De loco debito confraternitatibus. pag. 76.
Quæritur IIII.
Ad quem pertineat decidere lites præcedentiæ. pag. 76.

PVNCTVM QVINTVM.

De Proceſſione funerali in exequijs defunctorum.

Quæritur I.
Ad quem locum accedere debeant Regulares ad aſſociandum funus inuitati. pag. 77.
Quæritur II.
Vtrum quando ad funus accedit capitulum Cathedralis, omnes inuitati congregari debeant in Eccleſia Cathedrali. pag. 78.
Quæritur III.
Ad quos pertineat officium facere circa cadauer in Eccleſijs Regularium. pag. 78.
Quæritur IV.
Ad quem pertineat dirigere proceſſiones funerales. pag. 79.
Quæritur V.
Quinam teneantur ſoluere quartam funeralem. pag. 79.

APPENDIX
De Litanijs Sanctorum;
Deque eorundem Sanctorum interceſſione.

SECTIO I.

De Natura, origine, Vtilitate, & proprietatibus Litaniarum.

Punctum I.
Quid ſint Litaniæ, & quotuplices. p. 82
Punctum II.
De exquiſita perfectione litaniarum. pag. 83.
Punctum III.
De præſtanti ordine partium Litaniarum, & de varijs Sanctorum Caſibus, in illis contentis. p. 84.
Punctum IV.
De Antiquitate Litaniarum. pag. 86.
Punctum V.
De Vtilitate Litaniarum. pag. 87.
Punctum VI.
Explicantur complures Litaniarum verſiculi. pag. 87.

SECTIO II.
De Interceſsione Sanctorum.

Punctum I.
An Sancti in Cœlo oreat pro nobis viatoribus. pag. 100.
Punctum II.
Qualiter Sancti cognoſcant noſtras orationes. pag. 101.
Punctum III.
An inuocatio Sanctorum ſit de præcepto. pag. 102.
Punctum IV.
An ſit melius Deum immediatè per nos ipſos orare, quam mediatè per Sanctos. pag. 102.
Punctum V.
An piè etiam inuocentur à nobis Animæ Purgatorij pag. 103.
Punctum VI.
De ſpeciali prærogatiua aliquorum Sanctorum, quoad impetrandas ſpeciales gratias. pag. 104.
Punctum VII.
De Sanctis locorum Patronis, deque eorum Patrocinio. pag. 104.

SE-

IESVS MARIA IOSEPH.

SECTIO PRIMA.

De Proceſsionibus in genere, vbi de natura, & Cauſis, de Proprietatibus, & accidentibus Proceſsionum:

PVNCTVM PRIMVM.

De nomine Proceſſionis.

NOmen Proceſſionis, vt conſtat apud omnes, deriuatur à Verbo procedo, quod apud puros Latinos ſignificat incedere, ambulare, progredi; Apud Philoſophos verò, & Theologos ſignificat etiam emanare, ſeù ortum, vel originem ducere ab alio, tanquam à ſuo principio, vel Cauſa. Hoc poſito.

Reſpondeo. Nomen Proceſſionis duo præcipuè ſignificat: Primò ſignificat motum localem hominum, aliorumque animalium iuxtà primum ſenſum Verbi Procedo. Secundò ſignificat originem, ſeù emanationem vnius ab alio, tanquam à ſuo principio, iuxtà ſecundum ſenſum eiuſdem Verbi Procedo: Hinc à Philoſophis definitur generatio. Eſt Proceſſio viuentis à viuente in ſimilitudinem naturæ, atque in hoc ſenſu diſputant Theologi *in tractat. de Sanctiſſima Trinitate de Proceſſionibus Diuinarum Perſonarum*, Ver.gr. Filij à Patre, & Spiritus Sancti à Patre, & Filio, de quo ſenſu ad nos modò tractare non pertinet.

Vſurpamus ergo nomen Proceſſionis in prima ſignificatione explicata, & ſic quatenus ſignificat itionem, ambulationem, profectionem, &c. Atque hæc pauca ſatis ſit attigiſſe de Nomine Proceſſionis.

PVNCTVM SECVNDVM.

Quid ſit Proceſſio Eccleſiaſtica, & quotuplex.

VAriè deſcribitur Proceſſio ab Auctoribus de Proceſſione tractantibus.

Primo deſcribitur à Gretſerio *de Sacris Proceſſionibus lib.1. cap.1.* hoc modo; Eſt Profectio Populi ad locum quempiam Sacrum, certo cum ritu, & diſpoſitu, præcum concipiendarum gratia tendentis. Item alio modo. Proceſſio eſt ſupplicantis cætus certo cum ritu, & cæremonia, circuitio, ſeù obambulatio.

Secundo deſcribitur à Serrario *in Opuſcolis lib.1. de Proceſſionibus cap.1.* hoc modo. Proceſſio eſt Religioſa præcabundi agminis, certo cum ritu obambulatio, quæ deſcriptio coincidit cum ſecunda Gretſeri.

Tertio deſcribitur à Caſalio *de Veteribus Ritibus cap.42.* his verbis, Proceſſio conſiſtit in publicis præcibus Populi fidelis ordine incedentis, & coram Deo aſſiſtentis ad impetrandum auxilium.

Hæc vltima deſcriptio videtur aptior, & magis propria; Priores verò poſſunt redargui ex eo, quia conſtituunt ſacras proceſſiones ſub motu locali, quaſi ſub genere proximo, illis verbis proceſſio eſt Circuitio, ambulatio, profectio, cum tamen conſtet eas eſſe functiones ſacras, & actus virtutis Religionis, ſeù ſpecies orationis, & ſupplicationis ad Deum: Motus autem localis, ſeu circuitio pertinet ad differentiam, qua Proceſſiones ab alijs ſacris functionibus diſtinguuntur.

Quò circà aduertendum orationem, ſeù ſupplicationem communiter diuidi in mentalem, & Vocalem; Rurſus Vocalis diuiditur in publicam, & priuatam; Tandem tam publica, quam priuata diſtinguuntur pænes Ritus, & modos varios, quibus orantes vtuntur, præces ſundendo, vel flexis genibus, vel ſtando, vel ambulando &c,

His poſitis poteſt rectius ſic definiri Proceſſio. Eſt publica ſupplicatio facta Deo a Communi cætu fidelium certo cum ordine diſpoſito; & procedente è loco Sacro in Sacrum. Primæ particulæ ponuntur loco generis, quibus proceſſio conuenit cum Officio Diuino, quod publicè recitatur in Choro, & cum ſimilibus precibus: Reliquæ ſunt loco differentiæ. Dicitur enim certo cum ordine diſpoſito V. g. vt præferatur Crux: vt omnes bini incedant. Primo iuniores, & minus digni, deindè gradatim digniores &c. quod eſt proprium Proceſſionis. Tandem additur, & procedente è loco ſacrò in Sacrum: qua ratione differt præſertim Proceſſio ab alijs ſupplicationibus: Si quidem Diuinum Officium canitur in Choro à Clericis, vel ſtantibus, vel ſedentibus, vel in genua procumbentibus: Cæterum in Proceſſionibus recitantur ſacræ præces ab incedentibus, & ambulantibus. Quid autem ſibi velit Eccleſia his varijs ritibus. & modis orandi diuerſis, dicemus infra *Punct.*8. dum de myſterijs Proceſſionum. Sequitur modo, vt explicemus earum diuiſionem.

Quotuplex ſit Proceſsio.

Differunt Proceſſiones inter ſe, quamuis accidentaliter.

Primo ratione finis, in quem inſtituuntur, & ſi enim ratione finis ſupremi ſeù vltimi, qui eſt Cultus *Latryæ* Deo debitus, & primo intentus ab Eccleſia; omnes proceſſiones conueniant; itemque in finem ædificationis Populi, vt v.g. excitentur fideles ad pietatem, & deuotionem; nihilominus ratione finis proximi differunt inter ſe: vndè oritur.

Prima Proceſſionum diuiſio. Quædam enim fiunt ad impetrandum aliquod ſpeciale donum *E.G.* pacem, vel aeris ſalubritatem, annonæ vbertatem, flagelli alicuius auerſionem, vt peſtis, belli &c. quædam ordinantur ad gratias Deo agendas pro beneficijs collatis *E. G.* ob partam victoriam, ob peſtem depulſam &c.

Secunda diuiſio ſumitur à Cauſa efficiente, ſeù ab Auctore Proceſſionum. Illæ enim, quæ ſunt inſtitutæ ab Eccleſia Vniuerſali, à Summo Pontifice, vel a Concilijs generalibus per totam Eccleſiam, dicuntur generales, ſeù vniuerſales *E. G.* proceſſiones Rogationum, Palmarum, Corporis Chriſti &c. quædam indicuntur ab Epiſcopis, ſeù locorum Ordinatijs pro ſua Diœceſi, & dicuntur particulares *E.G.* in feſto Patroni Ciuitatis, vel ad petendam pluuiam &c.

Tertio diuidi poſſunt Proceſſiones ex parte materiæ, qua conſtant; ſeu ex parte perſonarum, vel rerum, ex quibus componitur, ſeù conſtituitur Proceſſionum corpus: & ſic quædam conſtant ex ſolis perſonis Eccleſiaſticis. Quædam ex perſonis Secularibus tantum. Quædam ſunt mixtæ ex vtriſque,

Ex parte quoque rerum, quæ in Proceſſionibus deferuntur, oritur diſcrimen; In quibuſdam enim deferuntur Reliquiæ Sanctorum, Sacræ Imagines, Vexilla, & cætera huiuſmodi, quæ omittuntur in alijs; In quibuſdam defertur Sanctiſſimum Sacramentum Corporis Chriſti, quod non fit in alijs; Quandoque interueniunt Chori muſicorum, quandoque non item.

Quarta diuiſio oritur ex diuerſitate formæ, ſeù ordinis, vel Rituum, quibus etiam proceſſiones diuerſificantur. Quædam enim celebrantur ordinario, & communi ritu: quædam aliæ, quamuis rarius, ritu peculiari, & extrà ordinario, de quibus fusè dicemus infrà *Punct.*5. vbi de forma Proceſſionum,

Quinto tandem diſtinguuntur proceſſiones per varias circumſtantias in eiſdem adhibitas: ex quo Capite,

Primo differuntur Proceſſiones ratione locorum, ad quæ diriguntur *E.G.* ad luſtrandos agros, & appellantur Proceſſiones ambaruales ab ambiendis agris, vel ad expiandas Vrbes circuitione murorum: communiter tamen itur ab vna in aliam Eccleſiam; de omnibus tamen verificatur, quod tendant è loco ſacro in ſacrum, quia non relinquitur ordo Proceſſionum, donec redeatur ad primam Eccleſiam, vnde quælibet Proceſſio exiuit,

Secundo ex eodem Capite differunt Proceſſiones ratione habitus, quo vtuntur Proceſſionarij; quandoque enim vtuntur veſtibus ſacris, & benedictis, planetis videlicet, dalmaticis &c. ſecundum gradum cuiuſque, vt in Proceſſione Corporis Chriſti, quandoque ſolis ſuperpelliceis, & habitis Choralibus &c,

Tertio differunt Proceſſiones ratione temporis; aliquæ enim ſunt nocturnæ, vt in nocte Reſurrectionis Chriſti, & cæt. aliæ communiter ſunt diurnæ. Item aliquæ ſunt anniuerſariæ, vt Proceſſiones Rogationum, Palmarum &c. aliæ menſtruæ, vt Proceſſiones Roſarij prima Dominica cuiuſque menſis &c,

Quarto tandem. Quædam Proceſſiones ſunt mæſtæ, & lugubres *E.G.* quæ fiunt in triduo Sepulturæ Chriſti Domini, vel graſſante peſte, &c. in quibus plures ſaccis Inducti nudis pedibus incedunt: alij flagris, & diſciplinis ſe cedunt &c. Aliæ contra ſunt lętæ, & feſtiuæ, in quibus viæ ſternuntur floribus: ornantur parietes ſericis paramentis, reſonant cantus letitiæ &c.

De qua Proceſſionum varietate eruditè ſcripſit Stefanus Durantus *de Ritibus Eccleſiæ Catholicæ lib.2. Cap.X.*

PVNCTVM TERTIVM.

De Cauſa efficiente, & primo Auctore Proceſsionum: Item de earum Origine, & Antiquitate.

OMnes Catholici, qui de Proceſſionibus ſcripſerunt, pro comperto habent earum originem eſſe antiquiſſimam. Si quidem de Proceſſionibus fit expreſſa mentio à multis Patribus, qui floruerunt antè mille, & trecentos ferè ab hinc annos, quos infrà referemus. Ad pleniorem autem huius rei notitiam.

Aduertendum eſt primò. Sacrarum vſum Proceſſionum adumbrantum quandoque fuiſſe in Veteri Teſtamento. Etenim 2.Eſdræ 12. narratur qualiter inſtaurata Hyeroſolima poſt captiuitatem Babilonicam inſtituta fuerit ſolemnis Proceſſio in gratiarum actionem: cui interfuerunt Sacerdotes, Leuitæ, ac frequens Populus cum Choris canentium Deo laudes.

Item Ioſue 6. in obſidione Ciuitatis Iericho, celebrata fuit, Dei monita veluti Proceſſio quædam ab Iſraelitis circumeuntibus per ſeptem dies prædictam Ciuitatem certo cum ordine; Ferebatur enim Arca fœderis à Sacerdotibus, quam præcedebant ſeptem alij Sacerdotes cum buccinis, atque exercitus Militum: tandem reliquum vulgus ſequebatur arcam.

Similia exempla leguntur 2.*Reg*.6.& 3.*Reg*.8.de Dauid, & Salomone occaſione traslationis Arcæ fœderis ex vno in alium locum, in quibus apparent quædam figure noſtrarum Proceſſionum.

Aduertendum ſecundo etiam à Chriſto Domino exhibita nobis fuiſſe quædam exemplaria Proceſſionum: præſertim cum ipſe Chriſtus aſcenſurus in Hyeruſalem ad perficienda Myſteria noſtræ redemptionis ſolemni ritu ingredi voluit in Sanctam Ciuitatem, & ſic ipſo inſpitante plurima turba ſtrauerunt veſtimenta ſua in via, & qui præcedebant, & qui ſequebantur clamabant dicentes *ò Sanna filij Dauid*. In alijs etiam Chriſti itineribus cum Apoſtolis, & diſcipulis ſimilia exempla conſiderari poſſunt, vt notat noſter Caſtaldus *in Praxi Cærem.lib*.2.*ſex*.10. ad quorum mæmoriam referuntur noſtræ Proceſſiones. His præmiſſis.

Supereſt modo inueſtigandum, quiſnam fuerit poſt Euangelij promulgationem primus auctor Proceſſionum Eccleſiaſticarum ſub ritibus, & Cæremonijs, quæ modo ſeruantur.

Conſtat autem, vt ſupra dicebamus ſacrarum vſum Proceſſionum eſſe antiquiſſimum. Siquidem de illis mentionem faciunt. Primo Tertullianus Latinorum PP. antiquiſſimus, qui floruit anno Chriſti 200. *lib*.2. *ad vxorem*: Deindè D.Hieronymus *Epiſ*.57. D.Auguſtinus *lib*.22. *de Ciuitate Dei*, & D.Ambroſius *ſer*.8.& *epiſt*.29. vbi ait Monachi pſalmos canentes ex conſuetudine, vſuque veteri pergebant ad celebritatem Martyrum, ex quibus verbis liquet vſum Proceſſionum longè præceſſiſſe D.Ambroſium, qui floruit anno Chriſti 390.

Tandem (vt alia omittam) in feſto S.Marcellini Papæ, & Martyris ſub *die* 26.*Aprilis*. ſic legitur in *Breuiario Romano quorum proiecta corpora (videlicet S.Marcellini, & aliorum Martyrum) cum triginta ſex dies iuſſu Imperatoris ſepultura caruiſſent. Beatus Marcellus à S.Petro in ſomnis admonitus Presbyteris, & Diaconis, hymnis, ac luminibus adhibitis honorificè ſepelienda curauit*. Vides hic Lector Proceſſionem cæleſti monitu celebratam à S.Marcello Papa, qui floruit anno Chriſti 305.

Teſtimonijs SS.PP. addimus auctoritatem Conciliorum peruetuſtiorum, ex quibus etiam abundè conſtat Proceſſionum originem eſſe antiquiſſimam. Etenim in Concilio Gerundienſi *Cap*.3. in Aurelianenſi 1.*can*.29. in Maguntino ſub Carolo Magno *Cap*.33.in Laudiceno *Cap*.17.in Lugdunenti *Cap*.6. in Bracarenſi 2.*cap*.9. indicuntur proceſſiones aliàs fieri ſolitæ triduò ante Aſcenſionem: celebratio autem prædictorum Conciliorum excedit millenarium annorum.

Denique Proceſſionum antiquitas comprobatur ex veteribus Diuinorum Officiorum interpretibus, qui inter functiones antiquiſſimas Eccleſiæ Catholicæ numerant ſacras Proceſſiones; Hi ſunt Valfridus Strabo *lib.de rebus Eccleſ.Cap*.28. Rupertus *lib*.7. *de Diuinis officijs Cap*.27. Vgo Victorinus *lib*. 4.*erudit. Theolog.tit*.14. Albinus, Beda, Gennaſius, aliique plures.

Dubitari ergo non poteſt de vetuſtiſſima Proceſſionũ origine. Quis autem fuerit primus earũ inſtitutor, & auctor non ſatis conſtat. Pro reſolutione tamen ponderanda eſt Regula D.Auguſtini *lib*. 4. *de Baptiſmo contra Donatiſtas*, vbi ſic ait. *Quod vniuerſa tenet Eccleſia, nec Concilijs inſtitutum, ſed ſemper retentum eſt, non niſi auctoritate Apoſtolica traditum rectiſſimè creditur*, qua Regula nos pluries vſi ſumus ad decidendos ſimiles caſus in commenſo ad Rubricas Miſſalis, & in noſtro tractatu de Sacris Benedictionibus, vndè in præſenti.

Reſpondendo ad quæſitum, aſſerimus Proceſſionum originem referendam eſſe ad Apoſtolos.

Probatur ex dictis: nam vſus Sacrarum Proceſſionum ſempre retentus fuit in Eccleſia, nec inſtitutus à Concilijs, quæ ſemper talem vſum præceſſiſſe ſupponunt; ergo non niſi auctoritate Apoſtolica traditus credendus eſt, cui ſententiæ ſubſcribit Gretſerus *de Sacris Proceſſionibus lib*.1.*cap*.2.

Nec obſtat, quod à tempore Apoſtolorum vſque ad Conſtantinum Magnum, & ad Pontificatum Silueſtri Papæ Chriſtiani communiter ob ſeuitiem perſequutorum cogebantur latitare in Cryptis, in Montibus, & Speluncis Terræ, atque adeo non poterant in publicum prodire ad celebrandas Proceſſiones. Item non erant tunc Eccleſiæ, & Templa vero Deo dicata, ad quæ poſſent præcabundi pergere: ergo vſus, & origo proceſſionum non poteſt referri ad Apoſtolos, & ad tempus Apoſtolorum.

Reſpondetur enim, nos non aſſerere vſum publicum ſacrarum Proceſſionum incepiſſe tempore Apoſtolorum, ſed manaſſe ex doctrina, & traditione Apoſtolica: Multa enim docuerunt, & mandarunt Apoſtoli in poſterum exequenda tempore oportuno, atque adeo in caſu noſtro docuerunt fideles modum celebrandarum proceſſionum tem-

pore pacis, & ædificatis templis in cultum veri Dei, & Chriſti Domini; Probabile eſt etiam à Chriſtianis primitiuæ Eccleſiæ celebratas fuiſſe proceſſiones in ipſis Cryptis, & Speluncis ad memorias Martyrum ibi quieſcentium.

Tandem reddita Eccleſiæ pace tempore Conſtantini Magni ſtatim cæpit fræquens vſus publicarum Proceſſionum, & ſupplicationum: quarum innumera exempla legi poſſunt apud Baronium *tom.*5. *Annalium*, & in notationibus ad Martyrologium Romanum ſub die 25. Aprilis, & apud Guglielmum, Durandum, *in ſuo rationali lib.*4. *cap.*6. apud Stefanum Durantum *de Ritibus Eccleſiæ lib.*2. *cap.*10. & apud Gretſerum, & Serrarium locis ſupra citatis.

PVNCTVM QVARTVM,

De Cauſa materiali Proceſſionum.

PRoceſſionum Materia conſiſtit in ijs, ex quibus conſtituitur, & integratur Corpus cuiuslibet Proceſſionis, quæ eſt quoddam compoſitum morale conſtans ex ſua Materia, de qua agimus in præſenti, & ex forma, quæ præcipuè conſiſtit in præcibus, & ſupplicationibus ad Deum fuſis, atque in ritibus, quæ in ſingulis Proceſſionibus obſeruari debent, de quibus dicemus in ſeqnenti puncto. Hoc poſito,

Reſpondeo, & dico primo Principalis Materia Proceſſionum ſunt agmina fidelium, quæ ad eas conueniunt, primo videlicet perſonæ Eccleſiaſticæ, tum Clerici Seculares, tum Regulares diuerſorum ordinum: ex quibus præcipuè conflatur Corpus Proceſſionum. Secundo admitti ſolent ad integrandum idem Corpus Proceſſionum Confraternitates Laicorum ſub ſuis vexilis: vel etiam viri nobiles, & æquites, vt illuſtrior ſit proceſſio. Tertio aggregantur etiam pueri innocentiæ typi habitu angelico decorati: & tandem Chori Muſicorum: iuxta illud Pſalmiſtæ *Pſal.*148. *Iuuenes, & Virgines, ſenes cum iunioribus laudent nomen Domini*: & alibi *Laudate eum in tympano, & choro laudate eum in chordis, & organo*. Ratio eſt, quia proceſſiones celebrantur ad ſupplicandum Deo, & laudes ei canendas: merito ergò ad eas deliguntur perſonæ magis idoneę ad id muneris exequendum; vt ſunt in primis Eccleſiaſtici: deindè alij deuoti fideles, omnes induti ſuo decenti habitu pro cuiuſque ſtatu. Porrò quamuis perſonæ prædictæ reſpectu præcum, quæ ad Deum fundantur, ſint eatum Cauſa efficiens; reſpectu tamen Proceſſionis ſunt Cauſa materialis, vt ſupra dicebamus.

Dico ſecundo ad Materiam Proceſſionum reuocantur etiam ea omnia, quæ in eis deferri ſolent; videlicet primo, & præcipuè Cruces in fronte Proceſſionum ob gloriam Chriſti Crucifixi, & terrorem Dæmonum. Secundo deferri quandoque ſolent Sanctorum Reliquiæ, & Imagines. Tertio vexilla ſacra, in quibus, vel ſacra Myſteria, vel Sanctorum Imagines ſunt exarata. Quarto cerei accenſi, & tandem Sanctiſſimum Sacramentum in Proceſſione Corporis Chriſti, vel ad communicandos infirmos,

Quam autem ob Cauſam hæc adhibeantur in publicis huiuſmodi Supplicationibus dicemus infrà puncto ſequenti, & *puncto* 8.

PVNCTVM QVINTVM,

De Cauſa formali Proceſſionum, & de Ritibus in eiſdem obſeruandis.

REſpondeo Forma cuiuslibet Proceſſionis conſiſtit in Supplicationibus, & præcibus, quæ in ea ad Deum funduntur, non qualitercumque, ſed certo cum ordine, atque ritu peculiari, qualem ſupra deſcripſimus *puncto* 2. in definitione Proceſſionis.

Probatur forma cuiusliber Compoſiti tum phyſici, tum moralis conſiſtit in parte nobiliori eiuſdem, qua conſtituitur ſub tali ſpecie, atque differt ab alijs compoſitis: ſed præces, quæ in Proceſſionibus funduntur, ſunt pars nobilior earum, & per eas, vt contractas ad talem ordinem, & ritum diſtinguuntur Proceſſiones ab alijs functionibus Eccleſiaſticis: ergo &c.

Ex quibus patet omnes Proceſſiones eſſe eiuſdem ſpeciei moralis, quatenus omnes conueniunt in certis Ritibus firmioribus, qui omitti non poſſunt in veris, & propriè dictis Proceſſionibus; vt ſunt circuitio, ſeù obambulatio: certus ordo præeuntium, & ſubſequentium: Crucis prælatio &c. Differre verò inter ſe accidentaliter per alios ritus non communes omnibus: & variè adhibentur in his, vel illis Proceſſionibus iuxta varia proceſſionum Myſteria.

Prælertim vero, quædam Proceſſiones ſunt extraordinariæ, ſeù ritus extrauagantis, & rari; aliæ ſunt ordinariæ, in quibus ſeruatur ritus communis, & frequenti vſu receptus: vndè de vtriſque aliqua adnotabimus afferendo nonnulla earum exempla,

De Proceſſionibus extrauagantibus, ſeu ritus inſolitis.

PRimum exemplum Proceſſionum, quas extrauagantes, vel extraordinarias appellamus ponitur à Durando in *ſuo Rationali lib.* 4. *cap.* 6. *num.* 14. vbi loquitur de Proceſſione, cui interuenit Summus Pontifex:

Diſponitur inquit iſta Proceſſio, velut Caſtrorum acies ordinata. Nam maiores, & fortiores, quaſi cuſtodes exercitus partim præcedunt, partim ſequuntur: minores autem quaſi debiliores in medio colliguntur. Præcedunt enim Epiſcopi: ſub ſequuntur Præsbiteri, & Diaconi cum Pontifice: in medio vero colliguntur

guntur Subdiaconi, & Acholyti, Cantores autem; quaſi tubicines præcedunt, vt alios ad prælium contra Dæmones excitent.

Secundum exemplum narrat idem Durandus. *L. C. num.* 17. his verbis. In nonnullis Eccleſijs ſic Proceſſio ordinatur. Præcedunt namque ſeptem Acholyti cum Luminaribus ſignificantes eos, qui per ſeptiformem Spiritus Sancti gratiam lumen ſcientiæ fidelibus miniſtrant. Sequuntur ſeptem Subdiaconi cum phanarijs, ſignificantes illos, qui plenitudinem diuinitatis in Chriſto habitaturam docuerunt. Poſt eos ſeptem Diaconi ſignificantes eos, qui ſpiritualem intelligentiam de Chriſto habuerunt. Poſt eos duodecim Priores, figurantes eos omnes, qui fide Sanctiſſimæ Trinitatis quatuor virtutum operibus coruſcarunt: quos comitantur tres Acholyti cum thuribulis, & incenſo ſignificantes tre Magos, qui Chriſto munera obtulerunt; Deindè Pontifex à duobus quaſi in curru vehitur, quem turba comitatur orando, in quo deſignatur quod turba ſequitur Chriſtum &c. Plura etiam addit hic Auctor de antiquioribus ritibus, quæ ad vitandam prolixitatem omittimus.

Tertium exemplum exaratur in Sacerdotali Romano antiquo *tit. de Proceſſionibus*, vbi ſic habetur.

Dum egreditur Proceſſio primo præcedat Clericus cum aqua benedicta, quam aſpergat per viam, & ſuper obuiantes. Poſtea ſequuntur vexilla; Deindè portantur ſerpentes, & dracones ſuper perticam. Deindè Acholyti cum cereis duobus, vel quatuor, Poſtea Crux; Deindè Clericici, inter quos ſint aliqui parati ſacris veſtibus cum Reliquijs, & vaſis Sacris; Vltimo aliqua Imago Ieſu Chriſti, vel Beatæ Virginis: Tandem ſequitur principalis Sacerdos cum pluuiali; ſequuntur viri, dignioribus præcedentibus; deindè mulieres &c. De delatione ſerpentium, & draconum meminit etiam Durandus in *Rituali lib. 6. cap.* 102.

Quartum exemplum ſit Proceſſionis ſeptiformis appellatæ, indictæ, & celebratæ à Sancto Gregorio Magno tempore quo Romæ graſſabatur ſæuiſſima peſtis, & refertur à Durando locis citatis, & a Gretſero *de proceſſ. lib. 1. cap. 9.* In qua præſcriptus fuit hic ordo videlicet, vt prodiret ab Eccleſia Sancti Ioannis Baptiſtæ Clerus: Viri Laici progrederentur ab Eccleſia S. Marcelli, Monachi ab Eccleſia Sanctorum Ioannis, & Pauli: Sanctimoniales ab Eccleſia Sancti Coſmæ, & Damiani: Fœminæ nuptæ ab Eccleſia S. Stephani: Viduæ ab Eccleſia S. Vitalis: Infantes demum, & Inopes ab Eccleſia S. Ceciliæ. Omnes hę tam piæ turmæ ad Baſilicam S. Mariæ ad præſepe cum inſignibus, & Crucis labaris commigrarunt: nec tamen vis contagij remiſit; Redingrata nihilominus ſupplicatione, itum eſt ad Baſilicam Principis Apoſtolorum: ipſo Summo Pontifice Gregorio preferente Imaginem Deiparæ à S. Luca depictam, Et hac tandem ſupplicatione voti compos fuit Sanctiſſimus Pontifex, & mirabiliter peſtis ab Vrbe depulſa eſt In ſignificationem vero gratiæ, tam inſignis, inſigne ſpectaculum ab omnibus perſpectum fuit: apparuit enim coruſcans Angelus ſupra Adriani molem gladium intrà vaginam condens, in ſignum placati numinis, at peſtis extinctæ omnibus Deo gratias agentibus.

Quintum exemplum legitur in vita S. Caroli Borromei Archiepiſcopi Mediolanenſis, qui ſequutus veſtigia S. Gregorij, dum Mediolani ſæuiebat peſtilentia, ad eam auertendam valdè lugubrem indixit; obijtque proceſſionem: Congregata ſiquidem multitudine populi, & nobilium virorum in maiori Eccleſia, mandauit aſpergi cineres ſuper capita omnium, in ſignum pœnitentiæ, & humilitatis ſupplicantium; Tunc ordinata proceſſione, & petentibus omnibus flebili voce peccatorum veniam, Deique miſericordiam implorantibus, pergebat in fine idem S. Cardinalis, & Archiepiſcopus nudis pedibus, offendiculo etiam cruentatis, & fune ad collum alligata, crucem baiulans, atque ſemetipſum iugiter pro peccatis populi hoſtiam Deo offerens, nec in caſſum: placatus enim Deus, ſtatim indignationem ſuam repreſſit: miſericordiam oſtendit, & flagellum peſtilentiæ auertit.

Sexto ex lugubri ſupplicatione non ingratum erit lectoribus tranſitum facere ad lætam, feſtiuamque proceſſionem Romæ celebratam anno Domini 1622. in gratiarum actionem pro inſigni Catholicorum victoria ex hæreticis reportata, ſingulari præſidio Virginis Deiparæ, cuius pia Imago deferabatur inter noſtros milites ſumma veneratione à Fratre Dominico à Ieſu Maria Religioſiſſimo viro Carmelita diſcalceato. Præerat autem vniuerſo Catholicorum exercitus Sereniſſimus Maximilianus inclitus Dux Bauariæ. In dicta ergo Proceſſione egreſſura ex Baſilica S. Mariæ Maioris, vbi collocata fuerat ſupradicta Imago eiuſdem B. M. trasferenda ad Eccleſiam Patrum diſcalceatorum S. Tereſiæ, ſeruatus in ea fuit hic ordo,

Ante ibant Proceſſionem quamplures tubicines, buccinantes, & tubis canentes cum multis tympaniſtis tympana pulſantibus.

Sequebatur Societas Militum pompabiliter incedentium, ac deferentium varia armorum genera, & Inſtrumenta bellica ex inimicis capta.

Tertio loco gradiebantur nobiliores milites, portantes vexilla, & plura ſigna bellica, tum exercitus Catholici, tum ex inimicorum ſpolijs acquiſita.

Deindè procedebāt Religioſi omnium ordinum ſub ſuis Crucibus; & poſt eos deferebatur Illuſtre Vexillum S. Tereſiæ à ſex Patribus ordinis indutis planetis albis, eò quia ſupradictus filius S. Tereſiæ opem tulerat bellantibus pijs exhortationibus, & delatione Sacratiſſimæ Imaginis Mariæ Virginis, auctricis Victoriæ.

Sequebantur Clerici, & Sacerdotes Seculares more ſolito; ac Canonici omnium Collegiatarum, & Baſilicarum ſub ſuis vexillis, quæ vulgo dicuntur Gonfaloni.

Poſt Canonicos incedebant Prælati diuerſorum ordinum decenti ordine diſtributi.

Tandem vehebatur ſuper throno magnificentiſſimè ornato Victrix Imago Deiparæ ſuſtentato à dignioribus Canonicis, eamque immediate præcedebat electiſſimus muſicorum Chorus, atque

ingens

ingens multitudo nobilium Romanorum cum facibus accenſis, & poſt Sacratiſſimam Imaginem incedebat Archiepiſcopus Barienſis Præfectus Palatij Summi Pontificis in habitu Pontificali cum pluuiali, & mytra.

Et ne quicquam ſplendoris huic proceſſioni deeſſet, eam comitabantur Eminentiſſimi Cardinales cum ſuis aulicis faces accenſas deferentibus.

Populus etiam innumerus, qui ad hunc tryumphum concurrerat, ſequebatur proceſſionem iubilans, & exultans.

Completa proceſſione, introducta fuit prædicta victrix Imago Sacratiſſimæ Virginis in Eccleſiam PP. diſcalceatorum, quæ poſt modum appellata eſt Sanctę Mariæ de Victoria: & in medio eiuſdem Eccleſiæ collocata.

Aderat ibi Summus Pontifex Gregorius XV. expectans in Choro aduentum miraculoſæ Imaginis, de quo monitus, continuò acceſſit eam adoraturus, & gratias Deo acturus, vt fecit.

Reliqua ſigna lętitiæ hac occaſione ædita, quę modo ad noſtrum inſtitutum non pertinent, legi poſſunt in relatione Romæ deſcripta, & typis euulgata apud Maſcardum eodem anno 1622.

Denique inter extraordinarias haſce proceſſiones computati etiam poſſunt illæ, quæ Romæ fieri ſolent à Peregrinis totius Chriſtiani Orbis anno Sancto Iubilei pleniſſimi: Hi etenim in varia agmina diſtributi; proceſſionaliter pergunt ad viſitandas quatuor Baſilicas deſignatas pro conſequutione ſubilei.

Pergunt autem omnes ſub ſuis vexillis ſuo proprio Peregrinorum habitu decenter induti, vniformi quidem, eiuſdemque coloris inter confratres eiuſdem ſodalitatis; diſformi verò, & diuerſo ab habitibus cæterarum ſodalitatum; qua varietate magis iucundum exhibent, piumque ſpectaculum; procedunt inquam certo cum ordine orantes, & Deum laudantes.

Deuotæ etiam Peregrinæ mulieres ſeorſim à viris ſua agmina diſponentes ſimili ordine, & habituum varietate progrediuntur; in quibus elucet inſignis modeſtia, & grauitas, maiorque deuotionis feruor in ſuis fundendis precibus.

Poſt viſitationem Eccleſiarum congregantur omnes quotidie ſub veſperam in atrio Palatij Summi Pontificibus ab eodem recepturi benedictionem.

Plura etiam poſsent hic addi exempla de his extraordinarijs proceſſionibus, quæ legi poſſunt apud Auctores citatos: præſertim apud Durantum *de Ritibus Eccleſiæ lib.2. cap.10.* Sed ad vitandam prolixitatem omittimus.

De Proceſsionibus Ordinarijs, ſeu Ritus conſueti.

HActenus deſcripſimus Proceſſiones extrauagantes, dicendum conſequenter eſt de Proceſſionibus Ordinarijs, quæ fiunt certis diebus per annum ex præſcripto Vniuerſalis Eccleſiæ: vt in feſto Purificationis B. V; in Dominica Palmarum: in Rogationibus &c; in quibus ſeruantur Ritus communes, & conſueti, quarum exempla ſunt omnibus nota: & per anni circulum ſæpius occurrunt: quare ſuperfluum eſſet hic ea enarrare. Quoniam autem magni refert eas conuenienti ordine, & ea, quæ par eſt Religione celebrari, vt Summo Deo debitus cultus exhibeatur, & fideles ad pietatem excitentur; debent in eis accuratè ſeruari omnes Ritus in hunc finem ab Eccleſia præſcripti. Nè igitur ignorantia eorundem Rituum errores, & confuſionem pariat in tam Sacra functione cum eius dedecore; tradenda eſt à nobis exacta ipſorum notitia in ſequenti puncto: nè hoc iuſto longius protrahatur.

PVNCTVM SEXTVM.

De Ritibus ſeruandis in Proceſsionibus Ordinarijs.

PRæcipui Ritus, qui ſeruari debent in Proceſſionibus accuratè præſcribuntur *in Rituali Romano tit. de Proceſs. initio*, quos hic diſtinctè notabimus: additis etiam nonnullis deſumptis ex Miſſali, & Pontificali Romano: item ex cæremoniali Epiſcoporum, & ex peculiari libello Rituum Clericorum Regularium. De quibus etiam fusè differit noſter P. Caſtaldus *in Praxi Cæremoniarum lib.2. ſect.10.* Vt autem plenius aduertant, præſertim Eccleſiaſtici, quam magni ſint æſtimandi, & quam rationabiliter ſint ab Eccleſia præſcripti: atque adeo exactius ab illis obſeruentur; Subijciemus aliquot conſiderationes, quibus eorundem Rituum dignitas, & pietas eluceſcat.

Ritus Proceſsionum.

1 VIdeant in primis Sacerdotes, alijque Eccleſiaſtici ordinis, vt in Proceſſionibus ea modeſtia, ac reuerentia, tum ab ipſis, tum ab alijs adhibeatur, quæ pijs, & Religioſis huiuſmodi actionibus maximè debetur.

2 Omnes decenti habitu, ſuperpelliceis, vel alijs ſacris veſtibus induti modeſtè procedentes, ſacris precibus ita ſint intenti, vt remoto riſu, mutuoque colloquio, & vago oculorum aſpectu populum etiam ad piè, deuotèque præcandum inuitent.

3 Præferatur Crux: itaut ante ſingulos, tum Religioſorum ordines, tum Cleri Secularis Crux prodeat, & fulgeat. Vexilla etiam Sacris Imaginibus inſignita deferri poſſunt: non tamen militari forma.

4 Crucem deferens medius inter Ceroferarios cum candelis accenſis incedat, paratus quidem in ſolemnioribus proceſſionibus: In alijs verò ſuperpelliceo tantum indutus. Cum per anguſtiorem locum tranſire contingit, Primum Ceroferarij, & poſt eos Crucem deferens pertranſeat. Si adſit Thur-

Therriferarius præcedat immediatè Crucem cum Acholito ſibi collaterali tenente nauiculam incenſi.

5 Poſt Crucem omnes tum Religioſi, tum Clerici Seculares bini ſuo loco procedant, primo quidem iuniores, & minus digni: deindè gradatim ſequantur digniores, vltimo loco Celebrans ſacris veſtibus, & pluuiali indutus: cui alij parati aſſiſtant iuxta morem cuiuſque Eccleſiæ.

6 Aduertant Omnes, vt pari paſſu incedatur, æquali diſtantia, & proportione ſeruata.

7 Intra Eccleſiam ſint omnes detecto capite: extrà Eccleſiam vero caput bireto tegant: niſi quando defertur Sanctiſſimum Sacramentum; Nunquam vtantur galeris, ſeu pileis, niſi pluuia cogente.

8 Quando deferuntur candelæ, ſeù faces accenſæ, qui eſt à dextris dextera, qui verò à ſiniſtris, ſiniſtra manu candelam teneat.

9 Poſt Eccleſiaſticos ſequantur Proceſſionem Laici ſuo loco, & ordine, primo Nobiliores, deinde populus, ſintque fœminæ à viris ſeparatæ. Omnes ad proceſſionem conuenientes orare debent; ſed Laici ſubmiſſa voce: Eccleſiaſtici vero voce clara, & ſonora.

10 Magiſter Cærimoniarum, vel alius ad id deputatus deſignet Cantores incepturas verſus præcum recitandarum, quas reliqui proſequentur alternatim. Si dicantur Litaniæ collocentur Cantores circa medium Proceſsionis, quibus incipientibus alij omnes reſpondeant.

11 Si intrà Eccleſiam ſolum facienda ſit Proceſſio, procedendum erit à ſiniſtris ad dexteram, itaut egreſſus ſit à latere æpiſtolæ, & regreſſus ad latus Euangelij Summi Altaris.

12 Tandem ſi deferendæ ſint Reliquiæ Sanctorum, vel eorum Imagines, ita diſtribuantur, vt honoratior locus tribuatur Reliquiæ, vel imagini dignioris Sancti: habito etiam reſpectu ad prioritatem Electionis Sanctorum Patronorum loci, in quo ſit Proceſſio, & in caſibus controuerſiæ,& dubij ſtandum erit determinationi Epiſcopi.

CONSIDERATIO I.

Quam ob Cauſam in Proceſsionibus oremus obambulando, & circumeundo vias, & plateas.

1 HIc modus orandi inſtitutus creditur ab Eccleſia, vt eo motu Corporis, magis excitetur animus ad ſuos motus erga Deum, qui ſunt pij virtutum affectus: ſicut enim Corpus inquit Auguſtinus, monetur pedibus, ita anima mouetur affectibus: in proceſſionibus, ergo corpore pariter, & animo ad Deum tendimus, exemplo Dauid incedentis, & ſaltantis ante arcam 2. Reg. 6. & trium puerorum, qui in camino ignis ambulabant laudantes Deum. Danielis 3.

2 Ambulamus per vias publicas, & plateas, quia Deus, vt potè immenſus vbique locorum præſens eſt, vbique nos conſeruat, & ſuas vbique in nos gratias effundit: merito ergo vbique laudari debet, & glorificari. Vnde Apoſt. 1.*Timot*.3. *volo* inquit *viros in omni loco orare*. Quamuis autem peculiari quadam ratione ſint conſtitutæ Eccleſiæ, & Sacra Templa ædificata, vt ibi frequentius à fidelibus Deus oretur, & glorificetur; ne quis putaret Dei in nos beneuolentiam, & attentionem ad noſtras præces non extendi vltra fines templorum; Statuit Eccleſia, vt quandoque fiant Proceſſiones, & ſupplicationes ad Deum per vias publicas; vt aduertant fideles Deum vbique eſſe orandum, & vbique à Deo eos audiri, & exaudiri: Imo ratione circumſtantiæ loci publici magis elucent virtutum actus, præſertim Theologarum in maiorem Dei cultum, & proximorum ædificationem: Apparet enim magis publicè fidei noſtræ profeſſio: Spes firmior in Deum, à quo fatemur vbique nos protegi; vbique adiuuari: ac tandem maior Charitatis feruor: dum non ſe continens Eccleſia, ſeù cætus fidelium intrà parietes, & terminos Templorum; foras erumpit, & exilit, vias circumit, & plateas ad magis laudandum; & glorificandum Deum.

3 In locis, & vijs publicis etiam non verentur plures Deum offendere blaſfemijs, periurijs, detractionibus, contumelijs &c. merito ergo per loca hæc publica diriguntur Sacræ Proceſſiones petentium à Deo veniam peccatorum omnium, vt actibus hiſce peccatis oppoſitis eadem loca luſtrentur, & expientur, atque eiuſdem Dei honor ſarciatur, & compenſetur, vt vbi publicè offenditur, ibi publice laudetur, & glorificetur.

CONSIDERATIO II.

De Cruce in Proceſsionibus præferenda.

CRucis prælatio, vndè incipit Proceſſio, eſt Ritus antiquiſſimus, vt videri poteſt apud Cyrillum *lib. 6. contrà Iulianum*, & apud Sozomenum *lib.1. cap.18.* & Socratem *lib.6. cap.8.* de quo etiam fusè tractat Gretſerius de *Cruce lib.1. cap. 84.* & *lib.2. cap.30.* Nos potiora notabimus.

1 Hac cæremonia proteſtantur fideles ſe Chriſto Crucifixo nomen dediſſe, & ſub eius ſignis militare, quorum primum & magis conſpicuum eſt Crucis vexillum, de quo Eccleſia.

Vexilla Regis prodeunt

Fulget Crucis myſterium.

2 Ex virtute Crucis Chriſti omnes omnium præces vim, & efficaciam habent: eiuſque aſpectu ad præcandum ardentius excitantur, ſicuti teſtatur D.Auguſtinus *in pſal.*141. In cuius figuram etiam in veteri Teſtamento Moyſis oratio. tunc à Deo populi victoriam impetrabat, quando in Crucis figuram manus ad Cælum leuabat: Merito ergo in Proceſſionibus ante omnium ſupplicantium

tium cætus Crux præfertur, vt eius aſpectu omnes ad præcandum ardentius excitentur, eædemque preces maiorem vim habeant.

3 Signum Crucis magnam vim habet fugandi Dæmones, ad cuius præſentiam contremiſcunt, quo ipſi debellati fuerunt. *Ecce Crucem Domini fugite partes aduerſa.* Merito ergo in Proceſſionibus, quæ diriguntur, vt Caſtrorum acies ordinatæ contra Demones, erigitur Crux in Principio, vt fugatis inimicis via tutiſſima pareтur, de qua re nos plura dicemus *in tractatu da Sacr. Benedict. tit. 3. Sect. 14.*

4 Ex laudabili conſuetudine omnium piorum fidelium præmittitur ſignum Crucis ad omnes ferè actiones, & quidem in functionibus ſacris ex præſcripto Eccleſiæ: Miſſa ſumit initium a ſigno Crucis, in collatione Sacramenti Baptiſmi Miniſter circa initium ſignat baptizandum ſigno Crucis in fronte, & in pectore dicens *accipe ſignum Crucis; &c.* & ſic in alijs Sacramentis: & in officio Diuino ante ſingulas horas Canonicas. Ad alias verò actiones humanas præmitti ſolet idem ſignum in egreſſu à Domo, in ingreſſu ad aliquem locum periculoſum, vt in mare, ante cibum, & potum; ante cubitum &c. de quo pio vſu teſtatur Tertullianus *de corona Millitis cap. 3.* his verbis *ad omnem progreſſum, ad omnem aditum, & exitum, ad veſtitum, ad menſam frontem Crucis ſignaculo terimus.* Item Cyrillus Hieroſolymitanus *Chathec. 12. & 17. in omnibus* inquit *Crux fiat, in panibus comedendis, in poculis bibendis, & egreſſu, & ingreſſu, ante ſomnum &c.* Diuus etiam Hieronymus ad Euſtochium. *Ad omnem actum, ad omnem inceſſum manus pingat Crucem.* Ratio eſt, quam tradit D. Leo *Serm. 8. de paſſione*; quia Crux Chriſti eſt omnium ſons benedictionum, omnium Cauſa gratiarum; Pariter ergo in Caſu noſtro, vt deuotè, vt ſanctè, vt ſub Dei præſidio fiant proceſſiones, præferri illis debet crucis vexillum.

CONSIDERATIO III.

Poſt Crucem omnes bini ſuo loco procedant.

CErtus ordo, & recta partium diſpoſitio eſt abſolutè neceſſaria ad cuiuslibet rei perfectionem, & decorem, aliàs compoſitum ſine ordine monſtruoſum erit: In primis vero ad Sacram, & verè religioſam proceſſionem certus ordo requiritur: quippe turba ſine ordine turbatio eſt; & confuſio. Hinc Bernardus *ſerm. in Purific. B.V. Turbat* inquit *proceſſionem, qui ſuo loco, & debito ordine non incedit.*

Ad vitandam ergo confuſionem in Proceſſionibus, & ad earum decorem præſcribitur ab Eccleſia ordo binius. Et quidem exemplo Chriſti, Lucæ 10. qui miſit diſcipulos ſuos binos in omnem Ciuitatem, & locum quò erat ipſe venturus.

Perpendendæ ſunt modo rationes, & conuenientiæ talis ordinis à Chriſto, & ab Eccleſia præſcripti.

1 Primam rationem reddit D. Bernardus *l. c. merito ait bini, & bini incedimus. Sic enim ob commendationem fraternæ Charitatis, & ſocialis vitæ miſſos à Saluatore diſcipulos Euangelia Sacra teſtantur.* Item Theophilactus, & Gregorius in locum prædictum Lucæ. *Bini* inquiunt, *incedimus, vt alter alteri ſit auxilio, ſolatio, ſtimulo, & excitamento ad virtutes*, iuxta illud Eccleſ. 4. *melius eſt duos eſſe ſimul quam vnum*: habent enim emolumentum ſocietatis ſuæ; ſi vnus ceciderit ab altero fulcietur.

2 Prodeſt etiam plurimum cuilibet ad vitanda peccata, tum in Proceſſionibus, tum extrà ſocium habere ſuarum actionum teſtem: cautior enim quilibet fit, dum adeſt alter, qui illum obſeruat. Hinc Seneca *epiſt. 25. omnia* inquit *mala ſolitudo perſuadet: prodeſt ſine dubio cuſtodem ſibi impoſuiſſe: & epiſt. 11. Magna, ait pars peccatorum tollitur, ſi peccaturis teſtis adſit.*

3 Merito præcipimur bini incedere, vt alter alterius ſit cuſtos, & tutor ex verbis citatis Senecæ; Hinc dici poteſt, quod ſocius ſit veluti Angelus cuſtos alterius, ſeu Angelus viſibilis, qui valdè prodeſt non cogitantibus, vel non curantibus de inuiſibili Angelo; Bini ergo incedentes ſunt duo Angeli, alter alterius cuſtos: qui vero ſolus vagatur, præſertim Religioſus, facile mutatur in diabolum, ſic enim D. Thomas Aquinas Theologorum princeps (vt refertur in eius vita in Chronicis S. Dominici) dicere ſolebat. *Monacus ſolus incedens eſt diabolus ſolitarius.* Atque ob hanc Cauſam ferè omnes Religionum fundatores, & Patriarchæ firmiter ſtatuerunt ſuis Regulis, nè è Conuentibus egredi permittatur quiſquam ſolus, ſed ſemper cum ſocio: ſic mandarunt Sancti Pacomius, Auguſtinus, Benedictus, Dominicus, Franciſcus, Beatus Caetanus, & alij.

4 Lex Euangelica appellatur iugum à Chriſto Matthei 11. *Iugum meum ſuaue eſt, & onus meum leue*: iugum autem dicitur à iungendo, eò quia duo iuncti illud ſubeunt: materiale quidem duobus iumentis imponitur ad arandum, & diſponendam terram pro terrenis ſeminibus: iugum verò myſticum diuinæ legis hominibus imponitur ad colendos agros animarum. Quando ergo duo ſimul vniuntur ſub iugo Chriſti, ac mutuis exhortationibus, & exemplis ſe inuicem excitant ad Dei obſequium, & animarum culturam, leuius fit iugum, & ſuauius, & lex Chriſti facilius adimpletur iuxta illud Apoſtol. ad *Galat. 6. Alter alterius onera portate, ſic adimplebitis legem Chriſti.*

5 Tandem concludo hanc conſiderationem ſimilitudine, quam affert D. Chryſoſtomus *in epiſt. ad Hebreos cap. 10. verſic. 24. ſicut enim ait, ferrum ferro acuitur, & lapis lapidi alliſus ignem elicit, ſic anima animæ aſſociata igne Charitatis ardet.*

CONSIDERATIO IV.

Minus digni præcedant, Digniores, verò gradatim ſequantur.

1 PRogreſſus à minus perfectis ad perfectiora ab ipſa natura dictatur; Sic homo incipit viuere, primo vita vegetatiua, deindè ſenſitina, poſtremo vita rationali. Sic plantæ primo frondes producunt, deindè flores, poſtremo fructus &c. Meritò ergo Proceſſiones incipiunt à minus dignis ſequentibus dignioribus; quia in via Spiritus per proceſſiones ſignificata tendimus à timore ad amorem: item à via purgatiua progredimur ad illuminatiuam, ex hac ad contemplatiuam perfectiſſimam.

2 Lex Moyſis præceſſit legem euangelicam, veluti diſpoſito ſuam formam. Clerici autem, & Subdiaconi aliqua ratione repræſentant legem veteram: legunt enim prophetias veteris teſtamenti, vt fuſius nos explicauimus in *Rubricas Miſſalis part.2. tit.6.* Sacerdotes verò cum Diaconis proprius pertinent ad legem euangelicam perfectiſſimam. Rectè ergo in Proceſſionibus præcedunt Clerici minorum ordinum cum Subdiaconis: deindè ſequuntur Diaconi, & Sacerdotes.

3 Hyerarchia Eccleſiaſtica mira varietate diſpoſita continet varias claſſes Miniſtrorum Chriſti minorum, & maiorum ordinum. Et in ſacra ordinatione prius conferuntur minores ordines: deindè maiores, tandem Epiſcopatus. Simili ergo ratione in proceſſionibus, primo incedunt Clerici minorum ordinum, deindè gradatim ſequuntur alij maioribus ordinibus inſigniti.

4 Tandem *Eccleſ. capit.7. Melior* inquit *eſt finis orationis; quam principium, finis enim coronat opus.* Cum ergo proceſſio ſit ſpecies orationis, & ſupplicationis ad Deum, meritò incipit à minus dignis, & imperfectioribus, & coronatur dignioribus, qui perfectius orent.

CONSIDERATIO V.

De modeſtia in Proceſsionibus ſeruanda.

HIc Ritus modeſtè incedendi in Sacris Proceſſionibus, tanquam valdè notabilis, & ſummopere neceſſarius ſæpiùs commendatur, præſertim Eccleſiaſticis *in Rituali Romano*: videlicet, vt omnes decenti habitu induti modeſtè procedant remoto riſu, mutuoque colloquio, & vano oculorum aſpectu, nihilque niſi graue moderatum, & Religionis plenum præſeferant, quod & naturalis ratio ſuadet, & virtus Religionis dictat.

1 Quia ex modeſtia exteriori illorum, qui ad Proceſſionem conueniunt, pendet Maieſtas, & decor eiuſdem ſacræ functionis; Sicut enim pulchritudo, & decor cuiuslibet compoſiti, ſeu Corporis naturalis, præſertim humani Corporis conſiſtit in debita proportionem membrorum, & in recta ſingulorum partium diſpoſitione, cum geſtibus aptis ad opus, quod exercetur, vt notum eſt omnibus, & docet Cicero *lib.4. Tuſcul.99.* Sic pariter ad decorem, & venuſtatem ſacræ proceſſionis, quæ eſt morale compoſitum, requiritur proportio, & religioſa compoſitio ſingulorum, qui proceſſioni interſunt, ex quibus tanquam ex corpore conſtat ipſa proceſſio, & inſuper exiguntur geſtus decentes, & apti ad diuinum cultum, & obſequium, ad quod dirigitur Proceſſio.

Pertinet autem ad virtutem modeſtiæ imponere modum, & regulam cunctis partibus corporis, earumque motibus, & geſtibus (vt fuſe proſequitur D. Ambroſius *lib.1. officiorum*) hac enim virtute præſcribitur oculis demiſſio, vultui grauitas, & verecundia, linguæ frenum, manibus compoſitio, pedibus moderatio, nè inceſſus ſit nimis properus, nec è contra ſignis, & nimis tardus: atque vt ait idem Ambroſius *de Virginibus lib.1. non geſtus ſit fractior non inceſſus ſolutior, non vox petulantior, vt ipſa Corporis ſpecies figura ſit probitatis.* Ergo modeſtia eſt abſolutè neceſſaria ad proceſſionis decorem venuſtatem, & pietatem; è contra ex licentia, & immodeſtia deturpatur, & monſtruoſa apparebit, atque inepta ad diuinum Cultum.

2 Hæc eadem religioſa modeſtia neceſſaria eſt ad ædificationem populi; in quem finem etiam ordinantur ab Eccleſia Proceſſiones: vt videlicet excitetur populus ad pietatem, & cultum Dei.

Cum enim homines, non niſi exteriora videant: & indè arguant deuotionem internam; neceſsè eſt, vt conuenientes ad publicas proceſſiones ſingulari modeſtia fulgeant ad excitandos alios ad pietatem, quod ſi immodeſtè ſe gerant, & prauis moribus imbuti appareant; Scandalizatur populus, & apud illum vileſcunt ſacræ functiones.

3 Virtus modeſtiæ, & cuſtodia ſenſuum ſummopere conducit ad proprium cuiuſque profectum: ac proindè magnì æſtimanda eſt. Ex communi namque Sanctorum Patrum doctrina puritas Cordis, & internæ deuotionis conſeruatio valdè pendet ex modeſtia, & cuſtodia ſenſuum; ſenſus enim ſunt veluti oſtia, & feneſtræ, per quas omne malum in cor intrat, vt inter alios eruditè probat D. Hieronymus *in Cap.38. Iob*; & D. Gregorius *lib.21. Moralium.* Sicut ergo dum Materialium noſtrarum Domorum oſtia ſunt clauſa, & benè cuſtodita, ſecura ſunt omnia; è contrà ſi ſint aperta, deprædationi ſunt expoſita. Sic pariter contingit in Domibus noſtrorum cordium, neglecta ſi quidem cuſtodia ſenſuum exteriorum, interna deuotio euaneſcit.

PVNCTVM SEPTIMVM,

De Cauſa finali Proceſsionum.

Finis, ad quem ex inſtituto Eccleſiæ diriguntur Proceſſiones, eſt duplex; Alter enim eſt ſupremus, & principalis, qui etiam dicitur finis vltimus, & hic eſt cultus latryæ Deo ſoli debitus, ſeu maior gloria Dei, iuxta illud Apoſtol. 1. *Corint.* 10. *omnia in gloriam Dei facite.*

Alter finis quis dicitur proximus, & minus principalis, eſt impetratio alicuius ſpecialis gratiæ à Deo in ſalutem animarum, & corporum, vt ſupra dicebamus *Punct.* 2. *de diuiſione Proceſſionum.* In particulari autem plures enumerantur ab auctoribus, præſertim à Benzonio *in tract. de Iubileo* tresdecim huiuſmodi proceſſionum fines aſſignantur. Nos breuitatis Cauſa ad duo Capita eos reuocamus. Primum Caput pertinet ad ſupplicationem, qua petimus liberari à malis, quibus affligimur, & exprimuntur in Litanijs in illis verſibus *ab omni malo, ab ira tua &c. libera nos Domine.* Secundum Caput pertinet ad ſupplicationem, qua petimus à Deo largitionem gratiarum, & donorum, quibus indigemus, & pariter exprimuntur in eiſdem Litanijs Sanctorum illis verſiculis, vt *nobis parcas, vt fructus terræ dare, & conſeruare digneris &c. Te rogamus audi nos.* His poſititis,

Explicandum à nobis eſt, quam piè, & prudenter, quamque appoſitè ad vtrumque finem aſſequendum ſint inſtitutæ proceſſiones ab Eccleſia.

PROCESSIONES,

Sunt organum, ſeù medium aptiſſimum Diuini Cultus, & maioris gloriæ Dei.

Conſtat inter omnes Eccleſiaſticos, noſtras Proceſſiones eſſe actus veræ Religionis, & Cultus Diuini, quippe ſunt actus orationis, & ſupplicationis, quibus recognoſcentes Deum, tamquam Supremum omnium Dominum, & piiſſimum largitorem omnium bonorum, noſmetipſos ei ſubijcimus expectantes ab ipſo Deo gratias, quas poſtulamus: certum eſt autem orationem eſſe actum Religionis, & cultus diuini. Cæterum hic probare intendimus, per eaſdem proceſſiones maiorem, & excellentiorem cultum Deo à nobis exhiberi, quam per alias ſacras functiones, quæ inter Sacramentalia numerantur.

Primo quia Cultus cuiuſbet exhibitus eò maior, & perfectior eſt, quò à pluribus defertur: vndè Deus ad maiorem ſui gloriam & maius obſequium innumeros creauit exercitus Angelorum, Danielis 7. *millia millium miniſtrabant ei, & decies millies centena millia aſſiſtebant ei.* Cum ergo ad proceſſiones concurrant plura fidelium agmina, quam ad diuinum officium, & ſimiles ſacras functiones, vt notum eſt; ſequitur manifeſtè per proceſſiones maiorem, & perfectiorem cultum Deo exhiberi.

3 Cultus publicus præfertur priuato; ſicut enim creſcit honor, & reuerentia alicui exhibita ex maiori numero colentium, ſic pariter augetur ex eo, quia defertur coram pluribus. Sicuti è contrà iniuria, & contumelia eò turpior eſt, quò magis eſt publica, & coram pluribus: ſed in Proceſſionibus defertur Deo cultus magis publicus, quam in alijs functionibus ſacris: ſupplicatur enim Deo, per vias publicas, & plateas Ciuitatum, atque ex publicis his Dei laudibus excitantur plures alij ad pietatem, & cultum erga ipſum Deum, Ergo Proceſſiones ſunt medium aptiſſimum Diuini Cultus, & maioris gloriæ Supremi Numinis. Tandem Cultus, & honor, qui Chriſto crucifixo Redemptori noſtro defertur in publicis huiuſmodi ſupplicationibus, eſt ipſi Chriſto acceptiſſimus; dum enim intereſſentes proceſſionibus, & poſt Crucem ordinatè procedentes Incarnati Verbi laudes concelebrant, profitentur ſe non erubeſcere Crucifixum, ſed gloriari in eius Cruce, quod magni fit ab ipſo Chriſto: ſicut patet ex præmio, quod illis promittitur *Lucæ* 9. vbi idem Chriſtus ſic ait, *qui me erubuerit coram hominibus, hunc erubeſcet filius hominis cum venerit in Maieſtate ſua;* è contrà alibi, *qui me confeſſus fuerit coram hominibus, confitebor, & ego eum coram Patre meo.*

PROCESSIONES,

Sunt medium efficax ad impetranda à Deo, quæ petimus.

Venio ad finem proximum impetrationis gratiarum à Deo: & oſtendam proceſſiones eſſe medium ſatis efficax ad obtinenda, quæ poſtulamus.

Primo quia ſi vnius iuſti oratio multum valet apud Deum, vt teſtatur D. Iacobus *in ſua epiſt. cap.* 1. ergo quando plures eodem ſpiritu ad orationem conueniunt, multo potentior erit oratio: Vndè Chriſtus *Matth.* 18. *Si duo inquit ex vobis conſenſerit ſuper terram de quacunque re, quam petierint, fiet illis à Patre meo;* concors ergo duorum oratio potentior eſt, quam vnius: & à fortiori multo erit potentior, ſi plures concurrant ſupplicantes. Nota hic obiter *ly duo* poſſe referri ad noſtras proceſſiones, in quibus bini incedimus: ſed multiplicati binarij multitudinem ſupplicantium conſtant, qua potentior fit oratio.

Quod etiam conſtat exemplo Apoſtolorum, qui vt efficacius orarent, & ſe diſponerent ad aduentum Spiritus Sancti ſimul congregati cum alijs diſcipulis, & cum Maria matre Ieſu, erant vnanimiter perſeuerantes in oratione *Act.* 1. Manifeſtum eſt autem ad proceſſiones, & publicas ſupplicationes concurrere cætus, & agmina ſupplican-

plicantium: ergo oratio fuſa in Proceſſionibus eſt efficaciſſima apud Deum.

Confirmatur hoc primo auctoritate D.Chryſoſtomi *homil.79. ad populum*, vbi ſic ait, *Magna vis eſt Orationis concorditer à populo Deo oblata*: & infrà, *non ita à Domino per te ſolus orans audieris, ac cum fratribus*: hic enim maius aliquid eſt, puta vnanimitas, & conſonantia, charitatiſque vinculum, & Sacerdotum orationes.

Confirmatur ſecundo. Quia communitas peculiarem habet dignitatem, ratione cuius commune bonum diuinius cenſetur, & facilius impetratur, præſertim, ſi nomine Eccleſiæ petatur, quæ ſemper Deo grata eſt: conſtat autem hæc omnia verificari in proceſſionibus, quæ ad commune bonum referuntur, & nomine Eccleſiæ fit in eis ſupplicatio ergo &c.

Confirmatur tertio. Quia vbi multi concurrunt, vnus ab alio iuuatur, & defectum vnius, alius ſupplet; atque adeo purior, & perfectior eſt oratio: conſequenter magis efficax.

Secunda Ratio principalis eſt. Quia modus orandi in Proceſſionibus per vias, & plateas publicas maiorem præſefert humilitatem, & animi demiſſionem: dum quiſque non erubeſcit coram alijs ſuam fateri indigentiam, & miſeriam, palam ad Deum recurrendo pro remedio. Oratio autem humiliantis ſe valde efficax eſt, & nubes penetrat *Eccleſ.35*.

Confirmatur, quia pluries legitur in Euangelijs, debiles, & infirmos publicè, & palam petentes à Chriſto miſericordiam ſtatim ſanatos fuiſſe: vt duo illi cæci *Matth.20.* ſecus viam ſedentes, & clamantes miſerere noſtri fili Dauid, confeſtim illuminati fuerunt. Et *Act.1.* plures infirmi in publicis plateis expoſiti, ſola D.Petri vmbra obumbrati ſanitatem conſequuti ſunt.

Tertia Ratio eſt, quia publica ſupplicatio, qualis fit in Proceſſionibus parit ædificationem proximorum, & ea plures excitantur ad pariter laudandum, & glorificandum Deum: proinde ipſi Deo eſt magis grata: ſicut è contra publicè peccantes ratione ſcandali magis Deum offendunt: ergo eadem oratio publica, tanquam Deo gratior, eſt magis efficax ad impetrandum.

Tandem in Proceſſionibus cum oratione coniungitur maior corporis mortificatio ob laborem, & defatigationem itineris: ergo maiorem habet efficaciam apud Deum. Vnde Bernardus in illud *cant.3. quæ eſt iſta, quæ aſcendit ſicut virgula fumi ex aromatibus myrra, & thuris*, id explicat de oratione coniuncta cum mortificatione: per myrram enim ait ſignificari mortificationem: per thus verò orationem, quæ ſimul vnitæ magnam vim habent apud Deum.

Contrà prædictum modum orandi in vijs, & plateis publicis obijci poteſt locus ille *Matth.6.* vbi Chriſtus Dominus videtur illum improbare, dicens. *Cum oratis non eritis, ſicut hypochrytæ, qui amant in angulis platearum ſtantes orare*: & infrà. *Tu autem cum oraueris intrà in cubiculum tuum: & clauſo oſtio ora Patrem tuum in abſcondito &c.* vnde oratio publica, & in plateis videtur contra doctrinam Chriſti.

Reſpondetur à Chriſto non damnari ibi orationem in publico loco fuſam abſolutè: ſed quatenus factam ad oſtentationem, & ob inanem gloriam: addit enim *ſicut hypochritæ orant, vt videantur ab hominibus*. Cæterum oratio publica, ſicut & alia virtutum opera commendantur ab eodem Chriſto *Matth.5. Luceat lux veſtra coram hominibus videant opera veſtra bona, & glorificent Patrem veſtrum, qui in Cælis eſt*, & Tobiæ 12. *Benedicimus Deum Cæli, & confitebimur ei coram omnibus viuentibus*: fugienda eſt ergo iactantia, & hypochriſis, ſed exhibenda ſunt etiam proximis exempla bonorum operum. Hinc tum in veteri, tum in noua lege ſemper fuit vſu recepta publica oratio, & in Eccleſiis, & in vijs publicis vt patet. 3. *Reg.8.* & *Act.1. & 6.* & ex communi praxi Eccleſiæ.

Commendatur etiam à Chriſto priuata, & ſecreta oratio clauſo oſtio, quantum attinet ad vitandam oſtentationem, item quantum opus eſt ad mentem colligendam, & amouendam diſtractionem, ſi fiat oratio ex priuata deuotione, cæterum indicta ab Eccleſia publica oratione; melius eſt conuenire cum alijs, & publicè orare, vt in caſu Proceſſionum, & Officij Diuini, quod publicè in Eccleſijs recitandum eſt, & ab Eccleſiaſticis ſic fieri debet ex graui obligatione.

PVNCTVM OCTAVVM.

De Proceſsionum vtilitate, de quæ fructibus earum.

Ex dictis puncto præcedenti ſatis liquet Proceſſiones, ſeu publicas ſupplicationes eſſe valde vtiles populo Chriſtiano ob magnam, quam habent vim impetrandi à Deo gratias, quibus indigemus. Vt autem euidentius conſtet de earum valore, & abbundantia fructuum nobis prouenientiam ex illis; adducemus hic nonnulla exempla: quibus experientia teſte, ſæpius probata fuit earum virtus, & efficacia.

PROCESSIONES.

Peſtilentiæ morbum eſtinguunt.

Plura ſuppetunt exempla huius effectus Proceſſionum: nos pauca afferemus, quæ ſatis ſint ad adſtruendam fidem eius, quod aſſerimus.

Sanctus Herebertus Colonienſis Archiepiſcopus indictis publicis huiuſmodi ſupplicationibus, & Litanijs, non ſemel peſtem depulit, & excidium ſui Populi: ſicuti teſtatur Rupertus Tuitienſis in eius vita apud Surium *tom.2.* & refert etiam Gretſerus *de Proceſſionibus lib.1.cap.11.*

Narrat etiam Gregorius Turonenſis *lib.10. hiſt. cap.29* ſedatam fuiſſe peſtiferam luem in agro Turonico, & Nannenſi celebratione Proceſſionum.

Cardinalis Baronius *in adnotationibus ad Martyrologium Romanum ſub die 16. Auguſti*, ſic ſcribit. Decreto PP. Concilij Conſtantienſis ad propulſandam ingruentem luem B. Roccho honores Sanctis debiti ſunt impenſi; nam & ſolemni pompa eius imaginem omni comitante populo per Vrbem detulerunt: quo facto illa peſtis mox euanuit. Indè vero exemplum ſumptum eſt, vt vbique locorum altaria, & Templa in eius honorem erecta fuerint.

Alia duo exempla eliminatæ peſtis in vim proceſſionum adduximus ſupra *Punct.* V. agentes de Proceſſionibus extraordinarijs. Nam D. Gregorius Magnus, & S. Carolus Borromeus publicis hiſce ſupplicationibus liberarunt à peſtifero morbo, ille Romam, hic Mediolanum.

Tamen non deſunt exempla huius noſtri ſeculi comprobantia hanc veritatem. Nam Bononiæ graſſante ſæuiſſima peſte *anno* 1631, indicta publica ſupplicatione, & circumlata per vrbem deuota Imagine Dei Genitricis a S. Luca depicta, euanuit peſtis, vt refert Sigonius *lib.* 1. *de Regno Italiæ*. Atque eodem Proceſſionis medio pariter à peſte incolumes euaſerant. Mutinenſes *anno* 1630. vt refert Marchinus *de Bello diuino iuxta tractatus*: apud quem, & alios auctores ſupra citatos plura ſimilia legi poſſunt, quæ nos omittimus ad vitandam prolixitatem.

II. PROCESSIONES.

Conferunt ad vbertatem annonæ, impetratione congruentis pluuiæ, vel Serenitatis.

NOn deſunt exempla probantia hunc effectum ſacrarum Proceſſionum. Siquidem S. Herebertus ſupra relatus non ſolum peſtem, ſed etiam famem, quæ Vbios vehementer affligebat, mirabiliter ſedauit impetrata à Deo abundantia modijs Proceſſionibus, & quod mirabilius fuit eidem Sancto egredienti poſt Proceſſionem de Templo, occurrit candida columba, quæ circa eius caput volitans, ſigna gratulationis edidit, vt ex Ruperto Tuitienſi refert Serratius *opus de Litanijs cap.* 7.

In Inſula Chio erat fames valida ob ſiccitatem, & aquæ penuriam. Habitabant tunc prædictam Inſulam, tum Chriſtiani, tum Turcæ, & inter Chriſtianos multi erant Hæretici. Indixit Turcatum Baſſa ſuis ſubditis ſolemnes præces ſuis ritibus ad impetrandam pluuiam; Orantur etiam hæretici, ambo perperam, & in caſſum. Tandem Catholici aſcendentes in vicinum collem piam inſtituerunt proceſſionem, in qua deferebant Imaginem Virginis Matris Dei; Triumphauit tunc fides Catholica. Vix enim finita proceſſione defluxit è Cælo abbundantiſſima pluuia ſumma omnium lætitia. Hinc ſterilitati ſucceſſit fertilitas, & fami lætitias ſicuti refert idem Serrerius *opus de proceſſionibus lib.* 1. *cap.* 5.

Ex Inſula remotiſſima redimus ad noſtram Italiam, vbi in Diœceſi comenſi perenne miraculum iam diu fideles experti ſunt: & in dies experiuntur. Quoties enim imminet periculum famis ex nimia terræ ariditate; in dictis publicis ſupplicationibus ad Eccleſiam S. Æmilij, ſeù vt alij vocant S. Miri, ſine longa mora fiunt voti compotes: poſt præces enim ſupplicantium intercedente etiã apud Deum prædicto Sancto, labuntur è Cælo ſufficientes pluuiæ, & fruges cunctæ vireſcunt: vt fuſius narrat Petraſancta *in ſua Thaumaſia tom.* 3. *cap.* 21. numerans hunc euentum inter miracula perpetua.

Quandoque etiam oritur penuria, & fames ex nimijs, aſſiduiſque pluuijs, cui malo pariter ſæpius obuiatum eſt ſacris proceſſionibus. Vndè Anaſtius Bibliotecarius de Adeotate Pontifice, ſic ſcribit. *Poſt eius tranſitum tantæ pluuiæ, & tonitrua fuerunt, quales nulla ætas hominum meminit, & niſi per Litanias, & proceſſiones, quæ quotidie ſiebant, Dominus eſſet propitiatus, non potuiſſent homines triturare, vel frumenta recondere.* Plura legi poſſunt apud citatos auctores, & apud Gretſerum *de Proceſſ. lib.* 1. *cap.* 4.

III. PROCESSIONES.

1. *Bella relegant, Pacem afferunt.*

MEmorabilis eſt illa Proceſſio Cæſaraguſtæ in Hiſpania celebrata in præſidium contra irruptionem hoſtium, quam narrat Gregorius Turonenſis *lib.* 3. *hiſtor. c.* 29. his verbis; *Chidelbertus Rex in Hiſpaniam* abijt, *quam ingreſſus cum Clotario, Cæſarauguſtam obſedit. At obſeſſi conuerſi ad Deum, cum tunica S. Vincentij Martyris muros Ciuitatis pſallendo circuierunt. Hinc inimici timentes ſe ab eà Ciuitate remouerunt.*

Conſtantinopolitanam Vrbem Heraclij Imperatoris tempore à Chayano Scyta maximis copijs obſeſſam, extremoque deſtinatam exitio, ſacræ proceſſiones conſeruarunt, & ex immanis belluæ faucibus eripuerunt, vt ex Triodio refert Serrarius *de Proceſs. lib.* 1. *cap.* 5.

Eandem Vrbem Conſtantinopolitanam oppugnarunt etiam numeroſiſſimæ Agarenorum copiæ, ſummoque periculo res erat; quando Conſtantinopolitani ad idem præſidium proceſſionis recurrentes, periculum euaſerunt. Siquidem Barbarorum naues tanto ſæuientium ventorum impetu exagitatæ fuerunt, vt maior pars inimicorum perierit: & reſidui in fugam ſeſe coniecerint; refert Serrarius vbi ſupra.

Cum Troia in Apulia grauiſſima obſidione ab Henrico Imperatore premeretur *anno Domini* 1022. indicta à Troianis proceſſione, miſertus eſt eorum Deus, qui ſtatim mutauit Henrici animum, & à bello ad pacem reduxit, vt narrat Gretſerus *de Proceſs. lib.* 1. *cap.* 11. apud quem alia ſimilia legi poſſunt.

IV.

Aliæ Calamitates vi Proceſsionum depulſæ.

NArrat Ioannes Diaconus in vita S.Gregorij Magni *cap.93.* apparuiſſe in quodam Territorio immanem quendam Draconem, atque ita infeſtum, vt in eo immorari nullus poſſet, neque illac tranſire: vt huic malo occurreret Sanctiſſimus Pontifex inſtituta publica ſupplicatione contra Draconem proceſſit, illius furorem extinxit, atque ſecurum reddidit territorium, vt narrat Serrarius *de Litanijs cap.7.*

Alios etiam Dracones ſimiliter vi Proceſſionum expulſos, vel extinctos fuiſſe referunt. Fortunatus Pictauienſis apud Bellettum *Diſquis Cler.p.1.§.1. n.* 78. & Gretſerum *de Proceſs.lib.1.cap.12.*

Memorabile eſt etiam illud, de quo plures auctores teſtantur: videlicet olim fuiſſe Cantabriam, totamque Hiſpaniam tarraconenſem à vermibus infeſtatam, qui quotannis fructus omnes terræ abſumebant. Miſſus fuit illuc à Romano Pontifice Gregorius Epiſcopus Oſtienſis vir eximiæ Sanctitatis, qui vt Hiſpanias aduenit, mandauit fieri publicas proceſſiones; Miſſas etiam in ipſis agris magis calamitoſis celebrauit, ſicque fugauit, necauitque infeſtos vermes, adeo, vt moltos poſt annos immunes omnino agri fuerunt, ſic referunt Ciruelus *de ſuperſtit. p.3.cap.10.* & Delrius *Diſquiſ. lib.6. Monitu.11.*

Tandem publicis his ſupplicationibus, ſeu proceſſionibus terremotus fuiſſe ſedatos; & alias calamitates depulſas narrat Gretſerius de proceſſionibus lib.1.cap.5.

PVNCTVM NONVM.

Explicantur Myſteria, & Documenta in Proceſsionibus abſcondita.

IN Rituali Romano *tit.de Proceſs.* initio ſic habetur. *Publicæ, ſacræque Proceſſiones continent magna, & diuina Myſteria; & ſalutares Chriſtianæ pietatis fructus eas piè exequentes à Deo conſequuntur; de quibus fideles præmonere, & erudire, Parochorum officium eſt, hactenus Rituale.*

Nos ergò ad inſtructionem fidelium, tanquam Parochorum coadiutores hæc Proceſſionum myſteria, & ſalutaria monita explicare conabimur diuino freti auxilio.

I. MYSTERIVM.

Contentum in Ritu obambulandi in publicis Supplicationibus.

VArij præſcribuntur Ritus ab Eccleſia, ſeruandi à recitantibus diuinas preces: Canentes enim in Choro Diuinum Officium, vel ſtant erecto corpore, vel genu flectunt, vel ſedent. Quandoque præcipimur orare humi proſtrati. Tandem in Proceſſionibus incedimus, ambulamus, progredimur è loco ſacro in Sacrum.

Primo quod attinet ad modum orandi, vel ſtando, vel genuflectendo explicat eius myſteria Iuſtinus Martyr *lib. quæſt.115.* his verbis, *Vtriuſque, ait nos oportuit ingem habere memoriam; & noſtri per peccatum lapſus, & gratiæ Chriſti, per quem à lapſu reſurreximus. Ea propter per ſex dies genuum inclinatio ſymbolum, & nota eſt lapſus per peccata noſtra: quod vero die Dominico non ingenua procumbimus, ſed ſtamus, deſignatio eſt reſurrectionis, per quam gratia Chriſti à peccatis ſurreximus, & à morte liberati ſumus:* hactenus Iuſtinus. Hinc etiam toto tempore Paſcali ſtamus orantes erecto corpore, quod pertinet ad hilaritatem, & gaudium ob tryumphum Redemptoris, emulantes Angelos, qui in Eccleſia tryumphanti aſſiſtunt ante Dominum ad audiendam vocem ſermonum illius, ad faciendum verbum eius. De quo Ritu Paſchali meminit Tertullianus *de corona militum*, & S. Ireneus teſtatur hanc conſuetudinem fuiſſe ab Apoſtolis inductam.

Secundo, Oramus ſedentes, præſertim dum recitamus Officium Defunctorum, quod ad luctum, & mæſtitiam pertinet, ſic enim de ſanctis illis mulieribus mortem Chriſti lugentibus canit Eccleſia. *Mulieres ſedentes ad Monumentum lamentabantur flentes Dominum*: luctus enim, & mæror non ſolum deijcit animum, ſed etiam corpus, & adimit ſtandi alacritatem, quem ritum ſedendi in ſacris precibus, & alios ſupradictos eruditè explicat noſter P.Caracciolus in *Synopſi veterum rituum.*

Tertio, Quandoque humi proſtrati oramus, quo ritu exprimitur profunda adoratio cum ſumma animi demiſſione, iuxta illud *Apocal.7. & omnes Angeli ceciderunt in faciem ſuam, & adorauerunt Deum.* Inſuper hoc ritu denotatur, vel ingens, & extremus dolor ſupplicantium, quo oppreſſi redduntur veluti exanimes, & mortuis ſimiles: & hac ratione proſtrati in terram orant Sacerdotes, & eorum Miniſtri vltimo biduo maioris hebdomodæ ob mortem Chriſti. Vel ſignificat vehemens deſiderium, & vrgentem neceſſitatem extraordinarij auxilij impetrandi ab eo, ante quem ſe quis proſternit: & hac ratione proſtrati orant initiandi ſacris ordinibus, & Religioſi mox profeſſionem emiſſuri, poſtulantes à Deo extraordinarium auxilium pro altiori illo ſtatu, ad quem aſcendunt.

Tandem ad rem noſtram in Proceſſionibus oramus obambulantes, & circuentes vias publicas, & plateas.

Quo ritu primò denotatur anxia ſollicitudo, & dili-

diligens inquiſitio auctoris noſtræ ſalutis: iuxta illud *Cant.3. Surgam, & circuibo Ciuitatem per vicos, & plateas quæram, quem diligit anima mea.*

Secundo, Inductus fuit hic Ritus ab Eccleſia: vt fideles ſerio aduertant ſe viatores eſſe in hoc ſeculo, & peregrinari à Domino, totumque eorum negotium eſſe ad Patriam Paradiſi pergere. Sicut ergo in proceſſionibus, quæ ſunt breues quædam peregrinationes, pergimus pedibus corporis è loco ſacro in Sacrum; ita myſticè pijs animæ affectibus pergere debemus de virtute in virtutem, donec videre mereamur Deum Deorum in Syon: non enim inquit D.Auguſtinus mouetur anima pedibus; ſed affectibus, atque ſic initiatiuè erimus beati,iuxta illud Pſalmiſtæ:*Beati immaculati in via, qui ambulant in lege Domini.*

Concludimus ergo modum orandi erecto corpore ſignificare alacritatem, & prôptitudinem ad exequendas Dei voces, ad faciendum more Angelorum, verbum Dei. Genuflexionem pertinere ad pœnitentiam. Sedere autem ad mærorem, & compaſſionem. Humi proſtrationem ad adorationem,vel ad vrgens deſiderium impetrandi,quod petimus. Tandem profectionem, & circuitionem ad ſignificandam noſtram peregrinationem ad patriam per viam mandatorum Dei.

II. MYSTERIVM.

Clauditur in Agminibus Proceſſionum certo cum ordine diſpoſitis.

PRoceſſio in plura agmina diſtributa myſticè eſt exercitus militantis Eccleſiæ contra aduerſarios humani generis: quod myſterium ab eruditiſſimo Durando in *Rationali Diuini Off.* his verbis explicatur. *Diſponitur Proceſſio, velut caſtrorum acies ordinata, de quo prælio Apoſtolus dicit, non eſt nobis colluctatio aduerſus carnem, & ſanguinem, ſed aduerſus principes,& poteſtates tenebrarum*; atque idem afferit Honorius *in gemma cap.72.* cum alijs interpretibus Diuinorum Officiorum communiter.

Ad proportionem autem prophani exercitus ſic explicari poteſt ordo præliantium in hoc myſtico.

Primò, In fronte totius Eccleſiaſtici huius exercitus fulget labarum, ſeu Vexillum Crucis ad terrendos Dæmones.

Poſt Crucem ſequuntur agmina, tum Religioſorum varij ordinis, tum Cleri ſecularis omnes bini ob geminum præceptum Charitatis, ait Gregorius *homil.17. in euang.*

Porrò Duces principales eiuſdem exercitus ſunt Epiſcopi, baculum Imperij tenentes, Magiſtri verò Militiæ ſunt Theologi, & Doctores.

Arma ſingulorum Militum ſunt virtutes, & præſertim orationes; puluis vero tormentarius eſt meditatio mortis. Tympana, & tubæ ſunt Campanæ benedictæ; Tentoria ſunt ſacra Templa.

Inſuper Imagines, & Reliquiæ Sanctorum, quæ in Proceſſionibus deferuntur ſunt copiæ auxiliariæ, quatenus Sanctorum interceſſionibus adiuuamur in hoc ſpirituali prælio.

Ad hoc prælium exquiſitè nos armat Apoſtolus veteranus miles, & Princeps ſpiritualis Militiæ ad *epheſ.6.* vbi ſic inſtruit milites Eccleſiæ. *Accipite*, inquit, *armaturam Dei; vt poſſitis reſiſtere in diē malo: State ergo ſuccincti lumbos veſtros in veritate. Induite loricam iuſtitiæ, & calceati pedes in præparatione Euangelij pacis. In omnibus ſumentes ſcutum fidei, in quo poſitis omnia tela nequiſſimi ignea extinguere; & galeam ſalutis aſſumite, & gladium Spiritus, quod eſt verbum Dei.* Tandem per omnem orationem, & obſecrationem orantes omni tempore in ſpiritu. Ecce Ideam militis Chriſtiani à Capite ad talos armati.

Galea igitur eſt ſpes ſalutis,qua Caput noſtrum ſymbolicum puta intentio recta communitur,lorica, ſeu thorax eſt iuſtitia, quatenus iuſtitia communis eſt virtus lætificans cor.

Cingulum, ſeu Zona, vel baltheus eſt veritas, ſeu puritas: pura enim, & vera dicimus ea, quæ non ſunt falſata, aut vitiata, admiſtione rei deterioris: verus ergo miles Chriſti purus eſſe debet, præſertim ab immunditia Carnis, quæ maximè aduerſatur amori Dei, atque adeo præcingi debet cingulo puritatis, & caſtitatis.

Calcei, & ocreæ ſunt alacritas, & promtitudo, qua expediti reddimur ad percurrendam viam mandatorum Dei; Scutum eſt fides vera, & firma, qua retunduntur, & extinguuntur tela nequiſſima ignea, id eſt fallaces rationes Dæmonis, quibus cor noſtrum accendere ſtudet ad amorem rerum temporalium.

Gladius eſt verbum Dei ex teſtimonijs ſacræ Scripturæ, quo gladium Chriſtus iugulauit Satanam tentantem ſe in deſerto, & nos iugulamus redarguendo illum falſitatis.

Tandem complet hunc armorum apparatum Apoſtolus ſubiungens militem Chriſti ſemper, & omni tempore fundere debere preces, & orationes, quod eſt in primis neceſſarium, præſertim in proceſſionibus. Cum enim Chriſtus ſit, qui dat nobis victoriam, illius auxilium per orationem eſt iugiter implorandum.

III. MYSTERIVM.

Conſiderari poteſt in feſtiuis, & lætis Proceſſionibus cum Inſtrumentitis muſicis, & circuitione iucunda.

NOn incongrue feſtiuæ Proceſſiones, & circuitiones, in quibus dulciter reſonant muſica inſtrumenta, dici poſſunt ſpirituales quædam Choreæ connexarum inter ſe virtutum, quæ ad inceſſus, & circuitiones perſonarum in proceſſione ſupplicantium, etiam ipſe ſuos motus cedunt, geſtiunt, & ſaltant: ſicque iucundum Deo exhibent ſpectaculum.

Porro

Porrò elucent in ſacris Proceſſionibus; quamplures virtutes, vt potè fides, quam publicè proteſtantur proceſſionem obeuntes, ſpes, & fiducia in Deum, à quo bona poſtulata expectantur. Charitas erga Deum, & proximum, dum inſtituuntur proceſſionem ad excitandos fideles ad pietatem, & amorem Dei, & in commune bonum totius Populi Religio, ſeù cultus ipſius Dei, quem in Proceſſionibus adoramus, oramus, laudamus, & benedicimus: Gratitudo dum eædem indicuntur in gratiarum actionem: Obedientia conuenientium ad Proceſſiones ad nutum Superioris; Modeſtia, & compoſitio ſupra à nobis deſcripta: Tandem Deuotio, & pietas, ſimileſque virtutes, cumque vt dicebamus ob connexionem, quam virtutes inter ſe habent, veluti manus adinuicem conſerũant, ſpirituales ducunt choreas Deo, & Angelis iucundas.

Dubium hic emergit; an in Paradiſo, ſeù in Eccleſia tryumphanti obeantur proceſſiones, & ducantur Choreæ à Sanctis, & Beatis in laudem, & glòriam Dei, & in oblectationem eorumdem Beatorum.

Reſpondeo quo ad primum de Proceſſionibus affirmatiuè; probatur ex *Apocal.* 14. *Virgines ſequuntur agnum quocumque ierit*, & quidem certo cum ordine procedunt: ergo in Cælo fiunt Proceſſiones.

Confirmatur primò auctoritate D. Bernardi *ſer. 2. de Aſcenſ.* Vbi aſcenſum Chriſti in Cælum cum Sanctorum comitatu, felicem, dignamque proceſſionem appellat.

Confirmatur ſecundò; quia à Sanctis hic in terra degentibus viſæ quandoque fuerunt Deo reuelante proceſſiones in Cælo à Beatis celebratæ; ſicut de S. Eliſhabet narratur in eius vita, & de alijs ſanctis, vt infra dicemus *ſect. 2. dum de proceſſione candelarum in feſto Purificationis B. V.*

Quo ad ſecundum de choreis in quibus maior apparet ratio dubitandi; agitat hanc quæſtionem noſter P. D. Ioannes Baptiſta Iuſtinianus *in lectionibus Paſchalibus lect. 16.* vbi relatis aliorum ſententijs aſſeuerat in cælo duci choræas à Beatis, puriſſimas tamen, & iucundiſſimas.

Probatur Primo hæc ſententia, quia de Choræis Beatorum pluries ab Eccleſia fit mentio in hymnis Diuini Officij, vt in communi Virginum.

Quis pergis inter Lilia
Septus Choreis Virginum
Sponſus decorus gloria &c.

Et in feſto Omnium Sanctorum canit etiam Eccleſia

Choræa caſta Virginum
Et quos eremus incolas
Tranſmiſit aſtris cælitum &c.

Probatur ſecundo, quia in Paradiſo celebrantur nuptiæ Agni immaculati, vt conſtat *Apocal.* 19. & ſunt ibi Citharedi citharizãtes in Citharis ſuis. Cur ergo negabimus choræas ad nuptias pertinentes?

Confirmatur auctoritate D. Hieronymi in *cap. 3. Eccleſ.* vbi ſic ait. *Plangendum eſt in præſentiarum, vt poſtea ſaltare valeamus illa ſaltatione, qua ſaltauit Dauid ante arcam, qui enim in præſenti ſeculo ſua plangit peccata, ridebit in futuro*, Hæc Hieronymus.

IV. MYSTERIVM.

Scintillans ex candelis accenſis; & facibus ardentibus, quæ in Proceſsionibus deferuntur. Item de alijs Templorum luminibus.

HÆretici nouatores, & alij veræ lucis inimici irrident hunc morem Catholicorum deferendi candelas accenſas in die, ſeu rutilante Sole; quia vt homines animales non percipiunt ea, quæ ſunt Spiritus Dei: nec alium effectum luminis agnoſcunt, niſi fugare exteriores tenebras noctis. Sic olim ſenſit etiam Vigilantius, contra quem ita ſcribit S. Hieronymus: *non enim inquit candelas accendimus ad fugandas tenebras rutilante ſole: ſed in ſignum lætitiæ: videlicet Spiritualis lætitiæ, quia lumine fidei, & gratiæ à Chriſto illuſtrati, à tenebris infidelitatis, & ignorantiæ eruti ſumus.* Non deſunt ergo myſticæ ſignificationes luminum, & candelarum, de quibus fusè tractant Durandus in *ſuo Rationali lib. 7. cap. 7.* Stefanus Durantus de *Ritibus Eccleſ. lib. 1. cap.* 8. Caſalius de *veteribus Ritibus cap.* 42. & Antiquiores interpretes Diuinorum officiorum, Amalarius, Rupertus Abbas, Gemma, & alij, ex quibus potiora ſeligemus ad noſtrum inſtitutum.

Primo cum ex antiquiſſimo gentium more ignis accenſio, & luminum apparatus in ſignum lætitiæ introducta fuerint; rectiſſimæ Eccleſia hunc ipſum morem vſurpauit; atque præſcripſit accendi à fidelibus lumina in templis, & deferri candelas, & faces ardentes in Proceſſionibus in ſignum ſpiritualis lætitiæ: quia in nouo teſtamento, & lege gratiæ à Chriſto illuminati ſunt vera fide, & luce doctrinæ Euangelicæ, qua diriguntur ad lucem perpetuam Cæleſtis gloriæ: Sic teſtatur Ioannes in *Euangelio cap.* 1. dicens de Chriſto, *erat lux vera, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum*: quod olim vaticinatus erat Iſaias *cap.* 42. dicens: *dedi te in lucem gentium, vt aperires oculos cæcorum, vt educeres de Domo carceris ſedentes in tenebris &c.* Rurſum *cap.* 49. *Dedi te in lucem gentium, vt ſis ſalus mea vſque ad extremum terræ, & cap.* 60. *ambulabunt gentes in lumine tuo.* Hoc ergo proteſtatur Eccleſia pro ritu candelarum, & luminum, vt ſupra dicebamus cum D. Hieronymo, & alijs auctoribus ſupracitatis.

Secundo Delatio candelarum ac cenſarum deſignat exemplum bonorum operum, quò præſertim Eccleſiaſtici debent præire populo, & eum dirigere in viam ſalutis: vnde Chriſtus *Lucæ* 12. ſint *inquit lumbi veſtri præcincti, & lucernæ ardentes in manibus veſtris*: quæ verba ſic interpretatur Gregorius *homil.* 13. *in euang. lumbos ait præcingimus;*

cum

cum carnis luxuriam per continentiam coartamus: lucernas ardentes in manibus tenemus, cum per bona opera proximis noſtris lucis exempla monſtramus: de quibus operibus Dominus dicit, luceat lux veſtra coram hominibus, vt videant opera veſtra bona.

Notandum vero, quod indignè, & inutiliter lucernas, & candelas aliorum bonorum operum manibus tenet, qui lumbis non eſt præcinctus per caſtitatem: qui enim in ſe ipſo obſcurus eſt, & fædus, non poteſt alijs lucere: *nec opus bonum eſt aliquid ſine caſtitate*, ait Gregorius ſupra: faſcinum eſt enim amor laſciuus hominem dementans, & peruertens cor: vndè impudici potius tranſuertunt, & ſcandalizant ſimplices, quam ædificare eos poſſint ſic *Sap.4.* apertè dicitur *faſcinatio nugacitatis obſcurat bona: & inconſtantia concupiſcentiæ tranſuertit ſenſum ſine malitia*, ideſt ſenſum ſimpliciorum, & alias immunium à malitia.

Tertio candela accenſa myſticè eſt gladius præpotens militum Chriſti, & Eccleſiæ, qui in Proceſſionibus (vt ſupra diximus) procedunt, vt caſtrorum acies contra inimicos viſibiles, & inuiſibiles, videlicet Dæmones, & hæreticos. Gladius eſt enim verbum Dei, & doctrina Euangelica per candelas accenſas ſignificata ex Apoſtolo ſupracitato, quo lucis gladio confuſi, & perterriti Dæmones, & hæretici facilè ſuperantur: cum enim tota eorum vis in tenebris errorum, & fallaciæ, falſiſque ſuaſionibus ſita ſit; luce verbi Dei, & veritatis ſacrarum ſcripturarum facilè exinguuntur. In cuius figuram Gedeon *Iudic.6.* domuit Madianitas non ferro, ſed flammis: eoſque lucernis perterruit; & deleuit. Videri poteſt D. Auguſtinus *ſerm.39. de verbis Domini*, vbi notat milites Chriſti, & Eccleſiæ præcinctos cingulo militiæ Chriſtianæ, & armatos doctrina Euangelica in prælium acerrimum contendere.

Quarto ſicut ad cuſtodiam Paradiſi terreſtris deſtinatus fuit à Deo *Geneſ.3.* Angelus vibrans gladium ignitum, ſeù flammeum contra inſultus Dæmonum, & hominum; ita ad cuſtodiam Paradiſi Militantis Eccleſiæ deſtinantur Sacerdotes, & miniſtri flammeis gladijs verbi Dei munitis, qui per candelas deſignantur contra inſolentiam inimicorum.

Quinto flammis etiam, & luminibus vti ſolemus ad purgandas Domos, & vias ab aere infecto, & corrupto: ità pariter candelis accenſis, & luminibus vtitur Eccleſia myſticè ſignificantibus flammas orationum, & precum ad purganda templa; & vias expiandas, præſertim in Proceſſionibus à putredine, & fetore peccatorum, vt alias diximus ſupra *Punct.6. conſid.1.*

Sexto ante Altare vbi aſſeruatur Euchariſtia; ſemper lampas ardere debet, & in quolibet altari tempore Sacrificij duæ candelæ accenſæ requiruntur ex præcepto Eccleſiæ: in cuius figuram præcepit Deus in veteri teſtamento *leuit.6.* vt ignis ante altare ſemper arderet, in quo Dei Maieſtas adorabatur, & ei ſacrificia offerebantur. Hoc poſito inueſtigandum eſt Myſterium huiuſmodi ritus accenſæ lampadis ante Sanctiſſimum Sacramentum.

Aduertendum eſt ergo ignem, ſeù lumen eſſe vnum ex potiſſimis inſignibus Diuinæ, ac Regiæ Maieſtatis: hinc Deus ſæpius Moyſi in igne apparuit *E.G.* in flamma rubi, in deſerto, & in columna ignis, item in Monte ſina, & alibi Dauid *pſal.49.* Deus manifeſtè veniet; ignis in conſpectu eius exardeſcet, ideſt prælucebit tanquam vero Regi.

Sic olim Imperatoribus præferebatur ignis teſte Herodiano, vt refert Caſalius initio citatus, quia ignis eſt Symbolum, tum principatus, vt potè primus, ac princeps inter elementa virtute, ac ſplendore eminens, tum etiam fælicitatis potentiæ, & gloriæ: quibus attributis Deus per eſſentiam pollet, & deindè Reges, & Principes terræ per participationem;

Cum ergo in Sanctiſſimo Euchariſtiæ Sacramento verè, & realiter contineatur Chriſtus verus Deus, & verus homo Rex Regum, & Dominus Dominantium; meritò ante Altare vbi aſſeruatur Euchariſtia, & in alijs, in quibus idem Sacramentum conficitur in Miſſa, lampades, vel Cerei debent eſſe accenſi in ſignum Diuinæ Maieſtatis ibi latentis, & regalis dignitatis eiuſdem Chriſti.

Ad aduentum etiam Spiritus Sancti apparuerunt ſuper Apoſtolos diſpertitæ linguæ, tanquam ignis, vt potè deſtinatos ad prædicandam gloriam Chriſti: flammulæ autem lampadarum ardentium ſunt veluti linguæ igneæ glorificantes Deum: ſi quidem omnes Creaturæ laudant Deum *pſal.148.* ſed præſertim ignis ex ſupradictis.

Septimo accenduntur lumina, & cerei ante ſepulcra, & Reliquias Sanctorum: quo ritu proteſtamur eoſdem ſanctos in hac vita præfulſiſſe doctrina, & virtutibus, & in Cælo micare lumine gloriæ, vt ex D. Auguſtino *ſerm.215. de tempore* ex Molano, & alijs refert Caſalius *de veteribus ritibus cap.42.*

Tandem etiam in funeribus piè defunctorum vtimur Cereis, & facibus accenſis, in ſignum, quod licet corpora ſint extincta, animæ tamen eorum viuunt vita gratiæ: & ſi ſunt in purgatorio fulgebunt poſtea in gloria: quod & illis precatur Eccleſia dicens, *& lux perpetua luceat eis*, vt ex Nazianzeno, & alijs notat Caſalius vbi ſupra.

V. MYSTERIVM.

Latet in Ritu, quo procedimus à ſiniſtris ad dexteram, quando Proceſsio ſit intra eandem Eccleſiam.

CVm Proceſſio ſit typus noſtræ peregrinationis ad Patriam Cæleſtem, hoc ritu myſticè ſignificatur nos ab aduerſitatibus, quæ per ſiniſtram denotantur, & è miſerijs huius ſeculi patienter toleratis tranſire debere ad dexteram æternæ fælicitatis. Item per dolorem, & pænitentiam peccatorum ad iuſtificationem, & amicitiam Dei lætificantem animam: à mortificatione carnis, & paſſionum, ad guſtum, & delectamentum Spiritus. Tandem ab exilio ad patriam.

Simile Myſterium continetur in ſigno Crucis,

ſeu

ſeù in geſtibus, quibus ſuper nos formamus ſignum Crucis; primò enim manus demiſſione à capite ad imum pectoris ſignificamus Verbum Diuinum à Supremo Patre deſcendiſſe in vterum Virginis, & noſtram aſſumpſiſſe carnem. Deinde protenſione manus à brachio ſiniſtro ad dextrum denotamus per Crucem Chriſti fuiſſe nos translatos à ſiniſtris ad dexteram, ideſt à peccatis ad gratiam, à morte ad vitam gratiæ, & virtute Santiſſimæ Trinitatis.

Tandem omnes alij Proceſſionum ritus ſi profundè conſiderentur, ſinguli continent peculiare myſterium, videlicet Crucis prælatio, Ordo binius, Præitio iuniorum, obambulatio, Imaginum, & Reliquiarum delatio, & alij huiuſmodi, de quibus diximus *Punct. 6.* in conſiderationibus Rituum.

PVNCTVM X.

Explicantur ſalutaria documenta, quibus per Proceſſiones inſtruimur.

INitio præcedentis puncti notauimus ex Rituali Romano in Proceſſionibus, nedum contineri magna, & Diuina Myſteria: ſed etiam ſalutares Chriſtianæ pietatis fructus, de quibus fideles præmoneri, & erudiri debent à Parochis. Vt ergo nihil deſit huic operi, quod fidelibus prodeſſe poſſit ad vitæ ſpiritualis profectum, & Parochos adiuuemus ad ſuum munus implendum; explicabimus in hoc puncto nonnulla monita, & documenta ſalutaria ex grauibus auctoribus excerpta, præſertim è ſermonibus de Proceſſionibus Rogationum B. Auiti, & Venerabilis Cæſarij, qui habentur in Bibliotheca SS. PP. *tom. 7.*

Primum monitum ſit. Proceſſio in communi (*ut alias ſupra diximus*) eſt typus noſtræ peregrinationis ex hoc ſeculo in futurum; quæ ſicut, & proceſſio poteſt, & benè, & malè fieri. Bona peregrinatio eſt, quæ dirigitur per viam rectam mandatorum Dei, de qua Pſalmiſta *Beati* inquit *immaculati in via, qui ambulant in lege Domini*. Mala verò peregrinatio eſt, qua declinant peccatores in viam lubricam, & tenebroſam vitiorum, de qua dicitur *Prouerb. 4. via impiorum tenebroſa ne. ſciant vbi corruant.* De vtraque via nos admonuit Chriſtus *Matth. 7.* dicens *ſpatioſa via eſt, quæ ducit ad perditionem: & è contra arcta eſt via, quæ ducit ad vitam.* Vnde S. Ambroſius *in pſal. 1. Duæ* inquit *ſunt viæ, vna iuſtorum, altera peccatorum: iuſtorum via ſobrietatis anguſtior: impiorum via ebrietatis latior: Hic libertas cupiditatum, illic ſeruitutis iniuria: hic intemperatia gaudiorum, illic perſeuerantia lacrymarum &c.* & S. Baſilius pariter in *pſal. 1. Via* inquit *illa lata prono quę curſu decliuis habet decipientem dæmonem malum, qui per voluptatem ſe ſequentes ad perditionem trahit: aſperæ verò, & arduæ Angelus præſidet bonus, qui per ſtrenuos pro parandæ virtute labores ad finem beatum ſequaces ſuos deducit. Perpende ergo ò Chriſtiane quam viam calcas latam, an arctam, vitiorum an virtutum, & indè perſpicies an bonam, vel malam obeas proceſſionem, & peregrinationem: an tendas ad vitam vel potius ad perditionem.*

Secundo omiſſa impia, & damnata proceſſione, in qua Mundani ſequuntur diabolum; vera, & ſacra Proceſſio Eccleſiaſtica, quam ſupra deſcripſimus, eſt typus, & norma rectæ peregrinationis noſtræ ad Patriam Cæleſtem: vndè curſus vitæ præſentis, ſeù noſtræ peregrinationis dirigendus ad inſtar ſacræ proceſſionis Eccleſiaſticæ; Sicut ergo ſacræ proceſſiones certo cum ordine debent eſſe diſpoſitæ, prælata videlicet Cruce; & vt omnes poſt Crucem bini incedant, & ſuo loco incedant non nimis diſtantes à præeuntibus, & ſequentibus, nec nimis prope eoſdem; ita pariter certo cum ordine vitæ noſtræ curſus debet eſſe diſpoſitus iuxta monitum *Apoſt. 1. Corinth. 14. Omnia honeſtè, & ordinatè fiant in Vobis.* Volenti ergo vitam honeſtam ducere, & rectam agere peregrinationem ad patriam; præire ſemper debet Crux Chriſti; ac eum meminiſſe ſe Chriſto nomen dediſſe, & ſub eius ſignis militare: decet etiam, vt pius fidelis ad omnem ferè actionem præmittat ſignum Crucis, dum primò mane ſurgit è lecto: dum Domo egreditur; dum intrat Eccleſiam, ante cibum, & potum, ante cubitum, vt ſupra diximus *punct. 6. conſider. 2.*

Deinde ſub vexillo Crucis proſequens ſuam peregrinationem ſocium ſibi conſtituat ſuarum actionum cuſtodem, & directorem, vel doctum confeſſarium, vel alium viæ, & vitæ ſpiritualis expertem, nec quiſquam ſuæ innitatur prudentiæ.

Item ſuum locum, & debitam ſeruet proportionem, nè nimis elongetur ab alijs, quaſi eos abhorrens, vel ſpernens; nec nimia familiaritate ſe alijs coniungens, præſertim perſonis ſuſpectis, quæ præbere poſſunt occaſionem ruinæ.

Tandem conſtituendus eſt certus ordo cunctis diei operationibus; & aſſignandæ ſunt horæ determinatæ: Orationi, auditioni Miſſæ, recitationi Officij, vel Roſarij, negotijs domeſticis, vel quibus incumbendum eſt ex officio refectioni &c. atque concludendum iter diei diſcuſſione, ſeù examine conſcientiæ ante cubitum. Sic quiſque quotidie bonam proceſſionem bonum peraget iter magis appropinquans ad Cæleſtem Patriam.

Tertio ſicut obeuntes proceſſionem prohibentur otioſè immorari vanis ſpectaculis, & eiſdem vetantur vana colloquia ritus facetiæ, & alia huiuſmodi, vt ſupra de ritibus, & infra dicemus dum de abuſibus proceſſionum; ſic peregrinantibus ad Cælum interdictum eſt immorari terrenis oblectamentis, & delitijs huius ſeculi, quæ illos auertunt à progreſſu ad cæleſtem gloriam: vnde *Apoſt. 1. Corinth. 7. Tempus inquit breue eſt, reliquum eſt, vt qui vtuntur hoc mundo ita ſe gerant, tanquam non vtantur*, & alibi *dum tempus habemus operemur bonum: præterit enim figura huius mundi* Pulchrè Auguſtinus *tract. 40. in Ioannem* loquens de modo vtendi diuitijs, & alijs rebus huius ſeculi, vtere inquit eis quemadmodum viator in ſtabulo, ſeù hoſpitio vtitur menſa, calice, vrceo, dimiſſurus non permanſurus. O ſi bene cogitaremus quam breue tempus ſit huius vitæ, & peregrinationis no-

ſtra; quam cito vo let irreuocabile tempus ad merendum, & benè operandum deſtinatum: certè non nos implicaremus ſuperfluis negotijs huius ſeculi, non nugas, & vana oblectamenta proſequeremur: ſed ad iudicium nos comparare ſtuderemus: quod enim nunc negligimus per totam æternitatem recuperare non valebimus.

Quarto quandiù durat ſacra Proceſſio Eccleſiaſtica ſemper orandum eſt: nec præces intermittendæ, donec ad deſtinatum terminum peruentum ſit. Cum ergo ſacra Proceſſio, vt dictum eſt, ſit typus, & norma curſus præſentis vitæ, & rectæ peregrinationis ad patriam; idem quoque faciendum in toto progreſſu vitæ noſtræ; Sic Chriſtus *Lucæ* 18. *oportet* inquit *ſemper orare, & non deficere*. Ratio eſt quia tot ocurrunt quotidie difficultates, & ærumnæ, vt tota vita hominis videatur eſſe tentatio, & pugna, quare cum homo ſit infirmus, & impotens ad eas ſuperandas debet auxilium, & robur aſſiduè petere à Deo, nè ſuccumbat, & ſic tota vita degentibus in hoc ſeculo debet eſſe oratio.

Dictum eſt autem ſemper orandum, ideſt frequenter, & crebro; atque vt nihil fiat, niſi præmiſſa oratione, quodque ad Dei gloriam non referas: vndè dicere ſolemus ſemper ſtudere eum, qui frequenter, & diligenter ſtudet ſic exponit Beda addens *ita ſemper inquit orat, qui ſemper ſecundum Deum operatur*: & gloſa *ſemper orat qui ſemper benè agit*.

Quinto quoties ad proceſſionem quamlibet fideles conueniunt, ita ſinguli ſerio intra ſe diſcurrant. Hæc proceſſio cui viuus interſum, monet, quid in meo funere breui futurum eſt. Efferar mortuus, cadauer effectus in proceſſione canentium, *Requiem æternam*. Plures antecedenti anno ſimili proceſſioni interfuerunt, nunc mortui ſunt, & amplius non apparent: moriar, & ego, & inter viuos amplius non ero: agere nunc deberem, quod moriturus cupiam egiſſe. Hæc cogitet Chriſtianus, & mortem præueniat, nè improuiſa morte pereat.

Tandem mementote vltimæ proceſſionis celebrandæ in die Iudicij, quando prælata Cruce ſupremus Iudex eſt venturus cuncta ſtrictè diſcuſſurus: hoc ſignum Crucis erit in Cælo cum Dominus ad iudicandum venerit. Proceſſio erit terribilis impijs, iucunda electis, innumeris compoſita Angelorum cœtibus, & omnes Angeli eius cum eo; Tandem diſcuſſis ſingulorum Cauſis, & pronunciata Sententia; procedent, qui bona egerunt in reſurrectionem vitæ, qui verò mala egerunt maledicti à Iudice in ignem æternum præcipitabuntur. Quilibet ergo curare debet, vt benè viuendo maledictionem illam euitet ſæpius orando.

Confutatis maledictis
Flammis acribus addictis
Voca me cum benedictis.

PVNCTVM XI.

De excellentijs, & prærogatiuis Proceſſionum.

EX hactenus dictis poteſt facilè colligi, quam ſublimis dignitatis, & excellentiæ ſint ſacræ Proceſſiones; atque adeo collocandæ inter primarias Eccleſiæ functiones: quarum prærogatiuas ſparſim ſupra explicatas hic breuiter in vnum collectas, vt melius innoteſcant, inſinuabimus.

I. Proceſſiones ob magna, & diuina Myſteria, quæ continent fuerunt in veteri Teſtamento præfiguratæ, vt ſupra fusè explicatum eſt *Punct.* 3.

II. A Chriſto Domino in aliquibus eius itineribus delineatæ fuerunt, vt ſupra eodem *Punct.* 3.

III. Fuerunt ab Apoſtolis inſtitutæ eodem *Punct.* 3.

IV. A Sanctis Patribus doctrina, & exemplo comendatæ, & illuſtratæ *Punct.* 3.

V. Ab Eccleſia Multiplici Sacrorum Rituum ornamento decoratæ ſupra *Punc.* 6.

VI. Sunt Scholæ Virtutum celebres, in quibus appræhenditur vera pietas, & deuotio, fraternæ charitatis ſocietas, aſſiduæ orationis feruor, mortificationis, & pœnitentiæ exercitium, patientia, obedientia, modeſtia &c. ex dictis ſupra *Punc.* 6; 9; & 10.

VII. Sunt publicarum viarum, & agrorum expiatrices *Punc.* 6. *conſid.* 1. Et irati nobiſcum Diuini numinis reconciliatrices ibidem, & *Punc.* 8.

VIII. Perfecti ordinis Hyerarchiæ Eccleſiaſticæ exemplaria *Punc.* 6. *conſid.* 4.

IX. Dei vbique locorum præſentis, & vbique colendi teſtes manifeſtæ, diuinique cultus organa inſignia *Punc.* 6. *conſid.* 1. & *Punc.* 7. §. 1.

X. Sunt firmum præſidium contrà omnes calamitates; & gratiarum Dei implocatrices efficaciſſimæ *Punc.* 7; & 8.

XI. Peregrinationis noſtræ ad Patriam Cæleſtem directrices tutiſſimæ *Punc.* 9. *Myſter.* 1.

XII. Sunt Caſtrorum acies ordinatæ Militantis Eccleſiæ, Dæmonibus terribiles. *Pun.* 9. *Myſt.* 2. & Panoplia ſpiritualium armorum, ibidem.

XIII. Sunt iucundæ Virtutum choreæ, æmulæ chorearum Cæleſtium *Punc.* 9. *Myſt.* 3.

XIV. Verbi Dei, & Doctrinæ euangelicæ præcones eximiæ, ac pariter gloriæ Sanctorum *Punc.* 9. *Myſt.* 4.

XV. Salutarium documentorum promptuaria ſacra *Punc.* X. per totum.

XVI. Tandem ſunt gratiarum, & donorum Dei conſeruatrices fideles cum fœnore, & incremento nouarum Dei miſerationum: quatenus Proceſſiones inſtituuntur in gratiarum actionem pro collatis à Deo beneficijs; Sicut enim ingratitudo exiccat fontem Diuinæ pietatis, ità è contrà gratitudo aperit venas, & fluenta gratiarum, præſertim dum earum recognitio à Deo, & gratiarum repenſio publicè fit, & nomine Eccleſiæ, & communitatis in ſacris Proceſſionibus: vt fuſius dicemus *ſect. ſequenti Punc.* 12.

PVN-

PVNCTVM XII.

De Abuſibus in qualibet Proceſsione vitandis.

INimicus humani generis ſeminator zizaniarum in medio tritici nihil intentatum omittit, quo ſacras functiones deprauare poſſit, aut minus pias, & fructuoſas reddere, ita vt etiam tremendum Miſſæ Sacrificium, quo nihil ſanctius, & diuinius excogitari poteſt, fœdare nitatur, ſuggerendo Sacerdotibus neglectum ſacrorum Rituum, nimiam feſtinantiam, immodeſtiam externam, & interiorem cordis impuritatem, atque alia ſtatui gratiæ oppoſita, quibus ipſa celebratio redditur ſacrilega; ad quam impietatem vitandam extat decretum *Conc. Trid. ſeſſ. 22. de obſeruandis, & vitandis in celebr. Miſſæ*; & nos plura notauimus in *comment. ad Rubricas Miſſalis*.

Nil ergo mirum, ſi Dæmones etiam in Proceſſionibus abuſus ſeminent, tendiculas parent, & viribus omnibus eas deprauare nitantur. Adhas ergo Dæmonum inſidias vitandas, opere pretium videtur hic frequentiores proceſſionum abuſus patefacere, & contraria antidota proponere: vt his adhibitis rectè emeritoriæ proceſſiones obeantur.

I. ABVSVS.

Turbatio ordinis Sacrarum Proceſſionum.

DE hoc abuſu ſic ſcribit S. Bernardus *ſerm. in feſto Purificat. B. V. Turbat Proceſſionem, qui ſuo loco, & debito ordine non incedit: nec ſibi ſoli nocet, ſed etiam cæteris eſt moleſtus: hi ſunt qui ſegregant ſemetipſos, animales ſpiritum non habentes, nec ſolliciti ſeruare vnitatem ſpiritus in vinculo pacis.*

Huic malo occurrendum eſt conſideratione tot, pium effectuum, quos cauſat: indè enim non modicum decoris, & Maieſtatis Sacris Proceſſionibus detrahitur: minuitur Cultus Diuinus primo, & principaliter in eis ab Eccleſia intentus, & ſubtrahitur Angelis, & hominibus pijs oblectatio, quam ex bene ordinata proceſſione capere ſolent.

Inſuper turbantes, & confundentes proceſſionis ordinem aſſimilantur habitantibus in inferno, vbi nullus ordo, ſed ſempiternus horror inhabitat: contemnunt monitum *Apoſtol. 1. Cori nth. 14*; vbi ait, *omnia ſecundum ordinem fiant in vobis*, nec obediunt Eccleſiæ, & Concilijs, quæ confuſionem præſcripti ordinis abhorrent, & vetant: vt conſtat ex Concilio *Calon. 3. tit. cenſuræ can. 22*; & ex *Rituali Romano tit. de Proceſſionibus*. Tandem in ſe prouocant maledictionem: cum ſcriptum ſit *Ierem. 41. maledictus qui facit opus Dei negligenter*, ſeu fraudulenter.

II. ABVSVS.

Immodeſtia; & vagus oculorum aſpectus.

CVm Seraphim cæleſtes aſſiſtant ante Deum facies ſuas velantes præ reuerentia Diuinæ Maieſtatis *Iſaiæ 6*; vt ex ipſis diſcant omnes, quo pudore, & qua reuerentia accedere debeant ad Deum in orationibus, & qua modeſtia, & religione aſſiſtere fas ſit diuinis laudibus; vt exponit Chryſoſtomus *ſermone 4. de hac viſione Iſaiæ*. Certè acriter ſunt obiurgandi homunciones, qui in publicis Proceſſionum ſupplicationibus cum Deo tractantes, abijciunt velum modeſtiæ, pudoris, & reuerentiæ: & vago oculorum aſpectu ad quæcumque obuia diſtrahuntur: non ſine ſcandalo puſillorum, & ſuarum animarum periculo, quod præſertim imminet ex curioſa, vel incauta fæminarum inſpectione.

Vt ergo hi impudentes reſipiſcant aduertere eos oportet, quam turpis, & plena periculis ſit huiuſmodi oculorum licentia, & quam neceſſaria eorundem oculorum cuſtodia.

Primò ex Sacris ſcripturis: nam *Eccleſ. 9.* ſcriptum eſt *propter ſpeciem mulieris multi perierunt*, & *cap. 42.* dicitur *omni homini noli intendere in ſpecie*: hoc eſt nullius faciem fixius intuearis. Ratio eſt quia oculi ſunt veluti proxenetę peccatorũ, & præſertim laſciuiæ *Thren. etiam 3.* dicitur *oculus meus deprædatus eſt animam meam*, quod Chryſoſtomus explicat exemplo furis intrantis per feneſtras ad diripiendam Domum; ſic enim Diabolus intrat per feneſtras oculorum ad deprædandam animam.

Deindè ex doctrina SS. PP. ſatis liquet quam facilem viam ad laſciuiam parent oculorum coniectus, & intuitus; de qua re legi poſſunt Clemens Alexandriuus de *Pædag. cap. 11.* Baſilius *orat. 8. de temper.* Ambroſius *de Ioſeph. cap. 5.* Chryſoſtomus *homil. 2. de patientia*, & alij paſſim: qui ergo animæ, & caſtitati conſultum eſſe deſiderant, oculos compeſcant, & auertant à fæminis, ab adoleſcentibus, & alijs, in quibus ſubeſſe poteſt periculum: imo, & procul ſint ab illis, quaſi à Baſiliſcis, qui viſu ſe videntes necant.

Hugo etiam Cardinalis Sacrarum litterarum peritiſſimus in illum verſic. *Pſalmi 118. Auerte oculos meos nè videant vanitatem &c.* Sex affert cauſas huius petitionis Pſalmiſtæ, nè inquit prouocetur concupiſcentia, nè turpis imaginatio imprimatur, nè generetur praua cogitatio in mente, nè cor dilaceretur, & deprædetur: nè ratio amittatur: nè veluti abortiuum fiat, ideſt bonum propoſitum extinguatur.

Proderit etiam plurimum ad hunc abuſum vitandum conſiderare exempla Sanctorum, quorum plures parati fuerunt eruere potius ſibi oculos (ſi liceret), quam illis male vti: memores ſententiæ Chriſti, *ſi oculus tuus ſcandalizat te erue eum, & proijce abs te &c.* inter quos fuit noſter B. Andras

dreas Auellinus Cler. Reg. vt legitur in eius vita,

Memorabile eſt etiam, quod legitur de B. Vgone Gratiopolitano Epiſcopo, cum enim per annos 52. eidem Vrbi præfuiſſet, & plurium mulierum crebro etiam confitentium excepiſſet confeſſiones nullam tamen ex facie, ſed ſolum ex voce aliquas agnouit: & hoc modo viri iuſti, & ſancti cautè pericula impudicitiæ euaſerunt; è contra viri alias Sanctiſſimi, & ſapientiſſimi ex oculorum licentia in lapſum ruerunt: vt conſtat de Dauid, Salomone, Sanpſone; alijſque pluribus, quorum exempla nos cautos facere debent.

III. ABVSVS.

Nugæ, & riſus.

DAmnatur expreſsè hic abuſus in Rituali Romano Pauli V. *tit. de Proceſſion.* initio his verbis. *Procedant omnes grauiter, & deuotè: ac ſacris præcibus ità ſint intenti, vt remoto riſu, mutuoque colloquio, & vago oculorum aſpectu; populum etiam ad piè, deuotèque præcandum inuitent.*

Ratio autem, quæ mouit Summum Pontificem ad hoc ſtatuendum, & remouere debet omnes præſertim Eccleſiaſticos Proceſſionibus intereſſentes à riſu, & mutuo colloquio; & à fortiori à verbis ſcurrilibus, & chachinnis; ratio inquam eſt, quia Proceſſiones ſunt inſtitutæ ad orandum, & colloquendum cum Deo, ad ipſum Deum laudandum, & glorificandum ſacris præcibus: Eſt autem non modica irreuerentia eo tempore, quo quis cum Deo loquitur, ipſo poſthabito, diuertere ad colloquia impertinentia cum hominibus.

Confirmatur, nam etiam inter homines non parua irreuerentia cenſetur loqui cum Principe, & ad ipſum non attendere, ſed cum alijs nugari: multo ergo turpius eſt ſic cum Deo agere. Hinc S. Bonauentura *lib. de Perfec. vitæ cap. 5. Valdè inquit indecens eſt, vt quis cum Deo loquatur ore, & aliud corde meditetur: talis oratio nunquam exauditur à Deo:* ſi ergo voluntaria ſolius mentis diſtractio indecentem reddit orationem, & infructuoſam, multo indecentior, & vana erit oratio miſta cum riſu, & confabulatione: id enim omninò deſtruit etiam externam ſpeciem orationis, ita vt nullo modo dici poſſit actus pius, ſed potius vitioſus, vt cum D. Thoma 22. *qu.* 83. *ar.* 3. docent communiter Theologi.

Ponderãdum eſt etiam id, quod Chriſtus Dominus præcepit diſcipulis *Lucæ* 10. quando miſit illos binos ad prædicandum, videlicet *neminem per viam ſalutaueritis*: hoc eſt nihil agatis, vel dicatis, quod vos poſſit diuertere ab iniuncto munere, etiam ſi ad vrbanitatem pertinere videatur: adeo attentos nos eſſe volens Chriſtus in ſacris functionibus peragendis, & vni Deo vacare; vt etiam ſalutationes prohibeat: meritò ergo ab Eccleſia prohibentur in Proceſſionibus mutua colloquia, riſus &c.

Omnia tempus habent ait *Eccleſ. cap.* 3. tempus flendi, & tempus ridendi; tempus loquendi: & tempus tacendi. quid ergo ridetis in proceſſionibus, quando eſt tempus flendi propria, & aliorum peccata, & placandi Deum per pænitentiam,

Quamuis autem moderatus riſus ſit, quandoque permiſſus; nihilominus dum ſuſcipitur, quando non debet, error eſt, & deceptio iuxta illud *Eccleſiaſt. cap. 2. riſum reputaui errorem, & gaudio dixi, quid fruſtra deceperis*: quem locum interpretatur S. Bernardus *in Biblioth. PP. ſerm. 64. & 65.* de riſu tempore incongruo ſuſcepto: tempore autem ſacrarum Proceſſionum nedum ſuſcipi non debet riſus, ſed eſt expreſsè prohibitus: conſequenter manifeſtus error, Sanctus etiam Baſilius *in Regulis breuioribus Reſpon.* 31. videtur abſolutè damnare riſum in hac vita: quia præſens vita eſt pænitentiæ, & luctus, futura vero gaudij, & riſus. Vndè Chriſtus ſæpius legitur fleuiſſe, at riſiſſe nunquam, vt aduertit S. Auguſtinus *ſerm. 35. de ſanctis*. Cæterum hoc potius ſpectat ad conſilium, & ad eximiam vitæ perfectionem. Concedendum eſt ergo riſum moderatum, quandoque eſſe licitum, vel permiſſum, videlicet tempore deſtinato ad honeſtam animi remiſſionem: è contrà quando ſoli Deo vacandum eſt in oratione, & inter ſacras functiones eſt omnino illicitus, & reputatur error. Vndè diſtinguenda ſunt tempora; & obſeruandæ actionum conuenientiæ; vt impleatur dictum Eccleſ. ſupra tempus flendi, & tempus ridendi, Hinc ſapienter Boetius *lib. 2. de conſol. metro.* 6,

Signat tempora proprijs
Aptans officijs Deus
Nec quas ipſe coercuit
Miſcendi patitur vices

An autem inter ſacras Proceſſiones ſint licita tripudia, Choreæ, vel ſaltationes: dicemus infrà *ſect. 3. Punc.* 3. circumſtantia quomodo,

---

IV. ABVSVS.

Habitus, ſeù veſtitus indecens.

EX Rituali Romano ſæpius citato habitus conuenientium ad proceſſiones debet eſſe decens, & cuiuſque ſtatui, vel ordini accommodatus. In quo delinqui poteſt dupliciter, vel per defectum, vel per exceſſum.

Per defectum, ſi veſtes ſint laceræ, vel ſordidæ, vel alias nimis viles, & indecoræ. Alia enim tunica Clericum decet, vt potè ſacris Monaſterijs addictum; alia Anachoretam. Hinc Clemens *lib. 3. Pædag. cap.* 11. *Congruunt inquit veſtes ætati, perſonæ ſtudio, ſeù officio.* Ex Philo *de fortidi:ea inquit ſit Clericorum veſtis, quæ eos ſemper decoris honeſtiſque admoneat.* D. etiam Bernardus, vt refert in eius vita Godefridus Clareuall: dicere ſolitus

erat,

erat, *in veſtibus paupertas mihi ſemper placuit: ſordes autem nunquam.*

Per exceſſum è contra delinquitur, ſi habitus, ſeù veſtitus ſit ſupra ſtatum vel ordinem: nimis prætioſus, aut arrogans, & ſuperbus: & quidem vana hæc arrogantia indigna eſt viro Eccleſiaſtico; vndè *Eccleſ.*11.habetur. *In veſtitu, nè glorieris vnquam.* Et Chyſoſtomus *homil.* 2. *in epiſtolam* 1. *ad Thimoth: Muliebre ait; hoc eſt tineæ huius te gloria priuabunt: gloriaris in re, quam vermes gignunt, & perdunt. Si veſtem prætioſam poſſidere cupis clariſſimam, indue ſtolam, quam Deus ſe diligentibus præparat.* Plura legi poſſunt apud Tertull; & apud S.Cyprianum *de habitu Virg.*

Seruanda eſt etiam menſura Sacris Canonibus præſcripta circa habitum Cleric., qua plures abutuntur in duo extrema deflectentes: Aliqui enim vtuntur veſtibus breuioribus non vltra genua: tanquam æquitare volentes, non ſacra celebrare; Alij contrà longioribus gaudent, ac ſi eſſent Prælati, quos repræhendit Clemens Alexand. ſupra cit. *cap.* 10. vbi ait *trahere veſtes ad ſummos vſque pedes demiſſas, valdè eſt arrogans, & ſuperbum.* Fugienda ſunt itaquè extrema vitioſa, & medium virtutis eligendum; vt habitus ſit decens, & menſuratus vſque ad collum pedis pertingens non vltrà defiues. De qua re videri poſſunt Concil. Conſtant. *ſeſſ.*14. Clem. *Quoniam de vita, & honeſ. Cler.* in Concil. Viennenſi editam, & Concil. Trid. *ſeſſ.* 14. *de reform. cap.* 6. & idem Concil. *ſeſſ.* 22. *de reform. cap.* 6. præcipiens etiam Clericis delationem tonſuræ, de quibus nos etiam fusè tractauimus in *Comment. ad Rub. Miſſalis p.* 3. *tit.* 6. *ſect.* 1.

Supereſt, vt aliqua dicamus de Regularibus ad proceſſiones conuenientibus, qui cum inter ſe differant, variorum ordinum inſtitutis, ſinguli tenentur geſtare proprium habitum ſuæ Religionis: ſeruatis Regulis, & menſuris præſcriptis per Conſtitutiones cuiuſque Ordinis.

Dolendum eſt tamen non deeſſe inter Regulares, qui ſui obliti inſtituti, & arctioris vitæ generis, quod profitentur, ad vitia ſecularium declinant, vel potius ad vitia phariſæorum, quos Chriſtus repræhendit in Euangelio: ſi quidem more phariſaico dilatant philacteria, & magnificant fimbrias, raptant veſtes, & lacinias trahunt; vt indè ſibi gloriam aucupentur: quos meritò repræhendit Clemens Alexandrinus loco ſupracitato: nec enim tali veſtium pompa ſibi gloriam parant, ſed potius confuſionem: ſi quidem vtentes contra Regulam veſtibus amplioribus, & defluentibus in terram; non veri Religioſi æſtimantur, ſed ſpurij ſuæ Religionis.

In Chronicis Fratrum Minorum legitur de Fratre Elia humana prudētia tumidum eum receſſiſse à regulis ſui Ordinis, tū in alijs, tū præſertim à forma, & mēſura præſcripta Religioſi habitus, atque adeo ipſe Frater Elias vtebatur tunica ampliori, & in terram defluenti: quod vbi neſciuit S.Franciſcus ordinis inſtitutor; vocauit ad ſe, multis præſentibus, prædictum Eliam eo vano habitu indutum, rogauitque, vt eam tunicam ſibi tantiſper concederet, qua ſe ipſum induit Santiſſimus Patriarcha, & coram omnibus deambulare cæpit erecta ceruice, & gloriabundo vultu, ſalutando ſæpius adſtantes, quaſi plauſum petens, & ambiens: deindè magno ſpiritus impetu à ſe tunicam illam abijciens proiecit in terram, & pedibus eam conculcans dicebat, qui talem habitum affectant, non ſunt veri Fratres minores, ſed illegitimi, & ſpurij, deſtructoreſque Ordinis. Atque hæc dixiſſe ſufficiat de hoc abuſu, plura legi poſſunt apud noſtrum D.Antonium Caracciolum *in Synopſi veterum Religioſorum Rituum p.*2.*cap.*2.

V. ABVSVS.

Contentiones, & rixæ de præcedentia, & loco honoratiori.

HIc abuſus valdè eſt periculoſus; facilè enim in contentionibus huiuſmodi à verbis deuenitur ad contumelias, & verbera, ad vulnera, & cædes.

Ad confundendos autem huiuſmodi ambientes locum honoratiorem proderit plurimum conſiderare exempla Chriſti, & Sanctorum.

Primò enim Chriſtus verus Deus de Cælis ad Terram deſcendens, & homo factus, voluit naſci in ſtabulo, lauare pedes diſcipulorum, Barabbæ poſtponi, & humiliari vſque ad mortem Crucis, qui contentione orta inter diſcipulos, quis eorum videretur eſſe maior, ſic eos admonuit: *qui maior eſt veſtrum, fiat ſicut minor: &, qui præceſſor eſt, tanquam Miniſtrator: ego autem in medio veſtri ſum, ſicut qui miniſtrat Lucæ* 22.

Deindè Sancti omnes, & veri ſequaces Chriſti infimum ſemper locum elegerunt in terris, vt eſſe poſſent ſublimes in Cælis: in antris, & cauernis terræ ſe plures abdiderunt, vt honores fugerent, atque maluerunt habitare cum beſtijs, quam ab hominibus exaltari, de quibus exemplis plenæ ſunt hiſtoriæ Eccleſiaſticæ, & vitæ Sanctorum. S.Franciſcus Aſſiſinates ſuos alumnos voluit appellari minores; & alter Franciſcus à Paula Minimos, & quod magis facit ad rem noſtram PP. Capuccini veri imitatores ſui Patris quo ad locum proceſſionum, ſic ſtatuerunt in ſuis Conſtitutionibus. De loco, aut præcedentia in Proceſſionibus nemo cum alijs diſputet, ſed eo loco contenti ſimus, qui ab Epiſcopo nobis aſſignatus fuerit; licet infimus eſſet: memores moniti Chriſti, recumbe in nouiſſimo loco &c.

Ratione quoque ſuadetur inferioris loci electio, tum quia homines oderunt ambitioſos, eoſque deprimunt, è contra humiles extollunt. Tum quia vera gloria eſt, quæ datur, non ambitur. Tandem quia Deus æterna ſua lege ita ſanxit, vt humiles exaltentur; ſuperbi deijciantur. Vndè Chriſtus *Lucæ* 14. cum conſuluiſſet ſuos vade, & recumbe in nouiſſimo loco, ſubiunxit: quia *omnis, qui ſe exaltat humiliabitur, & qui ſe humiliat exaltabitur.*

Non ergo curandum eſt, quo loco, vel poſt quos collocemur, ſed potius, vt cum ijs, quibus aſſocia-

BIBLIOTECA ... P.C... VITTORIO ...

aſſociamur benè nobis conueniat, eiſque amicitiæ ſigna oſtendamus: etenim qui loci cauſa iraſcitur, is magis ei iuxta quem poſitus eſt, quam collocanti iraſcitur, & vtrique fit infenſus.

Denique ſciant auctores rixarum, & contentionum ſe agere partes Diaboli, & vltro victoriam Demonibus concedere contra Eccleſiæ Milites. Cum enim Proceſſiones, vt ſupra dicebamus, ſint veluti Caſtrorum acies ordinatæ contra Dæmones; dum ipſi Eccleſiæ Milites inter ſe ipſos rixantur, & digladiantur; diſſipatur, & deſtruitur exercitus Eccleſiaſticus iuxta illud Apoſtoli *ad Galat.5. ſi inuicem mordetis, & comeditis, videte nè ad inuicem conſumemini*: ſi quidem quando diſſidium eſt inter milites vnius exercitus, hic facilè ſuperatur ab exercitu contrario: conſequenter, ſi in myſtico Proceſſionis exercitu ſint rixæ, & diſſidia, contentiones, & æmulationes; triumphabit de eo contrarius Dæmonum exercitus.

Ad cuius veritatis confirmationem placet hic referre verba Eruditiſſimi Cornelij a Lupide in locum *Prouerb. cap. 25. in loco magnorum ne ſteteris &c.* vbi ſic inquit. *Noli contendere de loco, etenim hæ contentiones naſcuntur ex ambitione, creantque periculum mali exitus belli cum magna multorum clade. Sane in Belgio ſæpe vidimus exercitus potentes profligari, aut diſſolui, eo quod Capitanei inter ſe de loco certarent nec alter alteri cedere vellet. Quocirca priſci Romani hanc non generoſitatem, ſed ſtoliditatem cenſebant: eamque morte puniebant*, Hæc Cornelius. Nec deſunt exempla in Sacra Scriptura ruinæ exercituum, verſo gladio vniuſcuiuſque contra proximum ſuum, vt contigit inter Filiſteos 1. *Reg.* 14; & inter Madianitas *Iudic. 6.* & alibi ſæpius.

Caueant ergo fideles huiuſmodi contentiones, & rixas inter ſe, præſertim in Proceſſionibus, nè ſe ipſos deſtruant, & fiant captiui Dæmonum.

VI. ABVSVS.

Ientacula, & Commeſſationes.

Vitium gulæ, nec tempus congruum obſeruare ſinit, nec locum aptum eligere, vt ſeruiatur ventri: quarè in publicis, & ſacris noſtris ſupplicationibus, ſi paulò procedatur longius, non verentur plures ad ientacula, & commeſſationes diuertere, ſiue eſcas ſecum deferant, ſiue emant in via: tanquam ſi animi tantum cauſa ruſticatum, vel ambulatum irent. Cum tamen quando celebrantur ſacræ Proceſſiones, non ſit tempus replendi ventrem eſcis terrenis, ſed mentem pijs affectibus: vndè Sidonius *lib.5.epiſt.14.hebetantur inquit ſupplicationes prandiorum obicibus*.

Contra hunc abuſum clamant Sanctiones Eccleſiaſticæ: ſi quidem in Conc. *Colon.3. tit. cenſuræ* ſic habetur. *In Proceſſionibus Clerici non diuertant ad ientacula*, & in Rituali Romano *tit.de Proceſſ.* ſic ſtatuitur edendi, ac bibēdi abuſū in Proceſſionibus tollere Parochi ſtudeant; & fideles quam hæc dedecear corruptela ſæpius admoneant.

Clamat etiam *Apoſt.1. Corinth.11. Nunquid Domos non habetis ad manducandum, & bibendum: aut Eccleſiam Dei contemnitis*: & ob eandem rationem dici poteſt, nunquid ſacras Proceſſiones contemnitis, contemnunt enim ſacras ſupplicationes, qui eas interrumpunt, & à Deo diuertunt, vt vacent Crapulæ, & ventri; & meritò hic abuſus corruptela dicitur: vndè idem Apoſt. ſupra *cap. 6. ait eſca ventri, & venter eſcis. Deus autem, & hunc, & has deſtruet*, ſuper quem locum Athanaſius ad Antiochum, *qui Crapulæ* ait, *ventrique deditus eſt, non poteſt Deo ſeruire, ſed ſui ipſius ventris ſeruus eſt: ideo abolebit illum Deus*.

Dicet fortè aliquis. Diuertere ad ientacula, cum fiunt Proceſſiones, non excedit culpam venialem: cur ergo abolebit Deus leuiter peccantes.

Reſpondeo etiam, culpas veniales mereri diuinam indignationem; & quamuis pœna pro illis inflicta videatur hominibus excedens; nihilominus conſiderata Dei offenſa, & prauo exemplo, quo poſſunt alij ad ſimilia peccata induci, non eſt improportionata culpæ. Sic Hæbrei, qui nauſeantes Manna è cælo præſtitum carnes in deſerto appetiuerunt, grauiter à Deo puniti fuerunt, vt habetur *pſal.77. Adhuc eſcæ eorum erant in ore ipſorum, & ira Dei aſcendit ſuper eos*, ſic in caſu noſtro oratio eſt Manna Cæleſtis, qua mens impinguatur in Proceſſionibus: qui ergo ea deſpecta, diuertunt ad tabernas, & eſcas corruptiles, iram Dei merentur.

Narrat D. Gregorius *lib. 1. Dialog.* Monialem quandam comediſſe Lactucam non impetrata licentia, & benedictione à ſua Abbatiſſa, vt erat præſcriptum in Regula, & in pœnam ſtatim malignus Spiritus eam inuaſit.

Simile etiam exemplum habetur in hiſtorijs Fratrum Prædicatorum *p. 1.lib.1.cap. 60.* inuaſerat enim Dæmon quendam Fratrem Laicum, & dirè illum vexabat; aderat tunc in eo Conuentu S. Dominicus Patriarcha, qui compulit Dæmonem reuelare, quam ob Cauſam Deus illi permiſerat, vt ſuum Religioſum adeò vexaret: reſpondit Dæmon, quia auſus fuit bibere ſine licentia, & benedictione Superioris contra Regulas: Timeant ergo qui contra Statuta Eccleſiæ, ſeu Summorum Pontificum, & conciliorum non verentur à Proceſſionibus ad ientacula diuertere.

PVN-

PVNCTVM XIII.

De bono vſu Proceſsionum, ſeù De medijs adhibendis ad ſanctè celebrãdas Proceſsiones, & ad omnes pariter tollendos abuſus.

IN Superiori puncto conati ſumus ſuggerere media particularia, ſingula contra ſingulos abuſus: in præſenti verò proponemus media vniuerſalia, quæ pariter valent contra omnes abuſus, atque mirificè diſponunt ad piè, & deuotè, ſanctèque obeundas Proceſſiones.

Primum, & præcipuum medium eſt præparatio à ſingulis præmittenda ante acceſſum ad ſacras, & publicas ſupplicationes, & hæc quidem neceſſaria eſt ante omne opus bonum magni alicuius momenti, præſertim publicum, & ante omne graue negotium ſerio gerendum; ſacræ autem Proceſſiones, & ſupplicationes ſunt functiones publicæ, & non leuis momenti.

Probatur primò hæc præparationis neceſſitas ex doctrina Chriſti *Luca* 14. *Quis enim* inquit *ex vobis volens turrim ædificare, non prius ſedens cogitat ſumptus, qui neceſſarij ſunt &c. Aut quis Rex iturus committere bellum, non prius cogitat ſi poſſit occurrere &c.* Qui autem ad publicas ſupplicationes conueniunt turrim virtutum intra ſe ædificare debent, vel eam perficere, vt inexpugnabiles ſint: item bellum contra Dæmones adoriuntur, vt ſupra dictum eſt *Punc.9.Myſt.*2. ergo opus eſt illis præuia præparatio, qua ſumptus, & auxilia gratiarum ſibi comparent, nè illuſi remaneant: hoc enim intelligitur per illa Chriſti verba non prius ſedens cogitet &c.

Probatur Secundo ex illo loco *Eccleſ.* 18. vbi dicitur *ante orationem præpara animam tuam: & noli eſſe, quaſi homo, qui tentat Deum*; Sacræ autem Proceſſiones, vt manifeſtum eſt, ſunt publicæ orationes, & ſupplicationes: ergo præmittenda eſt illis matura præparatio, aliàs, qui ad eas in parati accedunt Deum tentare videntur.

Deum namque tentare nihil aliud eſt, quam aliquid ab eo impetrare velle non adhibitis medijs ad eum finem ordinatis *Exem.gr.* velle impetrare ſalutem animæ abſque pænitentia, vel ſanitatem corporis abſque ordinarijs medicinis: quia ſine vlla neceſſitate petitur à Deo miraculum: vt docent communiter Theologi cum D. Thoma 22. *q.* 97. *ar.*3. Ad benè autem orandum eſt neceſſaria præparatio, vt docet Eccleſ. loc. cit; meritò ergò ſubiungitur accedere ad orationem ſine præparatione eſſe veluti tentare Deum.

In quo autem conſiſtat hæc præparatio. Dicendum eſt breuiter, conſiſtere primò in ſeria conſideratione infinitæ Maieſtatis, & Bonitatis Dei, cum quo tractare debemus, eique ſupplicationes porrigere, vt Maieſtas excitet in nobis ſummam reuerentiam, & animi demiſſionem dum oramus, & Bonitas firmam confidentiam.

Secundo conſiſtit in recognitione noſtræ imbecillitatis, & indignitatis, ſi quidem nulla noſtra virtute ſubſiſtimus, nec ſumus ſufficientes cogitare aliquid à nobis, quaſi ex nobis, nec poſſumus dicere Dominum Ieſum, niſi in Spiritu Sancto; atque adeo humiliter debemus à Deo petere vires, & auxilia neceſſaria, vt orare poſſimus, ſicut oportet.

Tertio cõſiderare quiſque debet finem, ad quem inſtituitur Proceſſio, & quam graue negotium ſit cum Deo agendum; ſi quidem ſi colendus eſt Deus, excitandus eſt in nobis feruor deuotionis: ſi ira Dei placanda, humiles, & contritos apud ipſum comparere nos oportet. Si ad auertendas calamitates ordinentur Proceſſiones; cum orationis perſeuerantia, coniungenda eſt deteſtatio peccatorum, & eorum acerbitas agnoſcenda, quæ Deum impulit ad flagella: Tandem ſi ad normam proceſſionum dirigendus eſt curſus noſtræ peregrinationis ad patriam; contemnendæ ſunt huius ſeculi voluptates, & ad cæleſtes Theſauros aſpirandum, atque ita deuotè, & ſanctè celebrabitur proceſſio.

Secundum medium valdè efficax ad bonum vſum Proceſſionum eſt Dei præſentia: ſeù ambulare coram Deo vbique locorum præſente, cui omne cor patet, & nihil eſt abſconditum, qui omnes hominum ſemitas obſeruat, & cunctos greſſus dinumerat, & de cælo proſpicit ſuper filios hominum, vt videat, ſi eſt intelligens, aut requirens ipſum Deum. Huius fidei articuli incogitantia eſt omnium cauſa abuſuum; præſertim in ſacris functionibus, vti docet Pſalmiſta, *non eſt* inquit *Deus in conſpectu eius, inquinatæ ſunt viæ illius in omni tempore*: è contra Dei præſentis aduertentia ad opera perfecta eſtimulat: Sic Geneſ. 17. *Ego Dominus omnipotens ambula coram me, & eſto perfectus*. Egregiè Tertullianus *lib. de Præſcript. cap.* 43. *Vbi* inquit, *Deus eſt, ibi timor Dei, & ſapientiæ initium, vbi metus in Deum ibi grauitas, & cura ſollicita, apparitio deuota, & Proceſſio modeſta.*

Tertium medium eſt ſollicita cura, quam præſertim Eccleſiaſtici tenentur habere vitandi ſcandala puſillorum, & minus piam æſtimationem functionum ſacrarum, quam facilè pariunt abuſus in publicis Proceſſionibus introducti, vt aliàs diximus. Hinc meritò D. Gregorius *homil.* 17. *in cap.* 10. *Lucæ*. *Nullum* inquit *puto ab alijs maius præiudicium, quam à Sacerdotibus tulerat Deus: quando eos, quos ad aliorum correctionem poſuit, dare de ſe exempla prauitatis cernit.*

Tandem ad bonum vſum Proceſſionum, & contrà eorundem abuſus maximè conducit ſuperiorum vigilantia, ad quos pertinet pios, & deuotos fouere, & promouere, & è contrà delinquentes pænis coercere, vt ſæpius, & ſerio monent Synodi Mediol. à S. Cardinali Carolo Borromeo habitæ.

Atque hæc ſatis dicta ſint de Proceſſionibus in genere. De Proceſſionibus verò in particulari diſſerendum eſt in ſectione ſequenti.

SECTIO II.

De Proceſſionibus ſpeciatim.

EXpeditis ijs, quæ ſunt communia omnibus Proceſſionibus; ad exactam huius materiæ elucidationem agendum eſt conſequenter de Proceſſionibus in ſpecie, atque explananda, quæ ad ſingulas in particulari pertinere videntur.

Porrò ex Rituali Romano *tit. de Proceſſionibus* hæ diuiduntur in duas Claſſes: quædam enim ſunt ordinariæ, quæ fiunt certis diebus per annum; aliæ ſunt extraordinariæ non affixæ certis diebus, neque determinatis menſibus anni: ſed celebrari præcipiuntur à Prælatis Eccleſiarum prout occaſio, vel neceſſitas puſtulauerit *E.G.* quæ indicuntur tempore belli, vel famis &c. Prius ergo agemus de ordinarijs, deinde tractabimus de extraordinarijs.

PVNCTVM I.

De Proceſſione in feſto Purif. B. Virginis.

DE hac Proceſſione nonnulla diximus in noſtro *tract. de ſacris benedict. tit. 2. ſect. 9.* occaſione benedictionis candelarum. Addimus hic quædam alia documenta in ædificationem fiddelium.

Primo illuſtratur hoc feſtum Purificationis Deiparæ Proceſſione luminum, & candelarum ardentium, quia tunc primo Chriſtus Dominus vera lux mundi Hieroſolymis in templo præſentatus fuit, ac mirabiliter effulſit. Caligantes enim Simeonis oculos ita recreauit, vt totus geſtiens exclamauerit, *Nunc dimittis Seruum tuum Domine: quia viderunt oculi mei ſalutare tuum.*

Hæc ergo dies memorabilis eſt ob celebratam in ea ſacratiſſimam Proceſſionem præſentationis Chriſti in Templo non multitudine viſibilium perſonarum copioſa: ſed ſublimi conditione illorum, qui ad eam conuenerunt veneratione digniſſimam; Si quidem venientibus ad templum Maria, & Ioſeph cum puero Ieſu vero filio Dei, occurrerunt Simeon, & Anna cum hymnis, & laudibus, in cuius mæmoriam quotannis eadem die fit ab Eccleſia ſolemnis Proceſſio. Sic teſtatur D. Bernardus *ſerm. 2. de Purif. Ioſeph ait, & Maria ſacrificum laudis ſacrificium offerunt Matutinum: Simeon, & Anna ſuſcipiunt: ab his quatuor celebrata eſt Proceſſio, quæ per quatuor orbis climata ſolemnibus hodie gaudijs ad memoriam reuocatur*, idemque confirmat Durandus *Rat. lib. 7. cap. 7.*

Secundo, quamuis à quatuor prædictis, viſibilis ea Proceſſio peracta fuerit; illis tamen ſe adiunxerunt agmina cæleſtium ſpirituum, & Angelorum cætus innumeri, vt ſuum Regem comitarentur, & debito cultu proſequerentur, vt meritò aſſeuerant grauiſſimi auctores; imò narrat Cæſarius *lib. 7. cap. 20.* Viſos quandoque fuiſſe hac die Cælorum incolas cum ardentibus candelis Proceſſionem obire. Adiungamus ergo nos ipſos Sanctorum his cætibus: & omni Spiritus feruore Redemptorem noſtrum adoremus, & glorificemus.

Tertio celebratur quotannis hæc proceſſio ad declarandum ſplendorem Virginalis puritatis Deiparæ: nè quis audiens eius purificationem ſuſpicari poſſet minimum aliquod impuritatis næuum (quod abſit) Candelis ergo accenſis ex cera candida declarat ipſo facto Eccleſia Mariam non indiguiſſe Purificatione: Sed totam eſſe ſplendidam, & rutilantem ſupra lunam, & ſolem; ita Durandus *ſupra cit. n.* 14. & Rupertus Abbas de *Diuinis officijs lib. 3. cap. 25.* alijque interpretes *diuin. off.*

Quarto cereis accenſis, quos in hac proceſſione deferimus nos monet Eccleſia, vt ſicut cereorum ſursũ iugiter flamma aſcendit, ſic nos corde amoris Dei flamma accenſo, ſursũ aſcendamus. Item vt nõ nobis ipſis, ſed Chriſto ſemper accendi ſtudeamus noſtros cereos, ideſt, vt in noſtris operibus non noſtram, ſed Dei ſemper gloriam quæramus: inſuper vt ſic prudentes Virgines imitemur, quarum B. Virgo eſt caput, vt accenſa in nobis lampade caſtitatis, & bonorum operum, cum eis in templum gloriæ ad cæleſtem ſponſum ingredi mereamur ſic Durandus S.C.

Quinto in hac cereorum delatione, duplicis etiam cerei nos meminiſſe expedit. Primi quidem, qui nobis in Baptiſmo traditus fuit ad profitendam veram fidem, eamque ſeruandam in huius vitæ curſu. Secundi verò, qui in extremis vitæ tradi ſolet moribundis, vel coram eis accendi in proteſtatione diſceſſus ab hoc ſeculo cum ſigno fidei, & ex gremio Matris Eccleſiæ. Atque ita vitam præſentem traducere ſtudeamus, vt ſicut per Baptiſmum Chriſto, & Eccleſiæ naſci gratia Dei meruimus, ita per Chriſtianam mortem Sacramentis Eccleſiæ muniti naſci mereamur in Cælo.

Alia etiam luminum, & candelarum myſteria ſupra explicauimus *ſect. 1. Punc. 9. Myſt. 4.* quæ huic feſto Purif. aptari poſſunt.

PVNCTVM II.

De Proceſſione in Dominica Palmarum.

NOtum eſt omnibus Palmarum hanc Proceſſionem fieri quotannis ab Eccleſia in mæmoriam celeberrimæ illius Proceſſionis initæ à Chriſto cum ſuis Apoſtolis ante paſſionem: cui Hieroſolymam aſcendenti occurrerunt turbæ cum ramis palmarum, & oliuarum, clamantes *hoſanna filio Dauid*, quibus verbis palam confeſſi fuerunt, & cognouerunt Chriſtum, vt verum Meſſiam, & Redemptorem Mundi, quorum pietatem nobis imitandam proponit Eccleſia. De huius Proceſſionis, & triumphi Myſterijs tractant Iſidorus *lib. 1. de Eccleſiaſt. offic.* Durandus, Rupertus Abbas,

alijque

lijque interpretes diuin.offic. & fuſius D.Ambroſius *ſerm.45. de temp.* ex quibus potiora ſeligemus.

Primò, vt dicebamus in hac Proceſſione imitanda nobis proponitur fides, & pia deuotio turbarū, & puerorum Chriſto occurrentium, vt nos pariter recognoſcentes ipſum Chriſtum eſſe verum Meſſiam,verum Deum, & hominem, atque auctorem noſtræ, & totius mundi ſalutis, cum toto corde adoremus, & glorificemus: triumphatori mortis, & inferni, ac deſtructori peccatorum clamantes hoſanna filio Dauid, quod Eccleſia exprimit illis verſibus.

Plebs Hebræa tibi cum palmis obuia venit

Cum prece, voto, hymnis adſumus ecce tibi

Secundo cum ramis palmarum, & oliuarum Chriſto Redemptori, & triumphatori mortis, & peccati, tunc verè occurrimus, quando cum ſpe ſalutis, & triumphi in cæleſti gloria à Chriſto nobis promeriti, & per palmas deſignati, coniungimus Miſericordiæ per oliuæ ramos myſticæ denotata; vana eſt enim ſpes triumphi, & gloriæ ſine pijs operibus, & potius præſumptio, vt paſſim docent ſacræ ſcripturæ, & videri poteſt apud D. Thomam 22.q.20.a.21.

Tertio veſtimenta proſternunt in via,qui proprijs facultatibus ſaltem ſuperfluis ſe expoliantes; pedibus Chriſti offerunt, ideſt pauperibus, vt explicat D.Auguſt.*tract. 50. in Ioannem*. Inſuper iumentum offerunt ipſi Chriſto,vt ſuper eum ſedeat, qui ſuas paſſiones domantes cogunt corpus ſeruire Spiritui, & Deo obedire: tunc enim Chriſtum ſedere facimus ſuper cor noſtrum,quando eius imperio ſubiacemus, vndè *Apoſt.1. Corinth. 6.glorificate, & portate Deum in corpore veſtro, & Pſal. 72. vt iumentum factus ſum apud te, & ego ſemper tecum*. Hinc Bernardus *ſem.1.in Ramis*, *felices* inquit, *qui ſe Chriſto humiliant, & vt iumentum ſuum corpus tractant: quia in Angelos conuertentur, è contra verò impijs inſipientibus, qui fiunt iumenta Diaboli, cui obſequuntur, ab eo trahendi in infernum*: ſic *pſal.* 48. *comparatus eſt iumentis inſipientibus, via illorum ſcandalum ipſis; & ſicut oues in inferno poſiti ſunt*. Verè dixit Auctor operis imperfecti. *Sicut peccatores iumenta ſunt Diaboli, ita Sancti iumenta dicuntur Chriſti: hi quidem traſmutandi in Angelos in gloria, illi manſuri beſtiæ, & mors depaſcet eos*. Et D.Thomas in Catena, *Dominus ait ſuper aſellum ſedens Hieroſolymam intrat: quia præſidens animæ fideli, & eam in hoc ſæculo regit, & poſt hanc vitam in viſionem cæleſtis patriæ introducit*.

Quarto Chriſtus Dominus, qui aliàs pedes ſemper incedere ſolitus erat, voluit paſſioni vicinus ingredi Hieroſolymam regali pompa, vt oſtenderet ſe Regem eſſe filium, & hæredem Dauid, & regnaturum à ligno Crucis per paſſionem, & mortem: ideoque non vehitur æquo phalerato, vel curru aurato: non purpura fulgens, aut armis præcintus more humano: ſed vehitur aſello: eligit in occurſum ſimplicem turbam, & pueros innocentes cū ramis arborum,ſi quidē à ligno, ſeù arboreRex erat inaugurandus.Oſtendit ergo ſuum Regnum futurum alterius ordinis, videlicet ſpirituale, atque adeo mite,& humile ſit in contemptu pompæ, & diuitiarum huius ſæculi.Non enim Rex Iſrael Chriſtus inqut D.Auguſt.*trac.10. in Ioannem* ad exigendum tributum vel exercitum ferro armandum:ſed Rex Iſrael, quod mentes regat, quod in æternum conſulat, quod in Regnum Cælorum credentes, ſperantes, amanteſque perducat. Et S.Fulgentius *ſerm.5. de Epiphan. Chriſtus* inquit *non venit Reges pugnando ſuperare, ſed moriendo mirabiliter ſubiugare: non vt pugnet viuus, ſed vt triumphet occiſus*: Qui ergo volunt regnare cum Chriſto, pompam huius ſæculi contemnant, & Chriſti manſuetudinem, humilitatemque imitentur.

Quinto in hoc Chriſti triumpho primas partes habuerunt innocentes pueri, quos præcipuè commemorat, & commendat Eccleſia illis repetitis verſibus. *Pueri hæbreorum portantes ramos oliuarum obuiauerunt Domino clamantes &c:* vtique diuino inſtinctu; vnde Phariſeis id indignè ferentibus reſpondit ipſe Chriſtus: non legiſtis, *quia ex ore infantium, & lactentium perfeciſti laudem &c*. Vt ergo nos gratam eidem Chriſto exhibeamus ſeruitutem, & tutam nobis paremus viam ad Cæleſtem Hieruſalem, paruuli efficiamur: ſic *Matth. 18.niſi efficiamini ſicut paruuli non intrabitis in Regnum Cælorum*: hoc eſt ſi vultis eſſe magni, & ſublimes in Cælo, paruos, & humiles oportet vos eſſe in terra, & ab hominibus neſciri, & pro nihilo rèputari.

Tandem non caret myſterio ritus ille, quo in fine Poceſſionis vtitur Eccleſia, dum fores templi clauſas iubet celebrans aperiri pulſibus Crucis, ſeù dato ſigno enim haſta Crucis. Celebrans enim deſignat Chriſtum, qui per Crucem portas Cæli aperuit, & in ligno pendens noſtræ ſalutis ſemitam inuenit, & aditum nobis ad Cælum parauit. Ordo Romanus.

P V N C T V M III.

De Proceſsione ad Sepulchrum fer.V.in Cœna Domini.

IN Officio, & Proceſſione huius diei coniungitur lætitia cum luctu, gaudium cum mœrore ob differentiam Myſteriorum, quæ ab Eccleſia recoluntur, vt notat Rupertus Tuitienſis *lib.5. de diuin.offic.cap.14.*cum Durando, & alijs, ſi quidem ob inſtitutionem Sacramenti Euchariſtæ, & propter conuiuium ſuauiſſimum nobis à Chriſto paratum in vltima Cæna ſui prætioſiſſimi Corporis, & ſanguinis, gaudet,& lętatur Sancta Mater Eccleſia, & canit in Miſſa hymnum lætitiæ *Gloria inexcelſis*, & *Credo*: è contra Myſteria paſſionis, quæ pariter recoluntur eadem V. feria dant Cauſam doloris, & mæſtitiæ.

Locus etiam, ad quem dirigitur Proceſſio ad aſſeruandam Hoſtiam conſecratam in Craſtinum

D dar

dat pariter ex vna parte cauſam gaudij, quatenus eſt thronus magnificentiſſimè ornatus Chriſti Regis, & Sacerdotis in Euchariſtia contenti; & ex altera cauſam mæroris, quatenus repræſentat Sepulchrum exanimati eius corporis, ſed glorioſum ſepulchrum ob prodigia ibi à Deo patrata.

Vt ergo congruè, & dignè hæc Proceſſio celebretur ad vtroſque promendos pios affectus corda noſtra præparare debemus, amoris videlicet, & gaudij ob cæleſte conuiuium à Chriſto noſtri, amantiſſimo nobis exhibito: & è contra compaſſionis, & lacrymarum ob eius amariſſimam paſſionem.

Primò, vt mens noſtra excitetur ad pios affectus prædictos, ponderandæ ſunt Cauſæ, ob quas Chriſtus morti vicinus, videlicet pridie quam pateretur, decreuerit in vltima Cæna admirabile ſacramentum Euchariſtiæ inſtituere: & in ſuo nouo, & æterno Teſtamento nos hæredes relinquere immenſi theſauri ſui prætioſiſſimi Corporis: Certè non deſunt plures Cauſæ, & rationes talis inſtitutionis, Nos breuiter afferemus eas, quas explicat D. T. *3.p.q.73.ar.5.*

Primò quia cum hoc Sacramentum contineat ipſum Chriſtum, conueniens erat, vt tunc ſe ipſum in Sacramentali ſpecie relinqueret, quando erat in propria ſpecie receſſurus. Secundò quia, cum hoc Sacramentum ſit rememoratiuum paſſionis, conueniens erat, vt imminente paſſione inſtitueretur. Tertiò quia ea, quæ dicuntur, & fiunt ab amicis recedentibus, in vltimo termino vitæ magis memoriæ commendantur; vt ergo tantum beneficium firmius noſtræ memoriæ inhæreret, conuenientiſſimè fuit à Chriſto inſtitutum in fine ſuæ vitæ. Gaudeamus ergo tanti beneficij participes effecti, & diligamus eum, qui cum nos ſemper dilexiſſet, in finem dilexit nos,

Secundo eſt feſtiua, & plena lætitiæ hæc Proceſſio, qua defertur hoſtia conſecrata ſeruanda in craſtinum, quando non fit conſecratio nouæ hoſtiæ: in cuius figuram manna olim in duplum colligebatur, ſeruandum ex parte in craſtinum, quando non erat è cælo fluxurum, vt hoc ritu intelligant fideles hoc Sacramentum ſemper in Eccleſijs conſeruari pro iugi alimento animarum, vt ſtatuitur in Trid. *ſeſſ. 13. cap. 6. & can. 7.* & nunquam deficere; vndè præter hoſtiam maiorem ſumendam à celebrante ſequenti die, aſſeruantur etiam hoſtiæ minores pro infirmis; ſemper ergo, & iugiter Chriſtus eſt paratus, & promptus ad reficiendas animas lacte puriſſimo huius Sacramenti: *Nè torpeamus igitur* ait Chryſoſtomus *hom. 83. in Matth. tanta digni charitate, & honore putati, Non nè videtis quanta promptitudine paruuli papillas capiunt, & quanto impetu labia vberibus infigunt: accedamus cum tanta nos quoque alacritate ad hanc menſam, & ad vbera poculi ſpiritualis, & vnus ſit nobis dolor hac eſca priuari;* hactenus Chryſoſt.

Tertio ſuggerit è contra nobis hodierna Proceſſio cauſam mæroris, & lacrymarum, quia locus, ad quem dirigitur, repræſentat monumentum Corporis Chriſti exanimis, ad quod mulieres ſedentes lamentabantur flentes Dominum: & hac noſtra proceſſione imitamur illam, qua Corpus Chriſti deductum fuit ad ſepulchrum à Ioſeph ab Arimathia, & Nicodemo cum comitatu piarum mulierum, quæ ſequebantur plorantes cum dolentiſſima Virgine Matre Ieſu, comitantibus etiam Angelis amarè flentibus. Simile ergo tributum compaſſionis, & lacrymarum ſoluere nos Chriſto debemus.

Dubitari hic poteſt. Cur in hac die Cænæ Domini, & inſtitutionis Euchariſtiæ agatur ab Eccleſia memoria, & repræſentatio ſepulturæ pridie, quam Chriſtus pateretur: id enim videtur contra ordinem temporis, & contra ſeriem Myſteriorum: cum Chriſtus crucifixus, mortuus, & ſepultus fuerit in die ſequenti Paraſcheue: ergo nec memoria ſepulturæ, nec erectio ſepulchri congruit huic diei, ſed ſequenti feriæ ſextæ in Paraſcheua. Reſpondet Gauantus in *Rubr. Miſſalis p. 4. tit 8. n. 9.* verè fer. V. in Cæna Domini non recoli ab Eccleſia Myſterium ſepulturæ, nec locum, ad quem dirigitur proceſſio propriè appellari ſepulchrum; ſed abuſiuè, ſic dici à Vulgo. Cæterum non videtur audiendus in hoc Gauantus, non enim ab imperito ſolum vulgo locus ille ſepulchrum Chriſti appellatur, ſed etiam ab omnibus, à viris eruditiſſimis, ab Epiſcopis, & Prælatis: quare prædicta opinio eſt contra communem ſenſum fidelium.

Reſpondeo igitur. Repræſentari quidem hac die ab Eccleſia myſterium ſepulturæ Chriſti, ſed per anticipationem, atque adeo anticipatè etiam fieri apparatum ſepulchri, ad quod dirigitur hodierna Proceſſio. Ratio autem anticipationis huiuſmodi eſt, quia ſepulchrum Chriſti verè fuit, & eſt glorioſum, iuxta prophetiam Iſaiæ *cap. 11.* meritò ergo vult Eccleſia, vt cum gloria, & pompa repræſentetur, videlicet magnificentiſſimè exornatum. Quia verò hæc gloria, & pompa, & apparatus feſtiuus non congruebat diei Paraſceue, quando ipſa Eccleſia vtitur paramentis nigris, & denudantur altaria, & vbique apparet luctus, & mæror propter mortem Chriſti; idcirco per anticipationem fit repræſentatio glorioſi ſepulchri feria V, cui magis congruit apparatus feſtiuus, & prætioſus ob rationes ſupra explicatas: meritò ergo acceleratur repræſentatio ſepulchri Chriſti, vt ait Durandus apud Gauantum vbi *ſupra n. 6. litt.* A.

Confirmatur noſtra Sententia auctoritate Cornelij à lapide ſacrarum litterarum peritiſſimi, qui exponens locum citatum Iſaiæ; erit ſepulchrum eius glorioſum, ſic ait. *Sepulchrum Chriſti eſt etiam glorioſum annua repræſentatione, & pompa, qua fideles multis in locis ſolent magnificum Chriſto paſſo, & mortuo ſepulchrum excitare, eiuſque ſepulturam glorioſam repræſentare:* & quamuis hic auctor loquatur de Sabbato Sancto: quia fortè in illa Prouincia, vbi degebat ea repræſentatio fiebat Sabbato Sancto, vel olim tunc fieri ſolita erat: Nihilominus, quia Eccleſia poſtea iuſtis de Cauſis manè eiuſdem Sabbati per anticipationem celebrare incæpit miſſam glorioſæ Reſurrectionis, tranſtulit repræſentationem ſepulchri in feria V. vt ſupra dicebamus.

Quarto ex pompa, qua præparari ſolet, & adornari

nari Sepulchrum Chriſti, aduertere debent fideles, quam exquiſito virtutum apparatu, & piorum affectum ornatu præparare debeant corda ſua ad communionem, vt ſint digna receptacula Corporis Chriſti in Sacramento contenti, ad quod explicandum non diffundimur; quia non deſunt plures pij libri de hac re tractantes.

Quinto tandem ex dictis colligitur, qualiter à fidelibus his diebus viſitar; debeant Eccleſiæ, & ſepulchra in eis erecta, vt pia, & fructuoſa ſit viſitatio: habent enim exemplum Sanctatum Mulierum, quæ diluculò perrexerunt ad monumentum cum lacrymis, & aromatibus: ita nos pariter diluculò, ideſt ſollicitè, & remotis impedimentis terrenorum affectuum pergere debemus cum lacrymis, tum compaſſionis dolorum, & mortis Chriſti, tum contritionis noſtrorum peccatorum, quæ Chriſtum occiderunt: & cum vnguentis,& aromatibus ad vngendumCorpus Chriſti,ideſt ad ſubueniendum panperibus, in quibus, tanquam in myſtico ſuo corpore Chriſtus vult recognoſci.

PVNCTVM IV.

De Proceſsione lugubri.Feria VI. in Paraſceue.

HVic luctuolæ diei aptat Eccleſia verba illa Ioelis 1. *Accingite vos Sacerdotes, & plangite miniſtri Altaris. Plange quaſi Virgo plebs mea, quia venit dies Domini magna, & amara valdè:quia pendens in ligno mortua vita fuit*. Et iterum, *ò vos omnes, qui tranſitis per viam attendite, & videte ſi eſt dolor ſimilis ſicut dolor meus*. Huius ergo diei proceſſio magis celebranda eſt lacrymis, quam vocibus, & hymnis, vt ex dicendis patebit.

Primo celebratur hæc Proceſſio ab Eccleſia in mæmoriam illius,quam obiuit Chriſtus à Domo Pilati ad Montem Caluariæ, quando prolata in eum mortis ſententia, exiuit baiulans ſibi Crucem inter duos latrones cum turba innumera; Præibat autem præco magna voce clamans Ieſum Nazarenum damnatum fuiſſe, vt ſeductorem ad mortem turpiſſimam Crucis: ſequebantur Milites, & Miniſtri iuſtitiæ, & impietatis, & turba impiorum, qui in Chriſti mortem conſpirauerant.

Aderant etiã è contrà plures timentes Deum,& expectantes Redemptionem Iſrael; & cum his piæ mulieres plangentes Dominum, quibus in via ſe adiunxit Mater eiuſdem Chriſti Maria acutiſſimo doloris gladio in corde transfixa cum dilecto diſcipulo.

Conuenientes ergo ad Proceſſionem hodiernam huic ſecundo piorum cætui ſe mente adiungant, comitentur Chriſtum in hac vltima ſtatione, ac ſerio cogitent eum non tam materialis ligni mole, quam noſtrorum peccatorum pondere opprimi. Deteſtetur quiſque ſua peccata, compatiatur doloribus, & anguſtijs Chriſti, & Matris eius, & crucem tribulationis; quam cuique Deus imponit, proponat quiſque exemplo Chriſti patienter ferre, & amplecti.

Secundo timentes phariſæi nè Chriſtus deficeret in via præ anguſtia tanti ponderis, appræhenderunt Simonem quendam Cirenenſem, & impoſuerunt illi Crucem portare poſt ipſum Ieſum:non ex compaſſione, vt Chriſtum alleuiarent: ſed ne morte præuentus Crucis opprobium, & tormentum vitaret. Cæterum Chriſtus hoc diſpoſuit ad ſignificandum ſuos fideles futuros eſſe participes Crucis, vt iam prædixerat *Lucæ 9*. Notandæ verò ſunt conditiones; quibus debet eſſe præditus ille, cui dignè communicanda eſt Crux Redemptoris: primo enim debet eſſe obediens, nam Simon interpretatur obediens: Secundo debet eſſe aduena, & peregrinus, vt erat Simon quo ſignificatur eos, qui dignè, & cum merito volunt ſequi Chriſtum, & Crucem eius portare; debere præſentem vitam ducere, tanquam aduenas, & peregrinos, non inhærendo oblectamentis huius ſeculi, ſed aſpirando ad cæleſtem patriam.

Tertio inter mulieres, quæ in ea amara proceſſione comitabantur Chriſtum, quædam aderat inſignis ſanctitatis nomine Veronica, hæc præ alijs tenerrimo compaſſionis affectu mota obtulit ipſi Chriſto ſudarium, vt faciem ſudore ſimul, & ſanguine madefactam abſtergeret, quod fecit benigniſſimus Dominus:ſtatimq;reſtituit Veronicæ ſudarium cum impreſſa in illo deturpati, tunc vultus ſui effigie, de quo facte legi poteſt Baronius *anno Chriſti* 34. & ẽx eo apparet quam gratè Chriſtus excipiat obſequia ſibi præſtita ab eis, qui piæ compaſſione afficiuntur in meditatione eius ſacratiſſimæ paſſionis, & quam amplè ea remuneret. Cæterum alijs mulieribus peccatis fortè grauatis præcepit Ieſus, vt ſua potius peccata plangerent, dicens, *nolite flere ſuper me, ſed ſuper vos ipſas flete*: conuincitur enim non verè, & ſeriò compati Chriſto percuſſo, & dolenti propter noſtra peccata, qui lacrymis pænitentiæ non remouet ipſa peccata, quibus Chriſtus cæditur, & atteritur: imo inpænitentes quantum eſt in ſe ipſis parati ſunt, iterum crucifigere Chriſtum, vt dicit Apoſt. *ad Hebr.6.*

Quarto peruenit tandem Proceſſio ad Montem Caluariæ, vbi Chriſtus verus Dei agnus ipſi Deo erat immolandus pro ſalute totius Mundi; Exuitur ergo à Miniſtris,& denudatur,clauis configitur, & Cruci affigitur, in qua pendens præ doloris vehementia clamans voce magna emiſit ſpiritum: ſic vita mortem pertulit:& nobis vitam protulit. Vtinam, & nos moriamur cum Chriſto Cruci Mortificationis affixi, vt non iam nobis ipſis viuamus, ſed ei,qui pro nobis mortuus eſt.

Quinto ponderandi ſunt Ritus, quibus Eccleſia vtitur ad hæc Myſteria repræſentanda. Primo enim in Miſſa huius diei non fit conſecratio, nec offertur ſacrificium incruentum. Rationem reddit D.Thomas 3.*p.* *q*.83. *art*.2. Quia hac die ab Eccleſia recolitur paſſio Domini, prout realiter geſta eſt cruento ſacrificio Crucis, & propria ſanguinis Chriſti effuſione: & ideo non repræſentantur myſticè per ſacrificium Miſſæ incruentum. Vndè Miſſa hodierna non eſt propriè miſſa, ſed latè ſum-

pro vocabulo Miſſæ, & Sacrificij, quatenus in altari eſt hoſtia pridie conſecrata: & ideo plura omittuntur ex canone, & alijs partibus Miſſæ conſuetæ. Addit D. Thomas ibidem. Nè tamen Eccleſia hac die ſit ſine fructu paſſionis, ſumitur à celebrante hoſtia pridiè conſecrata in perſona omnium, non verò ſanguis ſeorſum, quia hic modus ſumendi ſanguinem pertinet ad ſacrificium incruentum, quod hodiè non offertur. Aliæ verò rationes videri poſſunt apud Durandum in *Rationali lib.6. cap. 77.* & apud Rabanum *de inſtit. Cler. cap. 67.* vbi inter alias hanc affert; Quia videlicet hac die Chriſtus ſummus Sacerdos ſe ipſum obtulit in Cruce, & id circo inferiores Sacerdotes non ſacrificant: in cuius figuram in veteri Teſtamento ea die, qua ſemel in anno ſummus Sacerdos intrabat in Sancta Sanctorum, alij Sacerdotes non ſacrificabant.

Secundus Ritus ponderandus eſt, quia imponitur à celebrante vinum cum aqua in calice ob myſterium vnionis populi cum Chriſto, ſed non conſecratur ob rationes explicatas; vinum ergo ſignificat ſanguinem, ſed non tranſmutatur, quia non perficitur propriè dictum ſacrificium: ſed ſolum repræſentatur.

Tertio oratio libera nos &c. quæ alias dici ſolet ſecretò, in hac miſſa dicitur clara voce: quia Chriſtus in Cruce publicè, & palam omnium peccata deleuit, & poſtulauit veniam Crucifixoribus.

Quarto eleuatio Sacramenti, ſeu hoſtiæ pridiè conſecratæ, fit ſola manu dextera celebrantis, ad ſignificandum exaltationem Chriſti ſuper Crucem; ſeu eius crucifixionem fuiſſe opus ſolius dexteræ Dei: niſi enim Pater Æternus, ita diſpoſuiſſet pro ſalute totius mundi, nemo potuiſſet mittere manum in filium Dei; vnde ipſe Chriſtus dixit ad Pilatum: *non haberes poteſtatem aduerſum me vllam, niſi deſuper datum tibi fuiſſet: dextera ergo Domini fecit virtutem, & exaltauit Chriſtum in Cruce*, vt dicitur *Pſal. 117.* quem verſiculum ad myſterium Crucis applicat Dyoniſius Chartuſianus: in cuius figuram Pater Habraam manu ſua impoſuit ligna Sacrificij ſuper filium Iſaac, eumque ipſe ſolus duxit ſuper montem ad immolandum.

Hæc breuiter attigiſſe ſufficiat occaſione Proceſſionis huius diei, quæ terminatur cum miſſa. Alia legi poſſunt apud auctores citatos, & apud Suarez *tom. 3. in 3. p. diſp. 75. ſec. 4.* vbi fusè agit de hoc myſterio.

PVNCTVM V.

De Proceſſione in die Sabbati Sancti ante Benedictionem Cerei Paſchalis.

INcipit hac die Eccleſia celebrare myſteria glorioſiſſimæ Reſurrectionis Chriſti Domini, & officium, quod olim fiebat ſequenti nocte retraxit ad mane Sabbati Sancti per anticipationem ad vitandos abuſus, qui paulatim irrepſerant.

In primis ordinatur Proceſſio ad atrium Templi, & antefores eiuſdem, & primo benedicitur nouus ignis accenſus ſcintillis de lapide excuſſis. Deinde benedicuntur quinque grana incenſi affigenda in Cereo magno: Adeſt etiam ibi arundo floribus ornata in cuius ſummitate ſunt affixæ tres candelæ triangulo diſtinctæ in proceſſione accendendæ.

His peractis ingreditur in Eccleſiam Proceſſio ordine conſueto, & dirigitur ad ſummum Altare. In progreſſu verò paulatim accenduntur ex nouo igne tres candelæ arundinis diſtinctis vicibus: atque ter intonante Diacono *Lumen Chriſti*, cæteri omnes reſpondent *Deo gratias*. Tandem ante ſummum altare ſolemni præconio benedicitur magnus Cereus. Porrò vt fideles deuotè aſſiſtant proceſſioni, & officio huius diei opere prætium eſt explicare Myſteria prædictorum Rituum.

Primo excutitur nouus ignis è lapide, & carbones, indè accenſi benedicuntur; quia à Chriſto myſtico, lapide angulari in glorioſo hoc Reſurrectionis myſterio nouus, & admirabilis ſplendor effulſit: quo carbones, id eſt corda fidelium præ triſtitia paſſionis extincta reaccendit, & cæleſtibus affectibus, & gaudijs inflammauit: vndè diſcipuli euntes poſt Chriſti mortem Emaus, quibus idem Chriſtus rediuiuus apparuit, dicebant adinuicem, non nè cor noſtrum ardens erat dum loqueretur in via &c.

Secundo omnia Templi luminaria repetiuntur extincta, quæ annuntiata Chriſti reſurrectione de nouo igne accenduntur, ad denotandum, quod in Reſurrectione Chriſti extincta remanſerunt præcepta, & Cæremoniæ legis veteris, & incæpit lex noua, lex nouæ charitatis, & diuini ardoris; vndè ipſe Chriſtus *ignem* inquit *veni mittere in terram, & mandatum nouum, do vobis vt diligatis inuicem*.

Tertio benedicuntur quinque grana incenſi figenda in Cereo, quo myſticè Chriſtus ſignificatur, vt infrà. Quinque verò grana incenſi quinque eiuſdem Chriſti plagæ denotantur, quas abolere noluit, retinere maluit pluribus de cauſis; primo in ſignum triumphi de morte reportati: quia mortem moriendo deſtruxit, & vitam reſurgendo reparauit. Sic Milites fortiter dimicantes poſt victoriam cicatrices vulnerum læti oſtendunt in teſtimonium glorioſi certaminis. Secundo ad confirmandos diſcipulos in fide Reſurrectionis. Vndè Thomas *niſi videro in manibus eius fixuram clauorum &c. non credam*, vidit, & credidit. Tertia Cauſa fuit, vt plagæ retentæ eſſent ipſi Chriſto incitamentum beneficentiæ in nos, & in manibus ſcriptum haberet quanti ei ſteterit hominum ſalus, & non perdat ex eis quemquam. Item, vt eas Patri oſtendens irati Numinis flagella à nobis auerteret. Tandem, vt eſſent nobis incitamentum amoris, & fidelitatis erga ipſum Chriſtum; refugium in tribulationibus: præſidium in certaminibus: in labore requies; in æſtu temperies: in fletu ſolatium: Nè autem quis formidaret ſacroſancta hæc foramina ingredi ipſe Chriſtus, vt ad eas confugiamus inuitat *Cant. 2.* dicens *veni columba mea in foraminibus petræ in cauerna maceriæ*: ſuper quæ verba D. Bernardus *ſerm. 61.* ſic ait, *& re-*

nera, vbi tuta, firmaque infirmis ſecuritas, & requies niſi in vulneribus Saluatoris; tanto illic ſecurior habito, quanto ille potentior ad ſaluandum; fremit mundus, premit corpus inſidiatur Diabolus, non cado: firmatus enim ſum ſupra firmam petra &c.

Quarto in Proceſſionis progreſſu accenduntur nouo igne tres candelæ ſupra arundinem poſitæ: primo quia lumen, & gloria Reſurrectionis Chriſti in tres regiones diffuſa eſt, videlicet in Cælum, in terram, & ſubtus terram in limbo: atque adeo repleuit gaudio Angelos, homines viuos, & animas è limbo eductas. Secundo ob triplex Chriſti triumphum, contra peccatum, contra mortem, & contra Diabolum. Tertio ob illuſtratas, & renouatas tres virtutes Theologales noua fide conſumatæ Redemptionis, noua ſpe communis Reſurrectionis, noua charitate legis euangelicæ mandatum nouum do vobis. Quarto ob myſterium Sanctiſſimæ Trinitatis, quod notitia magis explicita Chriſtianis innotuit. Tandem quia per Chriſti reſurrectionem reſerantur hominibus tres aditus cæli triplici Baptiſmo, fluminis videlicet, flaminis, & ſanguinis; Cur autem tres prædictæ candelæ ſuperponantur arundini. Dic quia arundo ſignificat humilitatem paſſionis Chriſti, propter quam ipſe Chriſtus à Deo exaltatus, & glorificatus fuit, vt teſtatur Apoſt. *ad Philip.* 2.

Tandem ſolemni præconio benedicitur cæreus magnus, quo Chriſtus ſignificatur, vt communiter docent omnes interpretes *diuin. offic.* ſicut enim componitur cæreus ex cera, lycno, & flamma, ita Chriſtus ex carne puriſſima, anima, & diuinitate. Gaudeamus ergo omnes, & totus mundus exultet tantis irradiatus fulgoribus.

PVNCTVM VI.

De altera Proceſſione in Sabbato ſancto ad conficiendam benedictionem fontis baptiſmalis.

FEſtiua eſt hæc Proceſſio, & plena gaudij ſpiritualis, qua pergunt Sacerdotes, & Miniſtri Eccleſiæ ad conſecrandum ſolemni benedictione fontem baptiſmalem, quo noua ſemper prole Eccleſia fæcundatur, & in dies pullulant in ea noua germina Sanctitatis: vndè meritò exultat, & gaudet. Si enim lætatur mulier concepto fætu, quia mater efficitur, & poſt quam peperit magis lætatur, & non meminit præſſuræ propter gaudium, quia natus eſt homo in mundum; potiori ratione gaudet Eccleſia, quando Spirituales eius filij per baptiſmum naſcuntur in Cælum. Occaſione igitur huius Proceſſionis, & Benedictionis nonnulla breuiter dicemus de fælici ſorte, & dignitate renatorum in gremio Eccleſiæ per Baptiſmum: vt tanti beneficij memores, perennes Deo gratias agant, & ſuos mores, ita componant, vt huic ſpirituali natiuitati ſint conformes.

I. EFFECTVS BAPTISMI.

Regeneratio Spiritualis.

PRimo per Baptiſmum regenerantur fideles, & renaſcuntur ad vitam Spiritualem, & immaculatam, vt docet Apoſt. ad *Titum.* 3. *Deus* inquit *Saluos nos fecit per lauacrum regenerationis, & renouationis Spiritus Sancti,* & D. Petrus *Epiſt.* 1. *cap.* 1. *ſecundum miſericordiam ſuam magnam regenerauit nos in ſpem viuam, &c.* & ex alijs ſcripturæ locis, & Concilijs probant communiter Theologi cum D. Thoma 3. *p. q.* 10.

In primis autem hanc virtutem Baptiſmi declarauit ipſe Chriſtus Nicodemo *Ioannis* 3. dicens, *niſi quis renatus fuerit denuo ex aqua, & Spiritu Sancto, non poteſt introire in Regnum Dei.* Duplex ergo eſt hominis generatio, & natiuitas: altera naturalis, & carnalis, qua ex carnalibus parentibus oritur peccato originali obnoxius, priuatus gratia ſantificante, & conſequenter vita ſpirituali. Altera hominis generatio eſt Spiritualis; Item & ſpiritualis natiuitas, qua in Baptiſmo regeneratur, & renaſcitur ex aqua, & Spiritu Sancto ad vitam Spiritualem per infuſionem gratiæ viuificantis, & ſanctificantis animam ex meritis Chriſti; quia *ſicut in Adam omnes moriuntur, ita in Chriſto omnes viuificabuntur,* teſte Apoſt. 1. *Cor.* 15.

Porrò notanda eſt emphaſis, & proprietas verborum Chriſti, & Apoſtoli. Chriſtus enim ait oportet vos naſci denuo, & Apoſt. appellat Baptiſmum lauacrum regenerationis, non reſectionis, vel purgationis: vndè ſuper hunc locum Pauli exclamat Theophilatus. *O rem admirabilem, adeo vitijs eramus immerſi, vt nulla ratione purgari poſſemus, ſed opus fuit regeneratione, quæ nouam formationem ſignificat. Vt enim Domum ruinoſam, & planè veterem non ſuffulcimus, ſed demolimur, nonamque ædificamus. Sic Deus non reconcinnauit, quod corruptum erat, ſed de nouo condidit in Baptiſmo &c.*

Tandem in Baptiſmo ſepelitur vetus homo noſter per immerſionem in aquam, & omninò extinguitur, dum aboletur peccatum: per emerſionem verò nouus homo, noua Creatura reſurgit ad inſtar Chriſti, qui teſte Apoſt. *ad Rom.* 4 *mortuus eſt propter peccata noſtra,* & iterum ad *Romanos* 6. *conſepulti ſumus cum Chriſto per Baptiſmum in mortem* ideſt peccati, *& ſimul reſurgemus cum ipſo &c.* Hinc ab Eccleſia benedictio fontis baptiſmalis fit in Sabbato Sancto, & ſolemniter baptizantur Cathecumeni; quia in hoc Sabbato recolitur mæmoria Chriſti ſepulti, & etiam Reſurrectionis eius per anticipationem, vt ſupra dictum eſt.

II. EFFE-

II. EFFECTVS BAPTISMI.

Ius ad gloriam.

SEcundo per Baptiſmum acquirimus ius ad gloriam, & ad Regnum Cæleſte: vt potè facti filij Dei, & conſequenter eius hæredes, cohæredes autē Christi ex Apoſt. ad *Romanos* 8. & quidem, vt filij Adæ præuaricatoris, atque adeo vt filij vindictæ, filij iræ à paradiſo excluſi eramus, ſed regenerati in filios Dei per baptiſmum, & per merita Christi, nouum Ius acquirimus ad regnum Dei, vt patet ex verbis ipſius Chriſti *Ioan.* 3. *niſi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu Sancto non poteſt introire in regnum Dei:* renatis verò ex fonte baptiſmi patefiunt ianuæ Cæli: vndè ingredienti Chriſto in aquas Iordanis, quando baptizari voluit à Ioanne, vt ſanctificaret aquas Baptiſmi, aperti ſunt Cæli, & vox Patris intonuit *hic eſt filius meus dilectus, ipſum audite:* hoc eſt in eum credite, & his aquis lauamini, ſi vobis Cælum aperiri vultis.

Dicet fortè aliquis. Si regnum Cæleſte nobis contingit, tanquam hæredibus, & per baptiſmum regeneratis: ergo ſufficit baptiſmus ad ſalutem: atque adeo non indigemus operibus, & obſeruantia Mandatorum.

Reſpondeo conſequentiam eſſe falſam, & hæreticam, hoc enim Ius hæredttarium ad regnum æternum, non eſt metiendum regulis regnorum huius ſæculi, quibus filij Regum ſuccedunt parentibus ex vi præciſa filiationis abſque operibus, ſed eſſe metiendum ſecundum regulas diuinæ præordinationis. Deus autem ordinauit, vt qui facit iuſtitiam, inſtus ſit; & vt per bona opera conſeruetur gratia, & filiatio, atque adeo Ius regnandi in electis adultis (nam de pueris, qui non ſunt capaces meriti eſt alia ratio) non enim vtcumque præparauit Deus gloriam prædeſtinatis, ſed vt præmium laborum, & coronam fortiter dimicantium, vndè Apoſt. 2. *Thim.* 4. *bonum* inquit *certamen certaui, fidem ſeruaui, ideoque repoſita eſt mihi corona iuſtitiæ:* & nè vecordes eſſemus Chriſtus ipſe pati voluit, & ita intrare in gloriam ſuam: paſſus eſt autem pro nobis, nobis relinquens exemplum, vt ſequamini veſtigia eius 1. Petri 2. qui ergo nolunt ſequi veſtigia Chriſti, vel inimici ſunt Crucis Chriſti, eorum finis interitus ait Apoſt. *ad Philip.* 3.

Confirmari hoc poteſt ex illo opere Creationis *Geneſ.* 1. quo Deus ex aquis produxit duplex animantium genus, videlicet volucres Cæli, & piſces maris, in ſignum electorum, & reproborum, de quo opere canit Eccleſia in hymno feriæ V.

Magnæ Deus potentiæ
Qui fertili natos aqua
Partim remittis gurgiti
Partim leuas in aera.

Aqua enim ſignificat baptiſmum, vt notum eſt; Volucres denotant iuſtos ex communi ſenſu Patrum, piſces verò gurgiti immerſi ſunt figura impiorum, gurgiti delectationum ſenſualium immerſorum ex D. Gregorio *lib.* 33. *Moral. cap.* 24. quia enim piſces abundant humore, & ſemine, ſymbolum ſunt ignauiæ, & laſciuiæ, ſquamæ etiam piſcium ſymbolum ſunt duræ ceruicis, & obſtinationis ex Gregorio ſupra: vndè Paulus, olim Saulus, ſquamas depoſuit in ſua conuerſione: *ceciderunt enim tanquam ſquamæ ex oculis eius Actu* 9.

Ad rem igitur noſtram, quamuis ex fertili aqua baptiſmi naſcantur omnes Chriſtiani; non omnes tamen eundem finem ſortiuntur, nec omnes intrabunt in Regnum Dei, ſed ſolum illi, qui benè vtentes donis in baptiſmo receptis, tanquam volucres Cæli ſurſum aſcendunt alis contemplationis, & virtutum progreſſu: & tanquam aues canoræ Dei laudes cantabunt. E contrà, qui gratijs in baptiſmo receptis abutuntur: & ex aqua baptiſmali ſe demergunt in gurgites vitiorum, veluti piſces ſtupidi, demergentur in ſtagnum inferni, niſi per pænitentiam emergant: & ex piſcibus volucres fiant: in cuius figuram olim in lege veteri non admittebantur piſces ad altare Dei in ſacrificium altiſſimi, & in noua lege Chriſtus elegit in ſuos Apoſtolos piſcatores, dicens illis, faciam vos fieri piſcatores hominum: vt videlicet homines ad inſtar piſcium manentes in profundo gurgitis vitiorum, indè extraherent: & conuerſos in volucres, ad Cælum eleuarent.

III. EFFECTVS BAPTISMI.

Libertas.

TErtio per Baptiſmum liberamur à poteſtate Diaboli, eiuſque tirannica ſeruitute: & conſequimur libertatem filiorum Dei ex Apoſt. *ad Colloſ.* 1. vbi ſic ait, *Chriſtus eripuit nos de poteſtate tenebrarum, & tranſtulit in regnum filij dilectionis ſuæ:* & idcirco in Baptiſmo abrenuntiamus Sathanæ, & omnibus operibus eius.

In cuius figurã Hæbrei trãſeuntes mare rubrum remanſerunt liberi à ſeruitute Pharaonis. Vndè Apoſt. 1. *Corinth.* 10. *omnes* inquit *patres noſtri in Moyſe baptizati ſunt in nube, & in mari,* & ſenſus eſt, omnes Hæbrei anteceſſores noſtri per Moyſen baptizati sũt typice, quia trãſitus maris figurabat noſtrum baptiſmum, & ſicut illi tranſitu maris liberati ſunt à ſeruitute Ægiptiaca, ita nos tranſeuntes per aquas Baptiſmi liberamur à ſeruitute Diaboli, & conſequimur libertatem filiorum Dei ita exponunt communiter SS. PP., inter quos Theodoretus *in prædictum locum Apoſt.* ſic ait. *Illa,* ideſt *Hæbreorũ geſta erant noſtrorum typus. Mare enim imitabatur lauacrum Baptiſmi: nubes autem gratiam Spiritus Sancti: Moyſes denotabat Sacerdotem, & eius virga Crucem. Iſrael autem ſignificabat eos, qui baptizantur: perſequentes verò Ægiptij implebant figuram Dæmonum. Pharao tandem erat imago Diaboli:* hactenus Theodoretus; Hinc dies Baptiſmi dicitur dies Redemptionis à ſeruitute peccati, & Diaboli: teſte eodem

Apoſt.

Apoſt. *ad Epheſ.4. ſignati* inquit *in die redemptionis*, ideſt Baptiſmi, vt communiter expoſitores.

IV. EFFECTVS BAPTISMI.

Emundatio à lepra peccati.

QVarto Baptiſmus eſt ſacer balneus ſupernaturalis virtutis, quo mundantur infantes à lepra peccati originalis, & adulti ab omni etiam ſorde peccatorum actualium, item ab omni reatu pœnæ, vt conſtat ad *Epheſ.5.* vbi ſic ait Apoſt. *Chriſtus dilexit Eccleſiam, & ſe ipſum tradidit pro ea, vt illam ſanctificaret, mundans eam lauacro aquæ: vt exhiberet ſibi glorioſam non habentem maculam, neque rugam, aut aliquid huiuſmodi*, Idemque prædixerat Ezechiel *cap. 37.* dicens *effundam ſuper vos aquam mundam: & mundabimini ab omnibus inquinamentis veſtris.*

Hinc aptiſſimè à Chriſto fuit pro materia Baptiſmi inſtituta aqua, cuiuſque ablutio, quæ vim habet mundandi, & abſtergendi maculas, vt per ſenſibile ſignum abſolutionis externæ ſignificaretur emundatio interna animæ à ſordibus peccatorum, vt notant communiter Theologi cum D. Thoma *3. p. q. 66. ar. 3.*

Porrò in teſtimonium huius virtutis Baptiſmi mundandi à lepra peccati, quandoque à Deo factum eſt, vt etiam à lepra Corporis mundaretur aliquis in ſuſceptione Baptiſmi, vt contigit Conſtantino Magno Imperatori: non quia hanc virtutem circa Corpus Deus indiderit firmiter Sacramento Baptiſmi; ſed quandoque nouo miraculo id factum eſt in teſtimonium, vt dicebam infallibilis eius virtutis emundandi à Lepra peccati. Sicut olim in figura Nahaman Sirus per aquas Iordanis à lepra mundatus fuit.

V. EFFECTVS BAPTISMI.

Prætioſiſsimus Animæ ornatus, & decor.

QVinto per Sacramentum Baptiſmi mirificè decoratur, & illuſtratur anima prætioſis monilibus.

Sicut enim peccatis fœdatur, & deturpatur interius homo, ita è contra per gratiam ſanctificantem, & alia dona gratiarum ſpecioſa fit, & decora anima noſtra, & oculis Dei gratiſſima, vt dicitur *Cant. 4. Tota pulchra es amica mea, & macula non eſt in te*: cum ergo per baptiſmum infunduntur animæ, tum gratia ſantificans, tum habitus infuſi fidei, ſpei, & charitas, aliaque dona Spiritus Sancti, vt ex Concilijs, & Patribus docent omnes Theologi in *tract. de Sacramento Baptiſmi*: indè fit, vt elegantiſſimè ornetur anima baptizati, & prætioſis monilibus decoretur.

Vndè loquens de ſuo Baptiſmo B. Agnes apud S. Ambroſium *ſerm. 90.* ſic ait. *Ornauit me Chriſtus ineſtimabili dextro cherio: dexteram meam, & collum meum ciuxit lapidibus pratioſis: tradidit auribus meis ineſtimabiles margaritas: circumdedit me vernantibus, atque coruſcantibus gemmis: induit me ciclade auro texta: & immenſis monilibus ornauit me*: hactenus S. Agnes, quæ quidem ſpiritualia hæc monilia in baptiſmo recepta diligenter cuſtodiuit, & poſtea ſuis meritis auxit: ſed innumeri parum de illis curant: illiſque per peccata deprædari ſe ſinunt, amantes potius, proh dolor, ornatum corporis, quam animæ ſpeciem. Corporis nitore delectantur: animam autem denigrant ſuper carbones *Thren. 4.* Sed hos dimittamus.

Vt autem magis innoteſcat cunctis decor, & venuſtas animæ prædictis ornata monilibus, ea declaratur in ſacris ſcripturis varijs comparationibus: talis namque anima aſſimilatur Cœlo ſyderibus micanti. *Iſaiæ 66. Cœlum mihi ſedes eſt*, quod de anima iuſti interpretatur D. Gregorius *hom. 38. in Euang.* quippe alibi dicitur, *anima iuſti ſedes eſt ſapientiæ*, ideſt Chriſti, qui ſapientia eſt Patris. Item comparatur templo auguſtiſſimo, & magnificentiſſimè ornato: *iuſti enim ſunt templum Dei vini*, vt ſæpius teſtatur Apoſt. *1. in ſuis epiſtolis*. Vel comparatur horto delitiarum, florum varietate conſpicuo Cant. 4. *Hortus cunclusus ſoror mea ſponſa, fons ſignatus emiſſiones tuæ Paradiſus*. Vel comparatur Reginæ *in veſtitu deaurato circumdata varietate pſal. 44.* alijſque rebus præclaris, & inſignis decoris, ex quibus liquet quanti æſtimari debeat hic effectus Baptiſmi.

VI. EFFECTVS BAPTISMI.

Vnio cum Chriſto Supremo capite Eccleſiæ.

SExto per Baptiſmum incorporamur Chriſto, eiuſque myſtici Corporis, quod eſt Eccleſia, partes, & membra efficimur; cuius Corporis ipſe Chriſtus eſt caput. Sic teſtatur Apoſt. *1. corinth. 12. Etenim* inquit *in vno Spiritu omnes nos in vnum Corpus baptizati ſumus*: & infrà, *vos eſtis Corpus Chriſti, & membra de membro*: & ad *Epheſ. 4. ex Chriſto, qui eſt caput totum Corpus, compactum, & connexum eſt &c.* & alibi ſæpius id confirmat.

Ex quibus Apoſt. verbis manifeſtè conſtat in Baptiſmo, & per baptiſmum omnes fideles compaginari in vnum Corpus myſticum, & adinuicem, tanquam compartes mira diſpoſitione connecti, atque Chriſto vniri, tanquam Capiti totius huius Corporis. Porrò vita, ſeu ſpiritus, & anima eiuſdem Corporis eſt ipſe Chriſtus, quo ſingulæ partes viuificantur, & ſpiritualibus functionibus redduntur idoneæ. Pulchrè S Auguſtinus *ſerm. 18. in epiſt. 1. ad Corinth. Vita* inquit *Corporis anima eſt; Vita animæ Deus, & Chriſtus eſt. Spiritus Dei habitat in anima, & per animam in Corpore, vt & Corpora noſtra templum ſint Spiritus Sancti*: quod autem

autem Chriſtus ſit vita animarum noſtrarum, patet etiam ex verbis ipſius Ioan. 14. *Ego ſum via veritas, & vita*.

Ad hanc etiam vnionem fidelium cum Chriſto per Baptiſmum pertinet id, quod dixit idem Chriſtus Ioan. 15. *Ego ſum vitis vos palmites; qui manet in me, & ego in eo, hic fert fructum multum*: quaſi palmites ergo per Babtiſmum inſeruntur fideles Chriſto, qui eſt vitis Cæleſtis, & tanquam rami arbori vitæ: vt ex ea ſuccum hauriant, fructuſque producant.

Ex his diſcant Chriſtiani, qualiter ſe gerere debeant in operibus ſuis, vt videlicet Chriſtum caput ſuum caſtis, & ſanctis moribus imitentur: non enim decet ſub puriſſimo, & ſanctiſſimo capite membrum eſſe impurum. Neſcitis ait Apoſt. 1. *Corint. 6. quoniam Corpora veſtra membra ſunt Chriſti, tollens ergo membrum Chriſti faciam membrum meritricis: abſit.*

Memento ait D. Leo *ſerm. 1. de natiuit. cuius capitis, & cuius Corporis ſis membrum. Agnoſce ò Chriſtiane dignitatem tuam, & diuinæ conſors factus naturæ, noli in veterem vilitatem degeneri conuerſatione redire.*

Gloriantur homines Illuſtris Proſapiæ, & ſe in arbore ſtirpis regalis eſſe inſitos: vel magni alicuius Principis conſanguineos eſſe; ideoque turpe exiſtimant viles præſeferre mores; multo magis te gloriari oportet ò Chriſtiane, quod conſanguineus factus es Chriſti, cuius ſpiritu, & ſanguine viuis, & quod inſitus ſis in arbore Chriſti, qui eſt Rex Regum, & Dominus Dominantium: ſint ergo mores tui, tam ſublimi dignitati conformes, nè Chriſtus in te vileſcat.

VII. EFFECTVS BAPTISMI.

Character Spiritualis, eximium Chriſtianorum inſigne.

SEptimo per Baptiſmum inprimitur animabus noſtris Character indelebilis, & ſacrum ſignaculum, quo deputamur, & conſecramur Chriſto, vt potè Duci, & Paſtori noſtro ſignati proprio eius anulo, & regali ſigillo, vt ſic diſcernamur, & ſegregamur a reproba infidelium turba, quemadmodum in lege veteri per circumciſionem diſcernebatur populus Dei ab Idolatris, & ob alios effectus inferius explicandos.

Porrò hanc fidei veritatem manifeſtè probant Theologi ex ſacris ſcripturis, & Cocilijs in *tract. de Sacramentis in genere* cum D. Thoma *3. p. q. 63.* & declarant egregiè SS. PP., quorum nonnullas ſententias adnotabimus, vt melius innoteſcat hic Baptiſmi effectus.

Primo Dionyſius *de Eccleſ. Hierarch. p. 3. cap. 2.* ſic ait. *Accedens ad Baptiſmum diuina maieſtas in ſui conſortium intus admittit, eiſque lucem ſuam, perindè, ac ſignum aliquod tradit, ſanctos efficiens, & Sanctorum ſortis, ordiniſque participes.*

S. Chryſoſt. *hom. 2. in Epiſt. ad Epheſ. obſignati ſunt* Inquit *Iſraelitæ, ſed circumciſione, tanquam pecudes: obſignati ſumus, & nos, ſed Spiritu vt potè filij*; ſimilia habet S. Epiphanius *hæreſ. 8.*

S. Baſilius in *exortatione ad Baptiſ. homil. 13. Teſſeram* inquit *duces ſub ſe militantibus dant: Chriſtus ſuis militibus imprimit ſacrum Characterem: niſi Characterem in te agnoſcat Angelus, quonam modo pro te pugnabit, aut ab inimicis vindicabit, quonam modo dices Dei ſum, ſigna non oſtendens.*

S. Cyrillus Hieroſol. *in Chatec. Baptiſma ait eſt animæ regeneratio, veſtimentum candidum, ſignaculum ſanctum, & indelebile*; & Chatec. 17. addit *Spiritus Sanctus paratus eſt in Baptiſmo obſignare animam tuam, & dare tibi ſignaculum, quod Dæmones tremunt: Cæleſte quoddam, & Diuinum in te ſigillum Sanctificationis Dei*. Plura ſimilia legi poſſunt apud D. Ambroſium *lib. 1. de Spiritu Sancto cap. 6.* & apud D. Auguſt. *tract. 5. in epiſt. D. Ioannis*, & apud alios Patres.

Ex quibus liquet Characterem baptiſmalem eſſe inſigne donum Altiſſimi, quo anima decoratur, quo fideles conſcripti apparent inter milites Chriſti, & conſtituti ſub præſidio Angelorum, quo etiam fiunt habiles, & idonei ad ſacras functiones, cuique competentes, & præſertim ad recipienda cætera Sacramenta: vndè Baptiſmus dicitur ianua Sacramentorum, Inſignitis etiam charactere baptiſmali non poteſt Diabolus præualere: latrare poteſt, mordere eos non poteſt, niſi volentes. Denique hoc charactere acquiritur Ius ad gratias actuales virtute Baptiſmi conferendas tempore congruo, vt potè conſcriptis in familia Chriſti.

Cuius autem figuræ ſit hic character, & quid eo exprimatur; nobis in hac vita notum non eſt: poſſet non improbabiliter dici eſſe ſignum Crucis, vel potius nominis Ieſu, iuxta illud Apocal. 14. *habentes nomen agni, & nomen Patris eius ſcriptum in frontibus ſuis*, ideſt in animabus ſuis: frons enim eſt facies animæ.

Denique huic ſacro Characteri fidelium Chriſti è diametro opponitur Character Beſtiæ, de quo fit mentio Apocal. 13. quo Diabolus ſuos ſequaces inuiſibiliter ſignat, & inurit, & Antichriſtus, qui erit præcipuum Diaboli membrum, ſibi adhærentes ſignabit nota ſui nominis, tanquam ſimia Chriſti. Væ autem huiuſmodi ſignatis Diaboli habentibus Characterem beſtiæ: exterminabuntur enim ab Angelis Dei ſeptem plagis nouiſſimis, vt dicitur Apocal. 15.

E contrà gaudeant obſignati ſacro Charactere, & veri Chriſti aſſeclæ, quia deducentur ad fontem vitæ: & abſterget Deus omnem lacrymam ab oculis eorum &c. Apocal. 7.

PVN-

PVNCTVM VII.

De Proceſſione in die Sancto Paſchæ. De Communione Paſchali, & de Aſperſione aquæ benedictæ ſuper Populum.

IN Dominica Reſurrectionis fiebat olim ſolemnis Proceſſio ante Miſſam, & fieri modo ſolet alicubi in repræſentationem profectionis Apoſtolorum ad Montem Galileæ, vbi Chriſtus rediuiuus, & glorioſus ſe illis manifeſtaturum promiſerat. *Matth. 28. præcedam vos in Galileam, ibi me videbitis.* Galilea verò tranſmigratio interpretatur, quia ergo Chriſtus deſerturus Iudeos, tranſmigrare decreuerat ad gentes prædicatione Apoſtolorum, iuſſit Apoſtolis, vt à Iudæa in Galileam pergerent. Item vt moneret oportere nos a vitijs tranſmigrare ad virtutes, vt ipſum Chriſtum glorioſum videre mereamur, ita Durandus *in ſuo Rationali lib. 6. cap.* 88. & Rupertus Abbas *de diuin. offic. c.* 20.

Quamuis autem his noſtris temporibus apud Eccleſiaſticos non vigeat vbique vſus antiquus celebrandi ſolemnes proceſſiones in die Paſchæ: ſeruatur tamen Ritus antiquiſſimus aſpergendi populum aqua benedicta ante Miſſam ſolemnem, qui Proceſſioni erat adnexus, qua aſperſione hac die præſertim, quæ eſt exultationis, & gaudij renouat Eccleſia in nobis memoriam Baptiſmi: quo ad vitam Spiritualem reſurreximus virtute Reſurrectionis Chriſti: reſurrexit enim propter iuſtificationem noſtram, vt fuſius diximus præcedenti puncto, & notant Rupertus, & Durandus *loc. cit.* & repetitur ſingulis Dominicis dicatis in honorem Reſurrectionis Chriſti.

Tertius Ritus proprius huius diei eſt Communio populi ex præcepto Eccleſiæ alligata feſto Reſurrectionis, & dicitur Communio Paſchalis. Determinatum verò fuit hoc tempus pro Communione omnium fidelium ea præſertim ratione, quia incorporati cum Chriſto per ſumptionem Diuini Corporis ipſius, acquirunt peculiare Ius ad glorioſam Reſurrectionem ſuorum Corporum in nouiſſimo die, vt patet ex verbis Chriſti *Ioan. 6. qui manducat meam carnem, habet vitam æternam, & ego reſuſcitabo eum in nouiſſimo die.*

Triplici ergo Ritu prædicto triplex Reſurrectio recolitur ab Eccleſia in die Sancto Paſchæ. Prima, & principalis eſt Reſurrectio Chriſti, quæ eſt Cauſa, & exemplar aliarum, & celebratur Proceſſione ſupra explicata, & ſolemni officio, ac Miſſa. Secunda eſt Reſurrectio animarum fidelium per Baptiſmum, quæ recolitur ſolemni aſperſione aquæ benedictæ. Tertia tandem eſt Reſurrectio Corporum in die nouiſſimo, cuius firma ſpes excitatur communione Corporis Chriſti, cui incorporamur. *Et ſi Chriſtus reſurrexit*, ait Apoſt. *1. Cor. 15. ergo, & nos reſurgemus.* Hac ergo die, quam fecit Dominus exultemus, & lætemur in ea, & triplici lætitia exultemus, vt gaudium noſtrum ſit plenum.

PVNCTVM VIII.

De Proceſſione celebrantis cum Miniſtris ad cantandam Miſſam ſolemnem.

HAnc Proceſſionem adnectimus præcedenti in die Paſchæ, quia cantari ſolet Miſſa ſolemnis in Dominicis, & diebus feſtiuis maiori concurſu, Paſcha autem eſt Caput Dominicarum, & ſolemnitas ſolemnitatum, ac prima idea feſtorum omnium. Quamuis autem breuis ſit hæc Proceſſio, & conſtans modico perſonarum numero, multis tamen, & magnis eſt plena Myſterijs.

Procedunt autem omnes è ſacriſtia ad Altare maius hoc ordine; primo incedit thuriferarius cum Acolyto à latere: ſequuntur duo ceroferarij cum candelabris, & cereis accenſis: deinde Subdiaconus, cui ſuccedit Diaconus: poſtremo celebrans: omnes parati ſacris veſtibus cuiuſque ordini conuenientibus: interim pulſantur Campanæ. Si verò celebret Epiſcopus maior interuenit numerus Miniſtrorum; & fit apparatus ſolemnior de quo aliàs. Modo explicare intendimus Myſteria Proceſſionis deſcriptæ.

Progreſſus igitur Sacerdotis è Sacriſtia ſignificat exitum filij Dei è ſacro ſinu Patris, eiuſque aduentum in hunc Mundum, tanquam ſponſi procedentis de thalamo ſuo: ita Amalarius *lib. 2. de diuin. offic. cap.* 1. Rupertus *lib. 1. cap.* 28. Durandus *in Rationali lib. 4. cap. 6.* alijque interpretes diuin. offic. communiter.

Thuriferarius cum Acolyto, & alijs, qui candidis ſuperpelliceis induti præcedunt celebrantem: Item Chorus muſicorum, vel aliorum in Choro canentium partes Miſſæ, denotant comitatum Angelorum præſtantem obſequium Verbo incarnato: vndè Apoſt. *ad Roman.* 1. ſic ait, *cum iterum introducit Primogenitum in orbem terræ dicit adorent eum omnes Angeli Dei &c.* ſic enim hæc verba Apoſt. huic Myſterio applicat S. Germanus Conſtant. *in Theoria rerum Eccleſ.* ſic etiam verè aſſiſtunt Angeli Sacrificio Miſſæ coram altari, vt infrà dicemus.

Flammantes cerei ſunt figura luminis fidei, & doctrinæ Euangelicæ, qua Chriſtus venit Mundum illuminare iuxta Prophetiam Iſaiæ *cap. 60. ſurge illuminare Ieruſalem, quia venit lumen tuum &c.*

Acceſſus celebrantis ad ſummum Altare ſignificat accenſum Chriſti Supremi Sacerdotis ad ſummam Crucis Aram, in qua ſe ipſum obtulit immaculatam victimam pro ſalute mundi ex Apoſt. ad *Hebr. 9. Chriſtus aſſiſtens Pontifex futurorum bonorum per proprium ſanguinem, introiuit ſemel in Sancta æterna redemptione inuenta.*

Subdiaconus præcedens denotat Ioãnem Baptiſtam præcurſorem Chriſti, ſicuti exponit Innocentius *lib. 2. de offic. Miſſæ cap.* 1. de quo Myſterio nos egimus in comment. *ad Rub. Miſſalis p. 1. tit.* 10.

Diaconus deſtinatus ad cantandum Euangelium deſignat Collegium Apoſtolorum deſtinatum à Chriſto ad prædicandum Euangelium omni Creaturæ: & preſertim deſignat Ioannem Euangeliſtam Chriſto adhærentem in ſacrificio Cruci s.

Tandem Sacerdos in altari Sacrificium perſiciens repræſentat ſacrificium Crucis, in quo Chriſtus Sacerdos fuit, & Victima, & totius Mundi Redemptor.

Quibus omnibus maturè conſiderantis, aduertant Sacerdotes, qua puritate Angelica, qua ſublimi attentione, & profunda reuerentia Miſſam celebrare debeant. Audiant non mea verba, ſed Concil. Trid. *ſeſſ. 22. in Decreto de obſeruandis in celebr. Miſſæ*, vbi ſic dicitur. *Si neceſſariò fatemur nullum aliud opus adeo Sanctum, ac diuinum tractari poſſe, quam tremendum myſterium Sacrificij Miſſæ, quo viuifica illa hoſtia, qua Deo Patri reconliati ſumus in altari per Sacerdotes immolatur; ſatis etiam apparet omnem operam, & diligentiam in eo ponendam eſſe, vt quanta maxima fieri poteſt interiori cordis munditia, & puritate atque exteriori deuotionis, & pietatis ſpecie peragatur*, hactenus Trid.

Quod autem ſupra dicebamus de aſſiſtentia Angelorum eidem Sacrificio Miſſæ, ne quis putet gratis id aſſeri, vel leui fundamento id niti; referam hic auctoritates SS. PP, quibus rem eſſe indubitatam apparebit.

Primo S. Chryſoſtomus *lib. 6. de Sacerdotio*, ſic ait, *Per id tempus Sacrificij Angeli Sacerdoti aſſident; & cæleſtiam poteſtatum vniuerſus ordo clamores excitat, & locus altari vicinus in illis honorem, qui immolatur, Angelorum Choris plenus eſt*, & ſubdit, *Vidit ſenex quidam admirabilis eo tempore Angelorum multitudinem fulgentibus veſtibus inductorum Altare ipſum circumdatium &c.*

Secundo S. Euthimius Abbas ſacrificans ſæpe vidit Angelos ſecum Deo miniſtrantes, & Sacra contractantes. Aliàs vidit ignem, & lucem immenſam deſuper deſcendentem, quæ ipſum cum Miniſtro vſque ad finem Sacrificij complectebatur, ſicuti teſtatur Cyrillus in eius vita, & refert Cornelius à Lapide in *comment. ſuper Leuiticum cap. 9. fine*.

Tertio S. Baſilius ſacrificans viſus fuit candidiſſimo lumine, & candidatis Angelis circundari, vt teſtatur Amphiloc. in eius vita.

Quarto *S.* Gudualus Archiepiſcopus Miſſam celebrans vidit aperiri Cælos, & indè Angelos deſcendere, atque cum ingenti reuerentia ſacrificio aſſiſtere, vt ex auctore eius vitæ refert Cornelius ſupracitatus.

Tandem Ioannes Moſcus in *Prato Spirituali cap. 199.* commemorat ſenem, qui ſacrificans videbat Angelos, dextera, læuaque ſibi aſſiſtere. Plura legi poſſunt apud S. Gregor. *hom. 37. in Euangelia*, & apud Cornelium, *l. c*, & in *noſtris comment. in Rub. Miſſalis*.

PVNCTVM IX.

De Proceſſione Litaniarum maiorum in die S. Marci 25. Aprilis.

DE hac Proceſſione, vt potè antiquiſſima, & valdè celebri luculenter ſcripſerunt interpretes Diuin. Offic. Durandus in *Rationali lib. 6. cap. 102.* Stefanus Durandus de *Ritibus Eccleſiæ lib. 2. cap.* 10. Amalarius *de Offic. Eccleſ. lib. 1. cap. 37.* Alcuinus *de Diuin Offic. cap. 33.* alijq; nos breuiter ſelectiora notabimus.

Primo inquirendum occurrit, Cur hæc Proceſſio dicatur Litaniarum maiorum, & in quo differant maiores hæ litaniæ à Litanijs maioribus Rogationum: cum enim conſtet in vtriſque Proceſſionibus cantari eaſdem Litanias inuariatè: meritò dubitatur, cur ſic diuerſimodè appellentur. Durandus, loco citato, cum alijs cenſet Litanias Sancti Marci dici maiores, quia à maiori Pontifice inſtitutæ fuerunt videlicet à D. Gregorio Magno Summo Pontifice. E contra Litanias Rogationum dici minores, quia primo indictæ fuerunt à Mamerto Viennenſi Epiſcopo: quilibet autem Epiſcopus minor eſt Summo Pontifice; Cæterum hæc opinio falſo nititur fundamento, vt mox dicemus: ſi quidem Litaniæ maiores recitabantur in Eccleſia longè ante D. Gregorium.

Serrarius etiam *opuſc. de Proceſs. l. 2. c. 6.* alias affert rationes huius diſcriminis inter maiores, & minores Litanias, quæ videntur inſufficientes. Nec immorandum eſt in re non magni momenti. Vndè

Reſpondeo breuiter cum Suarez. *lib. 3. de oratione vocali cap. 9. num.* 26. cum noſtro Caſtaldo in *Praxi Cærem. lib. 2. ſec. 10. cap.* 7. Litanias maiores ſic dici, quia à principio maiori ſolemnitate fuerunt inſtitutæ, & celebratæ; Videlicet maiori concurſu, tum Eccleſiaſticorum cum præſentia Epiſcopi, tum ſecularium maiori cum apparatu, & luminum copia, atque alijs ſimilibus, quibus Litanias Rogationum excedebant: & hæ minores dictæ fuerunt. Quamuis autem proceſſu temporis ceſſauerit ea pompæ inæqualitas inter vtraſque Litanias; nihilominus retenta fuit prædicta nominum differentia maiorum, & minorum.

Aduertendum eſt hic obiter minus rectè à Suarez lococitato affirmari Litanias maiores dici eas, quæ celebrantur in Rogationibus, è contra minores eſſe eas, quæ cantantur in Proceſſione *die* 25. *Aprilis* in feſto S. Marci: fortè error fuit impreſſorum, vel inaduertentiæ, ſiquidem ex rubricis Miſſalis in feſto S. Marci, & in Miſſis Rogationum; item ex Rituali Romano manifeſtum eſt Litanias Rogationum dici minores: & è contra appellari maiores, quæ in Proceſſione S. Marci recitantur.

Secundo inquirunt auctores de hac Proceſſione tractantes. Quiſnam primo Litanias prædictas inſtituerit, vel primus auctor earum ſit habendus: Aliqui enim affirmant fuiſſe inſtitutas, & compo-

ſitas

ſitas à D.Gregorio Magno. Cæterum hæc opinio communiter refellitur: Siquidem in pluribus Concilijs, quæ longè præceſſerunt D. Gregorium, fit Mentio Litaniarum maiorum, & minorum: vt videri poteſt apud Suarez loco citato, vbi etiam id confirmat auctoritatibus D. Auguſtini, Baſilij, & aliorum D. Greg. antiquiorum, quamuis enim idem Sanctiſſimus Greg. ſæpius eas indixerit, & celebrari præceperit ſolemniori quodam ritu præ cæteris; non tamen ipſe compoſuit: ſed ſecundum aliquos auxit, & ampliauit. Primus autem earum auctor, & inſtitutor ignoratur, ſicut etiam primus auctor huius Proceſſionis, de qua loquimur.

Concludimus ergo celebritatem huius noſtræ Proceſſionis, & Litaniarum antiquiſſimam eſſe, ac religione, & pietate inſignem: & idcirco ſemper ab Eccleſia fuiſſe approbatam, & retentam: de qua re plura dicemus *in appendice de Litanijs Sanctorum*.

Tertio quò ad circumſtantiam temporis. Inquirendum occurrit: Cur hæc Proceſſio celebretur in menſe Aprilis, & quidem cum feſto S.Marci, non habet neceſſariam connexionem: nam etiam ſi hoc feſtum transferri contingat cum officio eiuſdem Sancti: nihilominus ipſa die 25. *Aprilis* celebratur Litaniarum Proceſſio.

Dicendum eſt breuiter cum Alcuino de *diuin. offic. cap. 23.* cum Durando *loco ſupra cit.* & alijs. Ita fuiſſe inſtitutum: quia hoc tempore veris ſolent moueri bella, & exercitus inimicorum, contra quos præmuniri volens Eccleſia Chriſtianorum regna, & Ciuitates ope diuina; ſacras huiuſmodi ſupplicationes inſtituit.

Item quia eodem tempore ſegetes omnes ſunt in via ad profectum; meſſes pullulant; Arbores floreſcunt, Vineæ, & oliuæ prorumpunt. Vt ergo impetrent Chriſtiani à Deo meſſium, & fructuum conſeruationem, ac maturitatem, fælicemque exitum, hanc Proceſſionem inſtituit Sancta Mater Eccleſia.

Tandem aduertimus, & monemus deberi à fidelibus prædictas Litanias, tum in hac Proceſſione, tum in alijs, peculiari mentis attentione, & cordis feruore cantari, vel recitari: ſunt enim præces ſacratiſſimæ ſublimis, & exquiſitæ formæ, & grandis efficaciæ apud Deum, & Sanctos, vt fuſius explicabimus in *Appendice huius tract.*

P V N C T V M X.

De Proceſſionibus Rogationum triduò antè Aſcenſionem.

TRiduanas haſce Proceſſiones Litaniarum minorum ante Aſcenſionem Domini conſtat eſſe antiquiſſimas, & omni deuotione celebrandas, vt ex dicendis patebit.

Primo autem conuenit inter omnes à Sancto Mamerto Vienenſi Epiſcopo eas primo fuiſſe indictas, qui floruit circa *annum Domini* 452. Teſtes ſunt ferè omnes interpretes Diuin. Offic. Valfridus, Rupertus Abbas, Micrologus, Amalarius, vterque Durandus, & communiter alij auctores, qui de hac re ſcripſerunt: & quamuis Cardinalis Baronius contradicere videatur in *notis ad Martyrol. Romanum ſub die 25. Aprilis*, eius tamen argumenta non probant, niſi ante S.Mamertum celebratas fuiſſe alias ſupplicationes cum litanijs, non tamen has triduanas ante Aſcenſionem. Non enim ex citatis auctoribus nos dicimus præces Litaniarum fuiſſe primo inuentas, vel compoſitas à S.Mamerto, ſed ab eo fuiſſe primo cum Proceſſionibus indictas pro triduanis Rogationibus ante Aſcenſionem: & deindè ab Vniuerſali Eccleſia approbatas, & receptas, vt potè eximia pietate conſpicuas, & meritò introductas.

Quam autem ob Cauſam indictæ fuerint hæ triduanæ Rogationes. Reſpondeo à S.Mamerto indictas fuiſſe ad auertendas calamitates, quibus ſuo tempore affligebatur Vrbs Viennenſis, quarum ſeriem narrant Gregor. Turonenſis *lib. 2. hiſtor. c. 34.* & Sidonius *lib. 7. epiſt.* Ad vniuerſali verò Eccleſia quotannis celebrari, vt præcipiuntur, vt propitietur Deus peccatis populi ſui, & ab eo flagella iræ ſuæ dignetur auertere: pacem, & aeris ſalubritatem concedat: vt fructus terræ dare, & conſeruare dignetur: omnibuſque neceſſitatibus ſuorum fidelium benignè proſpiciat; vt conſtat ex ordine Romano *tit. de Rogat.* Et confirmant Amalarius *lib. 1. cap. 37.* Gemma *lib. 3. cap. 139.* Cæſarius Areſt. *hom. 37.* & alij, quos in ſimili citauimus *punc. præcedenti*.

Quoniam autem eædem Proceſſiones Rogationum ordinantur præcipuè ad impetrandam à Deo conſeruationem frugum, & ſegetum, vt dicebamus; mos eſt præſertim in villis, & ruſticanis Parochijs agros luſtrare, & circumeundo eorum finis ſupplicationes haſce peragere; idcirco ab ambiendis aruis dicuntur Proceſſiones ambaruales, de quibus meminit Concil. Colon. *cap.* 8. & Concil. Mediolan. *tit. de Proceſſ.* atque tali ritu benedicuntur agri, & aſperguntur aqua benedicta, vt benedictionis fructibus fideles repleantur, iuxta benedictionem, quam dedit Iſaac filio ſuo Iacob, *Gen. 27. de rore Cæli, & de pinguedine terræ det tibi Deus abundantiam*. Continent etiam hę triduanę Proceſſiones nonnulla myſteria, quæ mox breuiter explicabimus.

Primo non abſque myſterio fuerunt ab Eccleſia inſtitutæ ternæ Rogationum Proceſſiones ante feſtum Aſcenſioni. Quia vt alias diximus *ſec. 1. punct. 9.* Proceſſio eſt typus præſentis noſtræ peregrinationis ad Patriam Cęleſtem curſu huius vitæ: completur verò exitu ex hoc ſęculo; & tunc iuſti poſt labores itineris, ſi complerè ſatisfecerint pro peccatis, aſcendunt in Cælum. Curſus autem huius vitæ, & peregrinationis triplici periodo completur, videlicet adoleſcentia, quæ ſub ſe continet, pueritiam, & infantiam: ætate virili: & ſenectute: Alij triplicem dicunt eſſe hominis ætatem: Primam viridem; Secundam adultam, ſeù maturam; Tertiam præcipitem; meritò ergo ab Eccleſia triplex hæc periodus noſtræ vitæ, & peregrinationis triplici Rogationum Proceſſione

dirigitur, & diuina ope communitur, vt ea completa feliciter perueniamus ad Patriam, & cum Chriſto aſcendemus in Cælum.

Secundò Chriſtus in ſua Paſſione ter orauit in horto, tribus horis pependit è Cruce, triduò iacuit in ſepulchro, vt ſic perueniret ad gloriam Reſurrectionis, & ad triumphum Aſcenſionis in Cælum; meritò ergo Eccleſia ante feſtum Aſcenſionis trinam indicit nobis Rogationem, vt ter oremus cum Chriſto, & tribus ferè horis, quibus durat Proceſſio, Crucis mortificationem cum Chriſto amplectamur: denique hoc triduo ad pœnitentiam deſtinato mente deſcendamus in fœtidum ſepulchrum noſtrorum peccatorum, quibus contritione deletis, reſurgimus ad vitam ſpiritualem, vt tandem cum Chriſto aſcendere mereamur ad Cælum.

Tertio Maria, & Ioſeph dolentes ob Chriſti abſentiam tribus diebus quæſiuerunt eum, & poſt triduum inuenerunt ipſum Ieſum in templo. Meritò ergo Eccleſia triduanas Proceſſiones indicit, quibus inquiramus Chriſtum; vt poſt triduum mereamur ipſum inuenire per gratiam, & gaudeamus cum ſponſa dicentes, *inueni quem diligit anima mea*.

Quarto S. Xiſtus Pontifex triduum præfixit D. Laurentio ad exercenda opera pietatis in pauperes, vt poſt triduum coronam Martyrij conſequeretur, & ſequeretur ipſum in Cælum. Sancta Cecilia triduanas à Domino popoſcit inducias ſui Martyrij, vt Domum ſuam Eccleſiam conſecraret. Deuotæ etiam turbæ ſequentes Chriſtum in deſerto triduo pati voluerunt in ediam, & poſt triduum à Chriſto refectæ, & ſatiatæ fuerunt; ſimili ergo modo hoc triduo Rogationum fideles orationi vacantes, atque operibus pietatis, & mortificationis, refectionem à Chriſto obtinebunt: Domum internam animæ in templum Dei conſecrabunt: & Sanctos, qui præceſſerunt, ſequentur in Cælum Chriſti aſcenſione reſeratum.

Quinto ex Euangelio Officij, & Miſſæ Rogationum nos indigemus tribus panibus perſeueranti oratione impetrandis à Deo: videlicet pane materiali pro vita Corporis, pane gratiæ ſpiritualis pro vita animæ, & pane ſuper ſubſtantiali Euchariſtiæ, quo nutrimur in vitam æternam. Ad hos ergo tres panes impetrandos triplex Rogationum Proceſſio indicitur ab Eccleſia, vt oratio fit perſeuerans, & efficax. Item indigemus remiſſione triplicis culpæ, quia peccamus nimis cogitatione, verbo, & opere; Inſuper neceſſè habemus liberari à triplici miſeria, videlicet ab ignorantia, à culpa, & à pœna. Tandem ab omnibus malis præteritis, præſentibus, & futuris: idcirco ternæ indicuntur Proceſſiones Rogationum, quæ veneratione Sanctiſſimæ Trinitatis, & orandi preſeruantia magnam vim habent placandi Deum, & poſtulata impetrandi. Amen.

PVNCTVM XI.

De Triumphali Proceſsione in Feſto Corporis Chriſti.

SOlemne feſtum Corporis Chriſti, eique adiunctam triunphalem Proceſſionem; primo inſtituit Sanctiſſimus Pontifex Vrbanus IV. circa annum Domini 1261. Deindè confirmauit Clemens V. in Concilio Viennenſi anno Domini 1301. nouaque ſanctione roborauit Concil. Trident. *ſeſſ.* 13. *cap.* 5. Quas autem ob Cauſas ſolemne hoc feſtum fuerit inſtitutum; luculenter explicat idem Vrbanus IV. *in ſua conſtit: hac de re ædita*, & videri etiam poſſunt Concil. Trid. & D. Thomas *in ſerm. eiuſdem feſti*; nos breuiter nonnullas adducemus, quæ magnis pietatem excitant, & feruorem deuotionis erga tantum Sacramentum.

Prima Cauſa eſt, vt fideles immenſi huius beneficij memores, feruentiori affectu excitentur ad obſequium tantæ Maieſtati debitum, & ad debitas agendas gratias Chriſto liberaliſſimo benefactori, qui ſe ipſum nobis largitur; id eſt ſuum verum Corpus, & prætioſum ſanguinem in cibum vitæ Spiritualis; Item vt ſic diſponamur ad noua beneficia promerenda, quæ abundè promanant ex reali Chriſti præſentia in hoc Sacramento, præſertim in hoc feſto, & celebratione Proceſſionis.

Sicut enim ipſe Chriſtus in ſua propria ſpecie olim inter homines degens, & Iudeam perambulans, cæcos illuminabat, claudos erigebat obſeſſos à Dæmone liberabat &c. quia *virtus de illo exibat, & ſanabat omnes*: non abſimili modo idem omnino Chriſtus verè, & realiter in hoc Sacramento contentus, eademque virtute præditus diſcurrendo in huius feſti proceſſione per vias, & plateas Ciuitatum; ſuos fideles omni benedictione replet: quia ſemper manat ex illo virtus ad ſanandum nos.

Secundo fit hæc ſolemnis Proceſſio ad terrendos noſtros inimicos, tam viſibiles, quam inuiſibiles, qui reali præſentia Chriſti noſtri inuictiſſimi Ducis debilitantur, & auſugiunt: & nobis in certaminibus vires arreſcunt, & pariter vigor, & animus ad victoriam. In cuius figuram in veteri Teſtamento adduci ſolebat Arca ad Caſtra, & circumduci ad erigendam ſpem victoriæ de inimicis, vndè canit Eccleſia.

O Salutaris hoſtia
Quæ Cæli pandis hoſtium
Bella premunt hoſtilia
Da robur, fer auxilium.

Hinc D. Chryſoſt. *hom.* 61 *ad popul. Tanquam leones* inquit *ignem ſpirantes ab hac menſa recedamus, facti Diabulo terribiles, & caput noſtrum mente renoluentes*. Hinc B. Clara Saracenis inuadere conantibus monaſterium, cui illa præerat, quamuis ægra ſe ad portam afferri voluit, vnaque vas in quo Sanctiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum erat inclusum,

cluſum, quo præſidio remanſit illæſum Monaſterium;& Saraceni,qui murũ aſcenderant,capti oculis præcipites ceciderunt.In omnibus ergo periculis,&inimicorũ incurſibus confugiendus eſt nobis pro defenſione ad hanc hoſtiam ſalutarem;ſed hodierna Proceſſione ſpecialius ad hunc recurſum inuitamur, & firm oti ſpe in Chriſtum munimur.

Tertia Cauſa eſt digna noſtra æmulatio Eccleſiæ triumphantis; Sicut enim in Cælo in honorem Chriſti Agni immaculati, & dupliciter immolati ſemel in Cruce, at ſæpiſſimè in Sacrificio Miſſæ, ſeù in Myſterio Euchariſtiæ ſolemnę feſtum celebrant Angeli cum pompa, & ornatu, ac ritibus exquiſitis eidem Diuino Agno hymnos canentes, & laudes: vt ſæpius teſtatur Ioannes in *ſua Apocalip*.Ita nos in terris, quantum poſſumus æmuli Cælitum hanc celebramus feſtiuitatem, feſtiuamque Proceſſionem in honorem eiuſdem Agni Euchariſtici, ſolemniori, qua poſſumus pompa, & ornatu. Hinc templa magnificentiſſimè reſplendent: ſacerdotes in Proceſſione veſtibus vtuntur ſacratioribus, & prætioſis, ac pariterq; alij Eccleſiaſtici ſuo cuique ordini conuenientibus, omnes cum facibus ardentibus in ſignum lætitiæ. Hinc plures Muſicorum Chori laudes Chriſto perſonantes, & è templorum turribus ſacrarum Campanarum armonia, bobardarum etiam boatus, non Martem reſonans, non mortem minans, ſed lætus, honorificuſque ſonus Hinc pleraque Altaria argento, & auro, gemmiſque micantia in publicis vijs, & plateis erecta. Sternuntur etiam viæ virentibus folijs, ameniſque floribus: vndique etiam apparent. Serica paramenta, vel auro intexta parietibus affixa, velè feneſtris Domorum pendentia, ita vt tota Ciuitas referat ſpeciem quandam Paradiſi. Denique cernitur concurſus frequentiſſimus populorum nobilium, principum, & Regum, qui Proceſſionem hanc ſuo comitatu decorant, præſertim Reges noſtri Auſtriaci ob peculiarem deuotione erga tantum ſacramentum præclariſſimi, & omni laude digniſſimi, qui hac occaſione deponentes Maieſtatem proſtati ante thronum Agni ſuo modo imitantur viginti quatuor ſeniores Apocal: mittentes coronas ſuas ante thronum Domini Dei ſui. Concludimus æmulatores Angelorum in terris fore illorum conſortes in Cælis.

Quarta Cauſa potiſſima eſt Decretum Æterni Patris, qui honotificis huiuſmodi Proceſſionibus ſtatuit compenſare ignominioſas illas profectiones, quas Chriſtus obiuit tempore ſuæ paſſionis, vſque ad montem Caluariæ; humiliauit enim ſemetipſum Dominus Ieſus Chriſtus vſque ad mortem: propter quod, & Deus exaltauit illum. Hinc diſcamus, quam cumulatè liberaliſſimus Dominus depreſſos propter iuſtitiam,etiam in hac vita remuneret.

Quinto inſtituta fuit hæc triumphalis Proceſſio in publicam Catholicæ fidei profeſſionem, & gloriam Catholicorum, & pariter in confuſionem, & deteſtationem Hereticorum, qui ſuis deliramentis obſcurare nituntur veram,& realem Chriſti præſentiam ſub ſpeciebus Euchariſtiæ, & hi quidem peiores ſunt beſtijs, quæ non ſemel diuino inſtinctu motæ hoc auguſtiſſimum Sacramentum pronæ adorauerunt: vti de apibus narrat Thomas Cantipratenſis *lib.* 2. *cap.* 40. & de Agno idem refert S. Bonauentura *in vita S. Franciſci*. Itemque de mulo idem teſtatur auctor vitæ Sancti Antonij Patauini apud Surium *tom.* 3. fremant ergo dentibus hæretici, & tabeſcant: deſiderium eorum peribit.

Tandem vltima Cauſa eſt vitæ, cuiuſque fidelis reformatio occaſione tantæ celebritatis: & primo ſi quis, vel ob negligentiam, vel ob inaduertentiam cæteris anni diebus minus reuerenter ſe geſſerit in veneratione tanti Sacramenti, in hac ſolemnitate ſuos defectus corrigat, & reſtauret. Deindè ne quis coram Chriſto triumphante fædus, & fætidus peccatis audeat comparere: nè contra aliquem proferatur illa ſententia *Apocal.* 22. *foras canes, & impudici &c.* Vt ergo omnes dignè aſſiſtant huic Proceſſioni, non tam nitore externo conuenit eos fulgere, quam interna animi puritate, qua in primis Chriſtus delectatur. De ritibus in hac proceſſione ſetuandis videri poteſt Caſtaldus *in ſua praxi lib.* 2. *ſect.* 10. *cap.* 2.

PVNCTVM XII.

De Proceſſione Sacratiſſimi Roſarij in honorem Virginis Deiparæ.

IVſtum, & dignum videtur, vt poſt celebratas Chriſti laudes, occaſione proceſſionis ſupra explicatæ; conuertamus immediatè calamum in gloriam Sanctiſſimæ Matris eiuſdem Chriſti, & de proceſſione deuotiſſimi eiuſdem Roſarij diſſeramus.

Quando autem, & à quibus fuerit inſtituta deuotio Roſarij, & qualiter proprius, quam ad alios ad PP.Dominicanos pertineat,a quibus ſolemniter celebratur Proceſſio huius myſterij ex ſpeciali indulto Sedis Apoſt. Dominica 1. Octobris, patebit ex infrà dicendis de auctore Roſarij.

In primis hic aduertendum, hanc præcum deuotionem communiter appellari Roſarium, ſumpta metaphora à roſis, quæ ſicut inter flores hortorum mirificè excellant, & primum obtinent locum ob eximium earum decorem, coloreſque decors, ob odoris fragrantiam, & ob ſalutares effectus, quos cauſant; Ita Roſarium inter omnes deuotiones primatum obtinet ob inſignes prerogatiuas, quibus refulget. Præſertim autem Roſæ ſunt typus, & ſymbolum, tum ſacrarum præcum, & orationum ad Deum ob earum fragrantiam: tum ornatæ, & gratæ eloquentiæ inſignium oratorum apud homines, quaſi tot roſæ ex eorum prodeant ore, quot conceptus, & ſententias proferunt: vndè manauit prouerbium, *Roſas loquis* apud Pierium *lib.*55.verbo gratia.Hinc in re noſtra roſæ ſignificant ſacras præces, quas fundunt fideles piè recitantes Roſarium; ex quibus contexitur ſertum, ſeù diadema ad ornatum Capitis.

pitis Deiparæ, Virginum Reginæ: corona enim florum, & roſarum, maximè congruit Virginibus. Porrò non ſemel (ex auctoribus infrà citandis) viſæ ſunt ex ore recitantium ſalutationes Angelicas roſas prodire, quas Angeli colligentes Mariæ obtulerunt pro diademate.

Meritò quidem: cum enim Dei genitrix ſit Regina Cæli, & terræ: Angelorum, & hominum; tanquam Regina Cæli ſtellis coronatur *Apoc*. 12. hoc eſt priuilegijs, & inſignibus cæleſtibus, & Angelorum, quorum obſequijs colitur: & inſuper vt hominum, & terræ Regina coronatur roſis, quæ ſunt veluti ſtellæ terrarum, hoc eſt prærogatiuis omnium iuſtorum, omniumque obſequijs, & laudibus celebratur. His poſitis.

Vt euidentius appareat excellentia, & dignitas huius deuotionis, quæ Roſarium appellatur, diſcurrendum eſt ſupra præcipua Capita, ex quibus colligi ſolet cuiuſque rei excelentia, & ſublimitas videlicet ex auctore, ex partibus componentibus, ex numero earumdem partium, ex myſterijs, quibus refulget, & tandem ex fructibus, quos parit. De quibus omnibus plures auctores fusè ſcripſerunt, præſertim Alanus *de dignit. Pſalterij B. V.* Nauarrus *in Miſcell. de Roſario* Albertus Caſtellanus *de Roſar*: Ioannes Andreas Coppen *de excell. Roſarij*, alijque plures, ex quibus ſelectiora notabimus.

De Auctore Roſarij.

DE primo Roſarij auctore, eiuſque origine varia ſcripſerunt auctores; nos adhærentes communi, & magis receptę ſententię; dicimus deuotionem Roſarij reuelatam primo fuiſſe à Dei genitrice Maria Sanctiſſimo Patriarchæ Dominico Prædicatorum inſtitutori, vti conſtant ex Bulla Pij V. hac de re ædita, incipit *Conſueuerunt*, atque adeo Roſarium ſuam originem ducit à Virgine Maria, & à S. Dominico: conſequenter omni ſtudio, & deuotionis ardore ad diſcendum, & recitandum.

Primus namque diſcendi ardor ex Ambroſio de *Virgin. lib. 2. nobilitas eſt Magiſtri: quid autem nobilius Dei matre? quid illuſtrius ea, quam ſplendor elegit?* hæc Ambroſius. Adde, quid illuſtrius inclito Patriarcha Dominico poſt Dei Matrem? quem ipſa Dei genitrix ſole ſplendidior in ſuum electum, & dilectum diſcipulum præ elegit, & hac ſublimi reuelatione dignauit, atque diuinas præces Roſarij edocuit, vt ipſemet Dominicus eis vteretur ad profligandas hæreſes, & cordibus fidelium eaſdem imprimeret in obſequium gratiſſimum reuelantis Deiparæ.

Maria igitur has myſticas roſas plantauit; Dominicus rigauit, Deus autem incrementum debit. Maria dictauit hoc inſigne opus Roſarij; Dominicus conſcripſit, & euulgauit: Chriſtus autem per ſuos Vicarios ampliſſimis priuilegijs ditauit.

Maria concepit, & peperit nobiliſſimam hanc Roſarij prolem: Dominicus eam nutriuit, & æducauit; Deus autem innumeris miraculis illuſtrauit. Conſtat ergo ex hoc capite originis, & primi eius auctoris. Roſarium eſſe deuotionem valde ſublimem, & Sacratiſſimum; Concludo verbis D. Ambroſij *loco citato*. *Si igitur auctor non diſplicet opus probemus.*

De Partibus componentibus Roſarium.

SEcunda excellentia Roſarij conſurgit ex partibus, quibus conſtat, videlicet oratione Dominica, & ſalutatione Angelica: quo enim partes ſunt digniores, & nobiliores, eo ex ipſis reſultat compoſitum perfectius: Conſtant autem inter omnes preces prædictas, ſublimiorem locum obtinere: ergo &c.

Et quidem de oratione Dominica, nemo dubitat eam eſſe omnium excellentiſſimam: tum propter auctoris ſummam eminentiam, Chriſti videlicet veri Dei, æternique Patris Sapientiæ: tum quia mirabili diſpoſitione compoſita omnes perfectiones orationis, & vniuerſam orandi materiam complectitur, vt fusè declarant expoſitores Euangeliorum in *cap. 6. Matt.*

Hæc oratio Dominica proponitur ab Eccleſia omnibus fidelibus, & præcipitur animarum paſtoribus, vt inter fidei rudimenta illam vniuerſos edoceant: & ſimiliter parentibus, vt cum lacte, & nutrimento Corporis, animis filiorum hoc manna cæleſte inſtilent; Vndè Auguſt. *ſerm.* 215. *de tempore* ſic ait; *Symbolum, & orationem Dominicam, & ipſi tenete, & filijs veſtris oſtendite; nam neſcio qua fronte ſe Chriſtianum dicit, qui paucos verſus in ſymbolo, vel in oratione Dominica contentos parare diſſimulat.*

Hanc eandem orationem SS. PP. ſummis laudibus celebrant, omneſquè Theologi cum D. Thoma. 22. *q.* 83. *art.* 9. digniſſimam, ac excellentiſſimam ſuper omnes alias eſſe conſtanter docent.

De Salutatione Angelica non diſſimilia docent, tum SS. PP., tum Doctores, & Theologi communiter. Si quidem prima illa verba *Aue gratia plena*, ſunt Gabrielis Archangeli, vt conſtat Lucæ 1. quando nuntiauit Mariæ incarnationis Myſterium: ea verò, quæ ſequuntur, ſunt pariter Archangeli, & S. Eliſabeth *benedicta tu &c.* vt ex conſenſione horum Sanctorum ait Ambroſius, Spiritus Sanctus vtriuſque ſalutationis auctor oſtenderetur. Eliſabeth etiam Spiritu Sancto plena pronuntiauit verba ſequentia, *& benedictus fructus ventris tui*. In prima ergo parte huius Salutationis omnia ſunt à Spiritu Sancto dicta, & ſumma pietate referta.

Altera pars eiuſdem Salutationis addita eſt ab Eccleſia ſimiliter à Spiritu Sancto edocta, qua petimus à Dei matre, vt in vita, & in morte nos protegat.

Cum ergo partes componentes Roſarium ſint orationes omnium perfectiſſimæ, manifeſtè ſequitur ipſum Roſarium inter omnes formas orandi principatum obtinere.

Item cum partes prædictæ ſint à Spiritu Sancto dictatæ, & tota hæc deuotio Roſarij habeat ſuam originem à Deipara Spiritu Sancto ſuper plena,

& a

& à Dominico mirificè ornato donis Spiritus Sancti, Sapientiæ, Conſilij, fortitudinis &c. vt conſtat ex eius geſtis: meritò Pius V. in Bulla ſupra citata, Roſarium appellat inuentum Spiritus Sancti.

Denique cum oratio diſtinguatur in vocalem, & mentalem: Roſarium autem ratione præcum prædictarum, quæ voce proferuntur ſit vocalis oratio, & ratione myſteriorum, quæ meditanda proponuntur, ſit mentalis oratio; ſequitur præces Roſarij eſſe perfectiſſimas, vt potè complectentes vtriuſque orationis commoda.

De Sacro numero, & conuenienti diſpoſitione earundem partium Roſarij.

TErtia excellentia Roſarij manat à myſtico numero præcum, quæ in eo recitantur, & à miro, quo diſponuntur ordine.

Primo enim Roſarium eſt vnica, & tripartita oratio in honorem Dei, & Sanctiſſimæ Trinitatis, ad quam principaliter dirigitur omnis vera oratio, ſed expreſſius in Roſario quod vnum eſt, & in tres partes diſtribuitur tripartito ordine Myſteriorum, quæ gaudioſa, doloroſa, & glorioſa dicuntur.

Item in honorem Deiparæ Virginis, & tripliciter Virginis, ante partum, in partu, & poſt partum.

Deindè quælibet pars continet quinquaginta Aue, & quinque Pater &c. Conſtat autem numerum quinquagenarium, tum ex veteri Teſtamento *Leuit.* 25. tum ex nouo, in quo quinquageſimo die à Reſurrectione Chriſti venit ſpiritus Sanctus ſuper diſcipulos, pertinere ad Iubileum, ſeù remiſſionem pleniſſimam; quia per Roſarium tripartitum impetramus remiſſionem à culpis, a pænis, & à miſerijs huius vitæ. Quia verò omnis remiſſio, & liberatio noſtra originem habet à ſanguine Chriſti è quinque eius plagis effuſi, quinquies dicitur Pater, ſeù oratio Dominica.

Tertio ſingulæ partes Roſarij quinque decadibus, (vulgo poſte) abſoluuntur, præmiſſa vnica oratione Dominica: quia obſeruatione Decalogi, ſeù decem præceptorum efficimur capaces Iubilei, & remiſſionis. Præmittitur autem Pater &c: quia non noſtra virtute, ſed gratia Dei, quam petimus, vt fiat in nobis voluntas Dei, ad obſeruantiam Mandatorum peruenire poſſumus.

Quarto completum Roſarium quindecim decadibus, & quindecim ſacris Myſterijs abſoluitur in honorem completæ perfectionis, & ſummi Decoris Beatiſſimæ Virginis Mariæ pulchræ, vt luna: quæ etiam dicitur Luna perfecta *pſal.* 88. & Luna plena.

Porrò tunc Luna dicitur plena, & perfecta, quando eſt in quintadecima; meritò etiam plenitudo decoris, & gratiarum Mariæ hoc numero prænotatur: quia ſeptem donis Spiritus Sancti abundè ſuperfuſa, & octo, beatitudinibus præclara, tota pulchra facta eſt, & abſque macula.

Tandem integrum Roſarium centum quinquaginta ſalutationes virgineas continet ad imitationem Pſalterij Dauidici totidem pſalmos complectentis. Sicut enim Rex Dauid egregius diuinarum laudum præceptor mirabile pſalterium compoſuit omni pietate, & ſuauitate repletum; ita & Maria Dauidicę ſtirpis ſuum progenitorem imitata nouum, & non minus admirandum pſalterium edidit, quod Roſarium appellamus, eoque recoluntur gratiæ, quas abundè, in ipſam Virginem Deus effudit, *fecit mihi magna qui potens eſt &c.* Porrò eadem Myſteria, quæ clauduntur in prædicto numero centum quinquaginta pſalmorum triplicati Iubilei, &c. pariter continentur in hoc numero 150. *Aue*, vt videri poteſt apud expoſitores Pſalterio Dauidici, ad quos remittimus lectores nę iuſto prolixiores hic ſimus.

Solum hoc dicam in Solamen oppreſſorum ſub aquis tribulationum, videlicet à Caſſiodoro prædictum numerum 150. pſalmorum referri ad 150. dies, quibus aquæ diluuij occupauerunt terram *Geneſ.* 8, & poſt centum quinquaginta dies imminutæ ſunt aquæ, quia recitatione Pſalterij Dauidici eripimur ab aquis tribulationum; hoc autem à fortiori affirmare poſſumus de recitatione Roſarij, ſeù Pſalterij Virginei: quippe Arca, qua ſaluę factæ fuerunt animæ viuentium ab aquis diluuij, figura fuit noſtræ Virginis Deiparæ, qua mediantę euaſerunt homines à diluuio peccatorum, quod ſi poſt centum quinquaginta dies imminutæ ſunt aquæ, & conſolari cæperunt, qui erant in arca, non dubium quod manentes in arca Virginea, ideſt ſub protectione Mariæ Virginis poſt recitatas 150 *Aue* conſolationem ſentient imminutis aquis tribulationum; Addimus etiam, ſi aquæ tribulationum ad ſummam excreuerint altitudinem, ſicuti eleuatæ fuerunt aquæ diluuij quindecim cubitis ſupra montes; nihilominus deuotos Virginis ab eis euaſuros illeſos recitatione Roſarij, & meditatione quindecim Myſteriorum, quæ recoluntur in eo.

De Myſterijs ineffabilibus recolendis in recitatione Roſarij.

QVarta, & præcipua excellentia Roſarij deriuat à Sacroſanctis Myſterijs vitæ Chriſti, ac matris eiuſdem, ad quæ recolenda, & contemplanda fuit Roſarium principaliter inſtitutum, quibus nihil ſublimius, nihil ſanctius excogitari poteſt: vndè Roſarium dicitur, & verè eſt admirabile compendium myſteriorum noſtrę Redemptionis, in qua miſerationes Dei longè ſuperant cætera ipſius Dei opera *Pſal.* 144.

Diſtribuuntur autem in tres claſſes, ſeu partes Roſarij, iuxta ordinem vitæ ipſius Chriſti, eiuſdemque Matris, vt conſideranti patet. Primo enim Myſteria Incarnationis, Natiuitatis &c. vſque ad paſſionem ad gaudium pertinent, & maximam noſtram conſolationem ob miracula, & prodigia, quæ fecit Chriſtus in ſalutem noſtram, & in prima par-

ma parte Roſarij meditanda proponuntur. Deinde ſequuntur myſteria doloris plena paſſionis, & mortis eiuſdem Chriſti, ob quæ eidem Chriſto, & Mariæ: compatimur, & condolemus in Secunda parte Roſarij: Tandem completur Roſarium glorioſis myſterijs,& triumphis Reſurrectionis. Aſcenſionis &c. eiuſdemmet Chriſti, & matris eius, ob quæ lætamur, & gloriamur in Domino ſperantes per Chriſtum noſtram Reſurrectionem, & gloriam.

Congruit etiam huic diuiſioni myſteriorum, & partium Roſarij ſupra inſinuata roſatum metaphora, quarum aliquæ ſunt candidæ, & typus gaudij: Aliæ ſanguineæ, & figura Martyrij, ac dolorum. Aliæ ſunt coloris aurei, quæ congruunt gloriæ, & triumpho; Sic Maria in cuius honorem recitatur Roſarium, & Roſa eſt myſtica, fuit candida, & gaudens in primis myſterijs, ſanguinea, & doloroſa in Secundis; aurea, & glorioſa in tertijs. Nos ergo congaudeamus gaudenti Virgini compatiamur dolenti, & glorioſæ congratulemur.

Ex quibus manifeſtè colligitur ſublimis dignitas, & maxima excellentia Roſarij ſuper omnes alias deuotiones, Siquidem aliæ piæ deuotiones, quibus veneramur peculiare aliquod Myſterium vitæ Chriſti, vel Sanctorum, ſunt limitatæ quædam areolæ aromatum, ex quibus anima contemplatiua peculiare meritum alicuius virtutis colligit, vel tenuem faſciculum ſpiritualium adoramentorum. At Roſarium eſt hortus ſpatioſus ſponſi Cæleſtis, & Paradiſus delitiarum, continens omnia aromata, ac omnes myſticas plantas myſteriorum ſupernaturalium: vnde anima delitijs affluit copioſiſſimis.

Aliæ deuotiones ſunt veluti priuata oratoria, vel minores Eccleſiæ, in quibus recolimus, & veneramur aliquod particulare myſterium noſtræ Redemptionis, & confitemur expreſsè peculiarem aliquem fidei articulum: Cæterum Sacratiſſimum Roſarium eſt templum maximum, & Pantheon auguſtiſſimum, non dedicatum (vt olim Pantheon apud gentiles) in cultum omnium inanium Deorum, ſed in memoriam, & venerationem omnium myſteriorum veræ fidei, legiſque Euangelicæ, in quo à Deuotis Roſarij fit publica, & ſolemnis profeſſio eiuſdem fidei, quoad omnes eius articulos.

Aliæ deuotiones ſunt veluti orbes cæleſtes inferiores, in quibus dominatur ſpeciale ſydus, vel planeta, ideſt ſpeciale myſterium; Roſarium verò eſt firmamentum ſupremum, in quo refulget vniuerſitas ſtellarum, hoc eſt omnia Redemptionis Myſteria, ex quibus manant influxus ſaluberrimi omnium virtutum.

Tandem Roſarium eſt Theſaurus cæleſtium diuitiarum, quæ per tripartita myſteria noſtræ Redemptionis abundè nobis communicantur; Eſt ſacra Panoplia armorum ſpiritualium, quibus per Chriſtum, eiuſque merita, ac vitæ myſteria Dæmones vincimus. Eſt famoſum gymnaſium Chriſtianæ doctrinæ veræ ſapientiæ, in quo Dei arcana huius ſæculi ſapientibus, & prudentibus abſcondita, reuelantur paruulis, ſeu humilibus. Eſt manna cæleſte habens omnem ſaporem ſpiritualis dulcedinis pro varietate myſteriorum, quæ in Roſario pia meditatione ruminamus; Denique eſt lac ſuauiſſimum, quod eadem myſteria contemplando ſugimus ex vberibus Mariæ Dei Genitricis, vt potè Auctricis Roſarij.

De vtilitate, & copioſis fructibus Roſarij.

O Vinta excellentia eſt abundantia fructuum, quos Roſarij flores parturiunt recitantibus huiuſmodi ſacratiſſimas preces. Ad cuius rei intelligentiam,

Ponderandum eſt primo Virginem Deiparam, in cuius honorem hæc deuotio recitatur, eſſe potentiſſimam apud Deum, & ſummæ efficaciæ ad impetrandas pro nobis gratias: quippe ipſa eſt diſpenſatrix Theſaurorum Dei *parab.8.mecum ſunt diuitiæ, & gloria opes ſuperbæ &c.* & iuxta vulgatum dictum D. Bernardi, *omnes Dei gratiæ tranſeunt per Manus Mariæ.* Sic pariter S. Bonauentura *in ſpeculo c.5.* ait, *quia Dominus potentiſſimus eſt tecum, ò Virgo, tu es potentiſſima ſecum; ita vt verè dicere poſſis, & in Hieruſalem poteſtas mea.* Et S. Petrus Damianus *ſerm.de Natiu.* *Data eſt* inquit *Virgini poteſtas in Cælo, & in terra, & nihil illi impoſſibile eſt, cui poteſtas eſt deſperatos in ſpem Beatitudinis releuare;* aliique PP. communiter id confirmant.

Ponderandum Secundo ipſam Dei matrem eſſe quoque piiſſimam, & miſericordiæ matrem, atque eo profuſius, & libentius cæleſtes theſauros diſpenſare, quo fideles ad eam recurrentes, ſunt magis erga ipſam deuoti, & magis gratum ei impendunt obſequium: vndè in Parab. *cap.8. ego* inquit *diligentes me diligo, & qui manè vigilant ad me inuenient me.*

Cum ergo Roſarium ſit obſequium ipſi Virgini gratiſſimum ex hactenus dictis: & ſertum ex myſticis eius roſis intextum pro diademate ſuo Capiti Mariæ imponat; ſequitur deuotos Roſarij innumeris bonis, & gratijs à liberaliſſima Virgine cumulari, & ſpeciali eius patrocinio gubernari.

Pleni ſunt autem libri grauium auctorum, qui de Roſario ſcripſerunt innumeris gratijs, & miraculis, quæ fecit clementiſſima Virgo intuitu huius deuotionis, & indulgentijs ampliſſimis, quas lucrantur recitantes Roſarium, de quibus præſertim agit Nauarrus *in ...uis miſcell. Roſarij,* ad quos remittimus Lectores, ne prolixiores hic ſimus.

Addo ſolum hanc deuotionem Roſarij inſtitutam fuiſſe à Deipara in memoriam mirabilium ſuorum, & ad imitationem quandam ſui filij. Sicut enim Chriſtus in memoriam ſuorum mirabilium Myſterium Euchariſtiæ inſtituit, quo eius corpore nutriuntur fideles, pretioſo eius ſanguine potantur; Sic Virgo ex Myſterijs ſuæ, & Chriſti vitæ hanc deuotionem inſtituit; quo ſui deuoti puriſſimo ſuo lacte, id eſt ſinceræ deuotionis affectu ex vberibus ſuæ pietatis manante paſcuntur, & nutriuntur. Et ſicut in Myſterio Euchariſtiæ recolitur memoria paſſionis Chriſti: mens impletur gratia, &

tia, & futuræ gloriæ nobis pignus datur, ita proportionali modo in deuotione Roſarij præter alia Myſteria recolitur mæmoria paſſionis Chriſti, & ipſius Virginis cum Chriſto paſſæ; mens recitantium impletur gratijs, & fauoribus eiuſdem Virginis auctricis Roſarij, & futuræ gloriæ illis pignus datur, vt ex multis reuelationibus relatis à ſupracitatis auctoribus colligitur, & ex verbis ipſius Virginis ſupra adductis, *qui me inuenerint inuenient vitam, & haurient ſalutem à Domino*.

Confirmatur, quia tripartita recitatione Roſarij huius vitæ peregrinationem deuotè agentes, veluti triplici itinere, triplicique ſacra Myſteriorum ſtatione, curſum laborum conſumantes, fælicitèr peruenimus ad requiem, & ad cæleſtem patriam.

Primum enim peregrinationis iter, primamque ſtationem perficimus cum Magis ad præſepe Saluatoris, aliaque infantiæ Chriſti myſteria; ibique cum Magis adorantes Saluatorem, ac munera noſtræ deuotionis ei offerentes per aliam viam, id eſt per viam virtutum, non vitiorum præteritorum, reuertimur in regionem noſtram, patriamque cæleſtem.

Secundum Peregrinationis iter facimus cum Maria, alij que pijs mulieribus, & cum Ioanne ad Montem Caluariæ, vbi iuxta Crucem ſtationem agentes cum bono latrone audire quiſque merebitur; *Hodie mecum eris in Paradiſo*.

Tertia tandem itineratio fit à recitantibus Roſarium cum Apoſtolis ad Montem Galileæ: vbi contemplantes Chriſti glorioſiſſimam Reſurrectionem, & ſummum decorem; quoddam initium Beatitudinis guſtant, & eriguntur in ſpem ſuæ glorioſæ Reſurrectionis, & perfectæ gloriæ in Paradiſo; vndè de hoc Apoſtolorum itinere Canit Eccleſia.

Galileæ ad alta montium
Se conferunt Apoſtoli
Ieſuque voti compotes
Almo beantur lumine.

PVNCTVM XIII.

De Proceſsione pro gratiarum actione.

HActenus diſſeruimus de Proceſſionibus ordinarijs, quæ fiunt certis diebus per annum. Dicendum ſupereſt de Proceſſionibus extraordinarijs, quæ varijs de cauſis indici ſolent varijs temporibus, prout occaſio poſtulat; & primo de Proceſſione pro gratiarum actione ob acceptum à Deo inſigne aliquid beneficium ad commune bonum pertinens *E. G.* ob victoriam de inimicis reportatam, ob peſtem depulſam, ob redditam ſanitatem Pontifici, vel Regi &c. Vt autem hoc debitum gratiarum actionis, vel in Proceſſione, vel quouis alio modo. Deo conuenienter exoluatur; aliquot proponemus motiua, quibus excitentur fideles ad hoc pium opus ex animo, & deuotè peragendum.

Ponderandum eſt ergo primo. Quod ſicut Deus donator eſt liberaliſſimus omnium bonorum, & fons inexauſtus gratiarum, ita auſterè, & rigidè exigit à donatarijs recognitionem donorum, & gratiarum actionem, videlicet vt totum ad ipſum Deum referatur, & non ſint homines immemores manifeſtæ illius veritatis, quam declarat Iacob. Apoſt. *cap. 1.* videlicet *omne datum optimum, &c. deſurſum eſt deſcendens à Patre luminum*. Hinc in veteri teſtamento pro beneficijs Populo ſuo collatis præcipit Deus inſtitui aliquod monumentum, vel feſtum in illorum mæmoriam, & gratiarum actionem *V. G.* feſtum Agni Paſchalis, tabernaculorum &c. & *Pſal.* 49 Rex Dauid *immola* inquit *Deo ſacrificium laudis, & redde Altiſſimo vota tua*, & patet etiam ex multis canticis in gratiarum actionem compoſitis. Pariterque in nouo Teſtamento ſæpiſſimè commendatur, & vrgetur hoc exercitium gratiarum actionis; præſertim ab Apoſt. in ſuis varijs epiſtolis. E contrà ingratos, & beneficiorum immæmores valdè execratur Deus, & ſubtrahit illis dona ſua, vt conſtat ex parabola, *Lucæ 19.* vbi ait *Chriſtus omni habenti dabitur, & abundabit, qui autem non habet, & quod habet auferetur ab eo*, & patebit amplius ex dicendis inferius.

Secundo ſciendum eſt qualiter Deo reddi gratię debeant, quod egregiè docet D. Thomas 22. *q.* 107. *art.* 2. dicens tribus modis eas reddi oportere. Primo interius corde, & animo cognoſcendo, vt valde eſtimando beneficij magnitudinem, ac ſe Deo benefactori ſuo obligatum profitendo. Secundo ore, & verbis laudando Deum hymnis, & canticis, eique benedicende: inuitando etiam Angelos, & omnes cælites, vt in hoc ſuppleant noſtros defectus. Hoc autem intelligi debet, vt non nudis verbis more pſittacorum laudandus ſit Deus, ſed ſimul corde, aliter non Deo gratiæ actæ, ſed dictæ eſſent. Tertio factis, & operibus beneficia compenſando, eleemoſynis, videlicet, alijſque miſericordiæ operibus in hunc finem exhibitis: ieiunijs, & mortificationibus paſſionum, & pręſertim oblatione Sacrificij Miſſæ, vel dum Miſſa auditur concurrendo cum celebrante, vel dato ſtipendio, vt Miſſa in hunc finem celebretur &c.

Tertio animaduertendum propter quæ dona, & beneficia gratiæ Deo ſint agendæ videlicet, tum propter beneficia vniuerſalia Creationis, Redemptionis &c. tum ob particularia recuperatæ ſalutis, liberationis à tentationibus, & malis omnibus iuxta monitum Apoſtoli 1. *ad Theſſal.* 5. vbi ait *in omnibus gratias agite* id eſt non ſolum in conſolatione, ſed etiam in deſolatione, in exaltatione, & humiliatione: in proſperis, & aduerſis. Si quidem non minus beneficium Dei eſt, imò ſępè maius tribulatio, quam proſperitas; illa enim magis conducit ad bonum, & ſalutem animæ: alias non dixiſſet Propheta *bonum mihi, quia humiliaſti me, vt diſcam iuſtificationes tuas*: neque Chriſtus dixiſſet: *Beati qui lugent: , Beati qui perſecutionem patiuntur &c.* Hinc notat D. Hieronymus in *cap.* 5. *epiſt. ad Epheſ.* eſſe propriam Chriſtianorum vir-

tutem etiam in aduerſis referre gratias Deo. *Quia* inquit, *etiam Gentiles in proſperis Deum laudant : Cæterum animus veri Chriſtiani eſt, vt in hac vita Crucem tollens ſequatur Saluatorem &c.* Hæc Hieron. Illud ergo beneficium magis æſtimandum, quod magis animæ prodeſt, etiam ſi Corporis ſit aduerſum.

Quarto ponderanda eſt vtilitas grati animi, & recognitionis beneficiorum Dei omnia ipſi Deo attribuendo, ſic etiam noua beneficia, & duplicata dona nobis à Deo conferuntur: è contra ingratis, & eis, qui ſunt beneficiorum immæmores vlteriores gratiæ denegantur. Vndè eſt illud vulgatum D. Bernardi pronuntiatum *ſerm. contrà vitium ingratitud. Ingratitudo eſt ventus vrens fontem pietatis exiccans, & fluenta gratiæ non recipiens.* Sic etiam Sapiens, *ad Mare* inquit, *vndè exeunt flumina reuertuntur, vt iterum fluant*, quia flumina gratiarum, dum per actiones gratiarum ad Deum redire facimus in noua dona, & beneficia ad nos refluunt. Chriſoſtomus etiam *homil. 8. in epiſt. ad Colloſen. Deus* inquit *exigit à nobis gratitudinem, non quod noſtra celebratione opus habeat: ſed vt quicquid eſt lucri, iterum ad nos redeat, & dignos nos faciamus maioribus ſubſidijs.* Conſonat Chryſologus in *pſal. 7.* dicens *Nihil æquè facit in virtute nos creſcere, quam Deo gratias agere.*

Quinto hoc deuoto gratiarum actionis exercitio conſociamur Angelicis Choris, & cælites æmulamur: ſi quidem, vt dicitur Iſaiæ 51. *gratiarum actio, & vox laudis inuenitur in Cælo.* Item *Apoc. 7.* & alibi ſæpè, præſertim verò in Proceſſionibus pro gratiarum actione id verificatur, dum ſimul congregati vnanimi conſenſu mille mentibus, mille vocibus Deo gratias agimus.

Concludo cum D. Auguſtino *Epiſtol. 5. ad Marcellinum* vbi ſic ait. *Quid melius, & animo geramus, & ore promamus, & calamo explanemus, quam Deo gratias. Hoc nihil dici breuius, nec audiri lætius, nec intelligi gratius, nec agi fructuoſius poteſt.*

PVNCTVM XIIII.

De Proceſſione ad lucrandas indulgentias indicto Iubileo duarum hebdomadarum. Item De Statione, & Proceſſione Stationali.

VT feruentius excitentur fideles ad lucrandum Iubileum, quod ſolet quandoque à Summo Pontifice concedi; eo promulgato; indicitur à quolibet Epiſcopo in ſua Diæceſi ſolemnis Proceſſio, de qua breuiter dicendum hic eſt, & de nonnullis pertinentibus ad materiam indulgentiarum, quæ per Iubileum conceduntur, vt magis deuotè hæc Proceſſio celebretur.

Primo Noſſe oportet verè eſſe in Eccleſia theſaurum infinitum meritorum, & ſatisfactionum Chriſti diſpenſandum fidelibus per Summum Pontificem ipſius Chriſti Vicarium, tum alijs modis, tum conceſſione indulgentiarum, vt definitum eſt in *extrauag. Vnigenitus de pænit. & remiſſ.* & manifeſtè colligitur ex promiſſione facta Petro ab eodem Chriſto *Matth. 16. quodcumque ſolueris ſuper terram erit ſolutum, & in cælis &c.* ex quibus verbis, ſic licet argumentari. Omne vinculum, quo fideles arcentur, ſeù impediuntur ab ingreſſu Cælorum tolli poteſt à Petro, & Succeſſoribus, quibus ea promiſſio facta eſt. Sed vinculum pænæ temporalis remanens poſt culpæ remiſſionem arcet fideles ab ingreſſu Cæli, quo nemo admittitur niſi purgata omni labe, & reatu: ergo à Vicario Chriſti tolli poteſt tale impedimentum remiſſa pæna per indulgentias. Nos ergo, qui hæredes inſtituti ſumus à Chriſto tam immenſi theſauri recognoſcere oportet ab eo hunc Redemptionis effectum eique gratam exhibere ſeruitutem.

Secundo perpendenda eſt ingens vtilitas nobis proueniens ex conceſſione Iubilei, & Indulgentiarum, quibus breui labore vnius hebdomodæ liberamur à diuturnis cruciatibus, quos aliàs in Purgatorio flammis addicti pati deberemus. Certè quælibet anima Purgatorij libentiſſimè pati eligeret omnes cruciatus huius vitæ per plures annos, vt per vnam horam eximeretur à flammis Purgatorij, ſicuti communiter probant Theologi in *tract. de Purgatorio.* Nemo ergo exiſtimet graue onus ſibi imponi per opera iniuncta ad lucrandum iubileum, per quæ eximitur à cruciatibus Purgatorij, & inſuper non exiguis meritis locupletatur.

Tertio quamuis ad lucrandum Iubileum non teneantur fideles laici intereſſe Proceſſionibus, ſed ſatisfaciant viſitando priuatim vnam ex Eccleſijs deſignatis; prodeſt tamen plurimum ad eas conuenire, quia vbi plures concurrunt ſupplicantes; oratio eſt magis efficax ob conſonantiam, & conſenſum vnanimem fidelium, & quia vnus ab alio iuuatur, & defectum vnius, alij ſupplent: & id circo facilius impetratur à Deo, quod petitur, vt fuſius probauimus ſuprà *ſect. 1. punct. 7.* atque adeò à conuenientibus ad Proceſſiones melius ſatisfit intentioni Summi Pontificis, & ſecurius obtinetur Iubileum.

Celebratur etiam Romæ Iubileum maximum vigeſimo quinto quoque anno cum frequentibus Proceſſionibus, de quibus aliqua diximus *ſect. 1. Punct. 5.* & fuſius, de illis agit noſter Caſtaldus in *Praxi Cærem. lib. 2. ſect. X. cap. 8.*

De Stationibus. Et Proceſſionibus Stationalibus.

PRæcedenti Proceſſioni Iubilei, affines ſunt Proceſſiones, quæ fieri ſolent ad Lucrandas indulgentias ſtationum, præſertim Romæ; quarum meminit Durandus in *Rationali lib. 7. cap. 1.* id circo aliqua breuiter hic dicemus de Stationibus, & de Proceſſionibus eis adnexis.

Aduertendum eſt ergo. Nomen Stationis diuerſimodè vſurpari à peritis ſcriptoribus.

Primo enim apud auctores prophanos ſtatio dicitur locus in littore ſinuoſus, in quo naues ad tempus poſſunt conſiſtere, quamuis minus tuto, quam in portu: Secundo ſtationes dicuntur loca, in quibus milites conſederunt ad tempus, quæ etiam dicuntur manſiones: Item ſtationes dicuntur loca vigilibus aſſignata ad excubias agendas, quod in illis ſubſiſtere cogantur; vndè ſtationarij milites dicuntur, quibus præſidij gratiæ ſtatio aſſignata eſt. Propriè verò ſtatio dicitur ipſe actus ſtandi, ſeù manendi in aliquo loco deſignato, vndè cæteræ omnes ſignificationes fluxerunt.

Secundo apud ſcriptores Eccleſiaſticos præſertim apud Tertullianum *lib.de Ieiunijs cap.* 14. ſtatio accipitur prò conuentu Chriſtianorum ad templa, & Cimiteria Martyrum, vbi ſimul congregati diù ſtabant, & perſeuerabant in oratione, & pſalmodia, alijſque præcibus ad Deum fundendis: quare quod S.Cyprianus *epiſt*.41.Stationem vocat, id ipſum epiſt.ſequenti appellat Religioſum fratrum Conuentum. Porrò ſtandi verbum, vndè ſtatio deriuatur, non in eo ſenſu vſurpatum eſt, quaſi perpetuo in pedes erecti fideles orarent, ſed pro eo quod eſt ad certum tempus in loco aliquo aſſiduè manere, & conſiſtere, & ſic propriè ſtatio apud ſacros ſcriptores eſt conſtans permanſio in oratione.

Hinc ampliato vocabulo omnes publici conuentus fidelium ad orationem, qui ſtatis, ac certis diebus ex ordine Pontificum fierent, ſtationes appellari conſueuerunt: præſertim ſi orantibus in Eccleſijs, ad quas Conuentus fiebant conceſſa eſſet indulgentia, quæ appellatio retinetur modo Romæ ſic etiam ab Innnocentio III. *lib.* 2. *de offic. Miſſæ cap.* 2.ſtationalis ſolemnitas dicitur dies, cui ſolemnis ſtatio aſſignata eſt: & vulgo ſtationales Eccleſiæ dicuntur, in quibus ſtationes habentur, item ſtationales Proceſſiones, quæ diriguntur ad Eccleſiam, in qua ſtatio habenda eſt.

Inſuper vſu fuit introductum, vt nomen ſtationis extenderetur ad ſignificanda loca ſacra, & templa, ad quæ conueniunt fideles, ſiuè in Proceſſione, ſiuè aliter cauſa orandi, & lucrandi indulgentias. Item extenſum fuit nomen ſtationis ad ſignificandam ipſam orationem, & deprecationem ſacram, quæ fit in prædictis locis ſtationalibus. Tandem ipſa quoque indulgentia conceſſa viſitantibus eadem ſacra loca à pluribus ſtatio appellatur, atque dicunt ſe ibi lucrari ſtationem, pro lucrari indulgentiam.

Ex hactenus dictis concludimus, quod ſtatio primo, & per ſe, ſeu proprie loquendo, ſignificat actum ſtandi, ſeù permanendi ad certum tempus in locis ſacris orandi cauſa, & publicos conuentus fidelium ad orationem. Secundo minus propriè ſignificat loca, ſeù templa, in quibus ſtatio habetur; Tertio ſignificat orationem ipſam, quæ fit in eiſdem locis. Tandem ſignificat indulgentiam ibi orantibus conceſſam.

Atque hæc ſatis ſint dicta prò intelligentia ſtationum, & Proceſſionum ſtationalium.

∴

PVNCTVM XV.

De Proceſsione in translatione Sacrarum Reliquiarum.

SÆpius legitur in hiſtorijs Eccleſiaſticis inuentas Martyrum, aliorum Sanctorum Reliquias in loco minus decenti ſolemni Proceſſione, & pompa translatas fuiſſe in locum decentiorem: cuius Religioſi cultus inſignia reliquit ſuæ pietatis exempla S.Carolus Borromeus Cardinalis, & Archiepiſcopus Mediolanenſis, vt referunt Scriptores eius vitæ, & acta Mediolanenſis Eccleſiæ, & de alijs antiquioribus narrant Euagrius Sozomenus, Euſebius, Nicephorus alijque, & Plures SS. PP. apud S.Thomam *3.p.q.25.ar.6.*

Hic etiam Neapoli, vbi in Eccleſia Cathedrali in celebri Cappella, quam theſaurum vocant, aſſeruantur Reliquiæ inſignes SS. Patronorum: mos eſt, vt occurrente eorum die feſto *E.G.* S.Thomæ Aquinatis; S.Franciſci à Paula, B. noſtri Andreæ Auellini &c.transferantur ſolemni proceſſione eorum Reliquiæ ad Eccleſias ſuorum ordinum, vbi eorundem feſtum ſolemnius celebratur: eoquè completo iterum reportantur ſimili proceſſione ad prædictam theſauri Cappellam, occaſione ergo Proceſſionum huiuſmodi breuiter aliqua aduertemus, de cultu, & veneratione ſacrarum Reliquiarum.

Primo aduertimus certum eſſe de fide SS.Reliquias eſſe veneratione dignas, quod definitum eſt tum in alijs concilijs Generalibus, tum nouiſſimè in Trid.*ſeſſ.25.Decreto.2.*

Rationem declarat D. Thomas loco citato vbi ſic ait. Reſpondeo dicendum, quod ſicut Auguſt: dicit *lib.de Ciuit.Dei. Si paterna veſtis, & annulus; & ſi quid eſt huiuſmodi, tanto carius eſt poſteris, quanto erga parentes maior eſt effectus; nullo modo ipſa ſpernenda ſunt corpora, quæ multo coniunctius ad naturam hominis pertinent. Manifeſtum eſt ergo, quod ſanctos Dei in veneratione habere debemus, tanquam membra Chriſti, Dei filios, & amicos, & noſtros interceſſores, & ideo eorum Reliquias in eorum memoriam venerari debemus, præcipuè eorum corpora, quæ fuerunt templa, & organa Spiritus Sancti &c.Vndè, & ipſe Deus huiuſmodi reliquias conuenienter honorat miraculis &c.*hæc D.Thomas.

Qualiter autem adorari debeant SS. Reliquiæ. Dicendum cum eodem D.Thoma eas propriè, & per ſe adorari, non tamen propter ſe ipſas, ſed reſpectiuè in ordine ad Sanctos, ſeu animas beatas, quibus fuerunt vnitæ, ſicut adorantur imagines in ordine ad prototypa: de qua re nos fuſius diximus in *noſtris comment.ad Rubr. Myſſalis p.2.tit.4.ſect.2. dub.1. & ſequent.* ideo nil aliud hic addimus.

Secundo. Aduertimus peculiarem hunc cultum, de quo agimus ſolemnium Proceſſionum in honorem Sanctorum, præſertim in translatione Sacrarum eorundem Reliquiarum, religioſum, & pium eſſe, vt conſtat ex Concilijs, & SS. PP. Si quid in Secundo Concilio Niceno commendatur Proceſ-

ſio ſolemniter celebrata in translatione Reliquiarum S.Anaſtaſij Martyris, & S.Auguſt. celebratur ſummis laudibus Proceſſio facta à S. Lucillo Epiſcopo in translatione Reliquiarum Prothomart. Stefani; Item à D.Hieronymo contra Vigilantium laudibus extollitur Proceſſio facta in translatione Reliquiarum S.Samuelis prophetæ, de quibus videri poteſt Gretſerus *de Proceſſ. lib.1. cap.12.* vbi fusè de hac re diſſerit.

Tertio attendi debet finis Eccleſiæ in his Proceſſionibus celebrandis, & in conſtituendis SS. feſtis. Intendit enim Eccleſia nedum exhibere cultum, & honorem Sanctis, ſe in ſuper,& præcipuè ſuos fideles, & nos omnes excitare ad eorum ſequenda veſtigia. *Ad quid enim laus noſtra*, inquit D.Bernardus *ſerm.2.in feſto omnium SS. quo eis præconia noſtra; bonorum noſtrorum Sancti non egent planè,quod eorum memoriam celebramus, noſtra intereſt non ipſorum, vt videlicet eorum exempla ſequamur, ſi ad gloriam & eorum conſortium peruenire optamus*; atque ſimilia prædicant S.Auguſt.*ſerm.*47.de Sanctis Chryſoſt.*ſerm.de Martyribus tom.*3. Beda *ſerm.*18. *de Sanctis*, alijque communiter.

Tandem aduertimus,antequam celebrentur hæ Proceſſiones in translatione Reliquiarum [illegible] prę-mittendam eſſe ab Epiſcopo recognitionem earum,atque præparanda ea, quæ requiruntur, tum ad decentem ornatum loci,ad quem transferri debent ſacræ Reliquiæ,tum eorum, qui eas deferre debent, & his ſimilia, de quibus legi poteſt noſter Caſtaldus in *Praxi Cærem.lib.2.ſec.*[illegible]*.cap.*4.& nonnulla etiam præſcribuntur in Rituali Romano ſub titulo *de Proceſſione in Translatione Sacrarum Reliquiarum*.

PVNCTVM XVI.

De Proceſsione in occurſum Pontificis, & noui Epiſcopi. Item in occurſum Regis, vel magni Principis.

INter præcipua ſigna honoris,& reuerentiæ,quæ debetur Superioribus, & Supremis populorum rectoribus, Dei miniſtris, ſeu Locum,tenentibus, meritò computantur ſacræ Proceſſiones, quæ fieri ſolent in eorum occurſum in primo aduentu, vel ingreſſu ad Ciuitates. Quia verò Superiores prædicti inter ſe differunt varijs præeminentiæ, & Iuriſdictionis gradibus; dicemus aliqua de ſingulis Supremis rectoribus, & de diſcrimine inter eos, vt indè colligi poſſit maior, vel minor ſollemnitas adhibenda in celebrandis Proceſſionibus prędictis, & diuerſitas rituum ſeruanda in eis.

De Romano Pontifice Supremo in terris Chriſti Vicario, & totius orbis Spirituali Rectore, & Paſtore.

INter Prælatos Eccleſiaſticos primum, ac Supremum locum obtinet Romanus Pontifex, tanquam Supremum Vniuerſalis Eccleſiæ caput, Chriſtique immediatus Vicarius ſuper omnes animas: vt fides Catholica docet: & conſtat ex verbis ipſius Chriſti *Matth.*16. vbi loquens Petro, & ſucceſſoribus ait. *Et ego dico tibi, quia tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meã, & tibi dabo claues Regni Cælorum.* Nomine autem clauium ſpiritualis Iuriſdictio intelligitur, & plenitudo ſpiritualis poteſtatis ſuper oues Chriſti, quas Petro,& ſucceſſoribus idem Chriſtus paſcendas, & regendas commiſit.

Cum ergo indefinitè oues ſuas ſub Petri regimine Chriſtus conſtituerit, ſequitur omnes fideles ad Chriſti ouile pertinentes Petro, & ſucceſſoribus eſſe ſubiectas, etiam Epiſcopos, Principes, & Reges, alioſque omnes ſub Chriſti vexillo militantes; ſicuti ex concilijs & Patribus docent omnes Theologi in *tract.de Summo Pontifice*.

Ex quibus ſequitur ſupremam hanc, & vniuerſalem iuriſdictionem, ac poteſtatem non conferri Papæ à Cardinalibus per eorum electionem:quippe cum ea Iuriſdictione ipſi careant:ſed ſolum ab eis deſignari perſonã, cui ex vi inſtitutionis Chriſti ab ipſomet Chriſto prædicta Iuriſdictio confertur: ſicuti declarauit Innocentius III.*cap.nouit de Iudicijs*.

Ex dictis ſequitur Summo Pontifici, tanquam Supremo omnium Prælato, & Paſtori deberi ſummam, & ſingularem reuerentiam ſupra omnes, tum Prælatos Eccleſiaſticos,tum Principes, & Reges Seculares, & ſpeciatim hunc honorem,de quo loquimur ſolemnis Proceſſionis in eius occurſum, ſi offeratur occaſio. Nec deſunt huius honoris exempla.

De Leone III.Summo Pontifice,ſic ſcribitur in vita S.Iuuirberti; *Venit à Colonia S.Leo Papa ſtipatus imperatoria Maieſtate,ac Sacrato Choro Cardinalium, Archiepiſcoporum,multorumque Procerum comitatu;cui occurrerunt vſque ad Rhenum deuoti fratres Conuentus S.Iuuirberti proceſſionaliter cum incolis oppidi intro ducentes eum in Eccleſiam &c.*

De S.Ioanne Etruſco Summo Pontifice Conſtantinopolim profecto, ſic legitur in BreuiarioRomano ſub die 27.Maij, *ſed illud maius miraculum, quod Conſtatinopoli in aditu Portæ aureæ, inſpectante frequentiſſimo Populo,qui vna cum Imperatore Iuſtiuo honoris Cauſa Pontifici occurrerat,Cæco lumen reſtituit,ad cuius pedes proſtratus Imperator eum veneratus eſt*: ecce hic Reuerentiam Summo Pontifici debitam oſculatione pedum, de qua innumera ſuppetunt exempla in hiſtorijs Eccleſ. quæ longum eſſet hic referre.

De Epiſcopis Apoſtolorum ſucceſſoribus, ac de Proceſsionibus in eorum occurſum.

EPiſcoporum auctoritas, & Iurisdictio, quo ad ſubſtantiam manat ex Chriſti inſtitutione, vt conſtat ex verbis Apoſt. *Actor.20. poſuit vos Spiritus Sanctus Epiſcopos regere Eccleſiam Dei*: quò ad modum vero, & ordinem pendet à poteſtate Summi Pontificis, tanquam à capite Vniuerſalis Eccleſiæ: vndè S. Thomas *in 4. diſtinct.20. quæſt. vnica* inquit. *Papa habet plenitudinem poteſtatis Pontificalis, quaſi Rex in Regno; Epiſcopi verò aſſumuntur in partem ſolicitudinis, quaſi iudices ſingulis ciuitatibus præpoſiti*; Cæterum poſt Summum Pontificem dignitas, & auctoritas Epiſcoporum ſupereminet omnibus alijs.

De hac Epiſcoporũ dignitate ſic ſcribit S. Ignatius Martyr Ioannis Apoſt. Diſcipulus in *epiſtol. ad Smirnenſes. Epiſcopus* inquit *omni principatui, & poteſtati ſupereminet*. Princeps eſt Sacerdotum imaginem Dei referens. Non eſt in rebus creatis, qui Epiſcopo poſſit æquari; nec quicquam eſt Epiſcopo maius in Eccleſia excepto Romano Pontifice.

Sancti etiam Nazianzenus, & Baſilius *Epiſt.61.* Epiſcopum appellant Angelum Dei, Illuſtrem animarum cuſtodem, immortalis vitæ doctorem, atque ſimilia habent alij SS. PP. quæ ad vitandam prolixitatem omittimus, & videri poſſunt apud Barboſam *de poteſtate Epiſ.tit.1.cap.1.& 2.*

Ex quibus ſequitur ad rem noſtram maximam Epiſcopis deberi reuerentiam, præſertim celebratione ſolemnis Proceſſionis in eorum occurſum, in primo ſuarum Ciuitatum ingreſſu, vt præſcribitur in Pontificali Romano *p.3. tit. ad recipiendum &c.* Ritus autem ſeruandus in eadem Proceſſione, & qualiter excipi debeat nouus Epiſcopus in primo Ciuitatis ingreſſu habetur in eodem Pontificali L. C. & accuratè deſcribitur à noſtro Caſtaldo in *Praxi Cærem. lib.1. ſect.10. cap.7.* qui etiam *lib.2. ſec.10. per totam* exactè agit de ritibus aliarum Proceſſionum in particulari, ad quem remittimus lectorem, ne nos actum agamus.

De Rege, & Principibus laicis, ac de Proceſsionibus in eorum occurſum.

QVamuis poteſtas, & iurisdictio Regum, & Principum ſæcularium humana ſit, & politica, quia tamen vt ait Apoſt. ad *Rom.13. non eſt poteſtas, niſi à Deo*, atque adeo ipſi Reges, & Principes ſunt Dei Miniſtri, vt teſtatur ibidem Apoſt. ideo ab omnibus honorari debent etiam ab Eccleſiaſticis, qui Dei poteſtatem, & regimen in illis recognoſcere debent.

Certè lex Chriſtiana, ſeù Euangelica omninò perficit ius naturale, non minuit: atque adeo non euertit Regna, & Magiſtratus, ſed firmat, & ſolidat: id circo præcipit exhiberi reuerentiam, & obedientiã iure naturali debitã poteſtatibus ſublimioribus Regũ, & Principũ, ſingulis in ordine ſuo. Hinc Chriſtus *Matt.22 reddite* inquit *quæ sũt Cæſaris Cæſari, & quæ ſunt Dei Deo.* Hinc etiam Apoſt. I. C. ad *Rom.13.* diſertè, & grauibus verbis hoc præceptum vrget, tanquã ordinatum à Deo, vt legenti patet.

Porrò ad rem noſtram, quod peculiaris honor, qui magnis Principibus deferri quandoque ſolet ab Eccleſiaſticis indicta ſolemni Proceſſione in eorum occurſum conueniens ſit, & laudabilis: conſtat ex *Cærem. & Pontificali Romano p. 3. tit. ordo ad recipiendum Imperatorem &c.* & confirmari poteſt pluribus exemplis ſummorum Pontificum, & Præſulum, qui hoc honore dignarunt Principes laicos, ſic Carolus Magnus Romam veniens honorificentiſſimè exceptus fuit ab Adriano ſummo Pontifice, & inter alia honoris ſigna idem Pontifex miſit illi obuiam venerandas Cruces, vt proceſſionaliter exciperetur: quod vbi aduertit Rex Carolus ſtatim ac Cruces vidit deſcendens ex æquo, cui inſidebat, reliquum itineris vſque ad Baſilicam S. Petri pedibus confecit, vti narrat Anaſtaſius Bibliothec. in vita Adriani. Similique pompa, & honore Sergius II. Pontifex excepit Ludouicum Lotharij Imperatoris filium; S. etiam Remigius, vt narrat auctor eius vitæ apud Surium *tom.1.* deduxit Clodoueum francorum Regem ad baptiſmum, & baptiſterium præcedentibus ſacroſanctis Euangelijs, & Crucibus, cum litanijs, & hymnis: ſubſequente Regina, & populo. Alia exẽpla huiuſmodi legi poſſunt apud Gretſerium *lib.1. de ſacr. Proceſ. cap.15.*

De modo autem excipiendi prædictos Principes, deque ritibus, & Cæremonijs ſeruandis in hac Proceſſione videri poteſt Pontificale loco citato, & Caſtaldus in *Praxi Cærem. lib. 2. ſect.10. cap.6.*

PVNCTVM XVII.

De Proceſsione tempore peſtis, & mortalitatis.

QVamuis omnia mala pœnarum à Deo mortalibus inferantur teſte *Amoſ 3. non eſt* inquit *malum in Ciuitate quod non fecerit Dominus, & in fortitudine brachij ſui Deus flagellet impios* vt dicitur *Sapient.16.* peculiari tamen ratione peſtis, ſeù lues contagioſa proprius dicitur flagellum Dei, ſeù bellum Diuinum, quo magis ira Dei in peccatores exardeſcit. Quod manifeſtè colligitur ex *cap. 24. lib.2. Reg.* cum enim data fuiſſet optio Regi Dauid, vt ex tribus malis, quibus decreuerat Deus punire ſcelera, & ipſius Regis, & populi, videlicet vel peſte, vel fame, vel bello, vnum eligeret; prææelegit Dauid peſtilentiam, dicens *melius eſt, vt incidam in manus Domini quam in manus hominum*: cognoſcitur enim euidentius in hoc peſtis flagello manus Dei vibrans furoris ſui gladium vndè *1. Paralip.21.* peſtis propriè dicitur *gladius Dei*. Quia

tamen

tamen facilius eſt placare Deum, quam homines; hoc potius malum pendens immediatè à Deo elegit Dauid, quam cætera, in quibus ſe immiſcere ſolet malitia hominum.

Ad depellendam ergo, & extinguendam peſtem immediatè recurrendum ad Deum per pænitentiam, & humiles ſupplicationes potius quam ad humana remedia: Meritò ergo Eccleſia tum ob alias, Cauſas, tum præſertim ad auertendam peſtem, & mortalitatem proceſſiones, ſeu publicas ſupplicationes inſtituit cum præcibus in eis recitandis, vt videre eſt in Rituali Romano *tit. Proceſſio tempore peſtis*.

Antequam autem explicemus vim, & efficaciam Proceſſionum contra peſtem, obiter aliqua dicemus de remedijs naturalibus, quæ à Medicis præſcribuntur ad obuiandum eidem morbo.

Definitur peſtis hoc modo. Eſt venenoſus quidam vapor in aere concretus vitali ſpiritui inimicus, qui omnem humorem inficere poteſt, ſed potiſſimum ſanguinem; ſecundo choleram, tertio flegma, quarto melancholiam; ideoque primo loco, & facilius ſanguinei huic morbo ſunt expoſiti; deindè cholerici; tertio flegmatici, & minus alij melanchonici: quia humor frigidus, & ſiccus melancholiæ ad inflammationem, & putredinem ineptus eſt, vt inquit Marſilius Ficinus *Epidem. antidot. cap. 3. & ſequent*; vbi remedia contrà peſtem aſſignat ſequentia.

Primo fugam aeris infecti, Secundo animi remiſſionem, & hilaritatem. Tertio cibum ſolidum panis tritice i &c. atque potum roborantem cor, & ſpiritus conſequenter cauendum eſſe à cibis, qui facilè corrumpuntur, & putreſcunt. Quarto purgare ſæpè humores putreſcentes per aloem, myrram, & Crocum. Quinto vti theriaca, Zedoaria, citro; Sexto ſuffumigare iuniperum, terebinthum, & thus; Septimo veſtes ſæpè mutare, & mundas induere; crebro etiam os, & manus abluere aceto, & aliquando vino potente: hæc Ficinus.

Alij in præſeruationem ſuadent, vt ante prandium ſumatur ramuſculus rutæ cum ficu ſicca, & vna nuce. Alij commendant arſenici geſtationem ſupra regionem cordis, vſumque cauterij. Tandem alij fœtidum præſcribunt remedium, potum videlicet propriæ vrinæ manè ſumendum. Cæterum fruſtra hæc adhibentur remedia, niſi remoueantur peccata, quæ iram Dei prouocant: nemo enim poteſt manum Dei effugere, vndè Tobiæ 13. dicitur, *Deus eſt enim, qui flagellat, & ſaluat, deducit ad inferos, & reducit, & non eſt, qui effugiat manum eius, & pſal. 7. niſi conuerſi fueritis gladium ſuum vibrabit &c.*

Dicet fortè aliquis, ſed morbus peſtilentialis duplici modo inſurgere poteſt ex Abulenſi in *lib. 2. Reg. cap. 24. q. 28.* vel naturaliter ex maligno ſtellarum influxu, ex nimia Terræ, & aeris putredine, & cauſis ſimilibus; vel ſupernaturaliter: ſi nulla exiſtente diſpoſitione in aere ad corruptionem, & abſque noua elementorum mutatione, immittatur à Deo peſtis miniſterio Angelorum, qui Dei irati iuſſu irreparabiliter mortales feriant. Quando ergo peſtis eſt ſupernaturalis verum videtur nihil prodeſſe poſſe remedia naturalia; Cæterum quando eſt naturalis, benè poſſunt remedia naturalia vim infringere naturalis morbi.

Reſpondeo vtroque modo peſtem à Deo immitti, vel tanquam ab authore naturæ ſuo concurſu vniuerſali influente cum cauſis ſecundis; quem etiam influxum quandoque Deus, vel auget, vel minuit extraordinario modo, & ex ſpeciali prouidentia: vt Cauſæ Secundæ magis, vel minus noceant vltra modum naturæ debitum: Vel Secundo tanquam ab authore ordinis ſupernaturalis modo ſupra explicato, vel miniſterio Angelorum, vel alio modo, in quo caſu remedia naturalia nihil iuuant. In primo vero caſu, quamuis remedia prædicta aliquid iuuare poſſint, ſemper tamen ſpes omnis reponenda eſt in Deum, & recurrendum per orationes ad ipſum à quo effectus medicamentorum pendent: vt dicitur. *Sap. 16. etenim neque herba, nec malagma ſanauit eos: ſed tuus Domine ſermo, qui ſanat omnia.* His poſitis deueniendo ad noſtrum intentum de efficacia Proceſſionum contra peſtem.

Conſtat ex dictis *ſect. 1. Punc. 8.* publicas ſupplicationes magnam habere vim placandi Deum, & in particulari auertendi peſtem, vt multis allatis exemplis ibi probauimus. Præſertim quia illis impetramus à Deo ſpiritum pænitentiæ: quo auertimur à peccatis, & ad Deum ipſum conuertimur, atque adeò remota Cauſa diuini flagelli, remouetur effectus. Hoc autem patet ex innumeris ſcripturæ locis, ſatis autem erit hic ad rem noſtram adducere exemplum ſupra inſinuatum de peſte: cum enim Deus comminatus fuiſſet Dauid 2. *Reg.* 24. grauiſſimam peſtem in tres dies duraturam, ea tamen vix integro die durauit à mane, vſque ad veſperam iuxtà verſionem Vatabli. Cur quæſo Deus reuocauit Sententiam; certè non alia ratione, niſi ob pænitentiam Regis Dauid: vt ibidem narratur, qua placatus Deus triduanam peſtem ad vnum diem contraxit. Meritò D. Hieronymus *in cap. 3. Ionæ*. *Nec bona* ait *implere Dominum, quæ promiſerit, ſi boni reuertantur ad vitia; nec mala quæ peſſimis comminatur, ſi hi reuerſi fuerint ad ſalutem*.

Qualiter autem fiat licitæ Proceſſiones tempore peſtis non obſtante periculo maioris infectionis dicemus ſect. ſequenti Punc.

PVNCTVM XVIII.

De Proceſſione tempore ſiccitatis ad petendam pluuiam.

INter eximia beneficia, quibus Deus cumulat huius terræ habitatores. Meritò Regius Propheta numerat pluuiam *pſal. 146. qui operit Cælum nubibus, & parat terræ pluuiam*, & Chriſtus *Matth. 5. qui ſolem ſuum oriri facit ſuper bonos, & malos, & pluuit ſuper iuſtos, & iniuſtos*. Et contra inter graues pænas, quas idem Deus mortalibus comminatur, eſt claudere cælum, & pluuiam denegare: vt fecit per Eliam, & prædictus Rex Dauid 2. *Reg.* 3. Malc-

1.Maledicens Gelboe montes dixit, *nec ros, nec pluuia veniant ſuper vos*. Si quidem prohibita à Deo pluuia ſuper terram, languent, & gemunt prata, nudantur colles ſuo virore, montes areſcunt, flumina exiccantur, & fontes: denique deficientibus terræ fructibus pallent præ inedia ora hominum, graſſantur infirmitates, & mors dominatur vbique.

E contrà conceſſa à Deo congruente pluuia;vertitur luctus Terræ in gaudium, lætantur campi,ridentque prata, fructus abbundant, depellitur fames, redit hominibus vigor, & incolumitas. Hinc Iſaias *cap.55.deſcendit* inquit *imber, & nix de cœlo inebriat terram, & infundit eam, & germinare facit, dat ſemen ſerenti, & panem comedenti*. Meritò Thales Mileſius docuit aquam eſſe rerum omnium principium; vndè aqua dicitur, ideſt à qua omnia terræ bona deriuant.

Inſuper in ſacris litteris niues, & aquæ inter Dei theſauros computantur Deuter. 28. *aperiet Dominus theſaurum ſuum, vt tribuat pluuiam*, & Moyſes *num.*20.petens aquam pro populo, ſic Deum rogauit. *Aperi Domine theſaurum tuum fontem aquæ*, & Iob.38 dicitur. *Nunquid ingreſſus es theſauros niuis &c.* Addit Paraphaſtes Hieroſolymitanus ſuper *cap. 30. Geneſ.* ſibi Deum reſeruaſſe quatuor claues theſaurorum ſuorum, quas nec Angelis tradidit, & inter eas aſſerit eſſe clauem pluuiæ; ex quibus.

Colligitur primo ad rem noſtram ad impetrandã pluuiam eſſe omnino recurrendũ ad Deum,præſertim per Proceſſiones,& publicas ſupplicationes, quæ magnam vim habent in ordine ad hunc effectum, vt conſtat exemplis ſupra adductis *ſect. 1. punct.*8.Si quidem claues huius theſauri,quas Deus Angelis denegauit, tradidit orationi, vel potius ipſa oratio, & ſupplicatio clauis eſt, qua Cælum aperitur, & clauditur, vt pluuat, vel non pluuat ſuper terram; quod manifeſtè probatur exemplo Eliæ,de quo ſic ait Iacobus Apoſt.*epiſt.cap.*5. *Elias homo erat ſimilis nobis paſſibilis, & oratione orauit, vt non plueret ſuper terram, & non pluuit annos tres, & menſes ſex: Rurſum orauit, & Cælum dedit pluuiam &c.* Vndè Auguſt.*ſerm.22.de tempore.Oratio* inquit *iuſti clauis eſt Cæli,aſcendit ad Cælum precatio, & deſcendit miſeratio*. Quod ſi non ſtatim fluant aquæ; perſeuerare oportet in oratione, ſæpe enim vult Deus experiri ſpem noſtram in eum, & perſeuerantes exaudire; Quod eiuſdem Eliæ exemplo comprobatur; ſepties enim ille orauit ad impetrandam pluuiam, & ſepties miſit puerum ad videndum, num Cælum nubibus obtegeretur: cumque puer nihil ſe videre diceret. Elias feruentius orabat, donec ſeptima vice voti compos effectus gratias egit 1.*Reg.*18.

Non eſt ergo deſperandum, quando non ſtatim Deus concedit quod petimus, ſed ſpes excitanda, & feruentius orandum.

Colligitur Secundo magni à nobis æſtimandum eſſe hoc donum aquarum, & congruentis pluuiæ, nè aſſiduitate vileſcat,& minus grati reddamur. Si quidem elucet in eo mira Dei potentia, & ſapientia, quam admirans Iob.*cap.*26.ſic ait, *qui ligat aquas in nubibus, vt non erumpant pariter deorſum*.

Primo ergo perpendere debemus, & mirari, qualiter Deus aquam fluxam, & labilem ita conſtringat, & aptet in nubibus; ſicque temperet pluuiæ habenas, vt guttatim eodem tenore iugiter fluat, non vero tota ſimul vnico impetu, ne videlicet terram deuaſtet: ſed ſenſim, & guttatim aquas Deus inſtillat, vt commodius agros temperent.

Secundo admirari debemus Dei ſapientiam in eo, quod res tam tenuis, tam leuis, & ſubtilis, qualis eſt nubes, continere poſſit magnam aquarum copiam, quæ ſua grauitate deorſum nituntur.

Tertio eſt etiam admirabile, quod ex immenſitate illa aquarum, quæ in nubibus continetur, Deus ſubducat, & extrahat ſtillas in numero, & menſura,nunc augendo, nunc minuendo numerum prout terræ, & mortalibus expedire videt. Quamuis enim pluuiæ guttas nullus mortalium dinumerare poſſit Eccleſ.1. Deus tamen cuius ſapientiæ non eſt numerus in numerato habet, & menſuratim diſpenſat, ponens pluuijs legem Iob.28.

Quartum mirabile notatur in *pſal.*134.vbi dicitur *fulgura in pluuiam fecit*, videlicet, vt inter fulgura miſceatur pluuia, aquæ cum ignibus ſocientur; terrores fulminum cum aquarum decurſu pacifico, atque fæcundo. Hæc ergo conſiderantes laudemus, & glorificemus Deum, qui mira propter nos operatur, & debitas gratias impensè agamus.

Tandem conſulendum eſt Chriſti fidelibus, vt ex pluuia naturali, & materialibus hiſce aquis, quibus terra fæcundatur, mentem, & cor eleuent ad conſiderationem aquarum gratiarum ſupernaturalium, quibus animæ fæcundantur, & ad pluuiam voluntariam, quam ſegregauit Deus hæreditati ſuæ *pſal.67*.

Notum eſt autem ex verbis Chriſti loquentis cum Samaritana *Ioannis* 4.gratiam ſpiritualem, ac ſupernaturalem comparari aquæ, *ſi ſcires donum Dei, tu forſitan petiſſes ab eo, & dediſſet tibi aquam viuam*: Siquidem gratia iuſtificans ad inſtar aquæ mundat, & expurgat animam à ſordibus peccatorum, *lauabis me, & ſuper niuem dealbabor pſal.* 50. Secundo refrigerat æſtum concupiſcentiæ, omneſque animi motus, & paſſiones componit, & æquat, ad inſtar aquæ æquantis humores;aqua enim dicitur, quaſi æqua ait Varro *lib.* 4. Tertio ſicut aqua fæcundat, & impinguat terram,vt plantas, & fructus producat; ſic graria fæcundam, fertilemque virtutum, & bonorum operum efficit animam. Tandem aquæ fontium per canales in valles deductæ ex vallibus, rurſus ad tantam altitudinem deduci poſſunt, quanta eſt altitudo primi fontis, & ſcaturiginis,vndè profluunt; ſic gratia à Deo, & à Cælo ſcaturiens nos in Cælum, & ad Deum exilire facit, teſtante Chriſto *Ioan.* 4. *aquam, quam ego dabo, fiet in eo fons aquæ ſalientis in vitam æternam*. Si ergo nos ſolliciti, & iteratis ſupplicationibus materialem hanc aquam, ſeù pluuiam à Deo poſtulamus ad terræ fæcunditatem, & temporalis, ac miſeræ huius vitæ conſeruationem; quanto maiori conatu, & feruentiori affectu niti debemus ad impetrandam gratiam, &

alia

alia diuina auxilia, quibus conſeruamus ſpiritualem animæ vitam, & ad vitam perueniinus æternam.

PVNCTVM XIX.

De Proceſsione tempore Belli ad petendam victoriam, vel pacem.

OMnibus hominibus pax quidem præclara res eſt: bellum autem infælix, illa ſanè retinenda eſt: hoc autem fugiendum: quippe cum illa vrbes emendet, & iſtauret: bellum autem ſubuertat, & deſtruat; ita Libanus in oratione Vliſſis ad Troianos.

Porrò ingentia mala, quæ ex bello proueniunt, notiora ſunt, quam explicare ſit opus ſolum hic referam, quæ breuiter enumerat D.Ambroſius *in epiſt.1.ad Thimot. 2.Bellum* inquit *nec pietatem ſeruat, nec caſtitatem: videmus enim bello flagrante, vrbes & templa deripi, ſacra omnia prophanari: virgines violari, ſacerdotes capi, & fugari, omniaque rapinis, & cædibus miſceri &c*, vt ergo tot malis occurramus.

Aduertimus primo. Ante omnia recurrendum eſſe ad Deum per orationem indictis præſertim publicis ſupplicationibus, ſacriſque proceſſionibus, vt bellum auertat: Deus eſt enim, qui conterit bella ab initio *Iudith.9.* & ex Dei nutu pendet exitus belli *2.Machab.13.* Deoque protegente hoſtes in manibus noſtris ſunt *Geneſ.14.* Hi in curribus, & in æquis ait Dauid *Pſal.19.* nos autem in nomine Dei noſtri innocabimus. Inuocandum eſt ergo nomen Domini, & diuinum auxilium implorandum, vt liberemur ab hoſtibus. Et quidem ſacras proceſſiones ſpecialem vim habere ad profligendos hoſtes nunnullis exemplis probauimus *ſect.1.punct.8.* ad maiorem autem confirmationem addimus hic factum Iudith. *cap.8.*

Proceſſura enim hæc mulier fortis contra Holofernem poſtulauit in primis orationes, & præces totius populi dicens, *nihil aliud fiat niſi oratio pro me*. Quod de publicis ſupplicationibus interpretatur Cornelius à lapide in prædictum locum. *Hic diſce*, ait, *in publica, grauique cauſa, publicas, & continuas adhibendas eſſe præces, vt Deus rem dirigat, & ſecundet*, & ſubdit arma Iudith. quibus truncauit Holofernem fuerunt publicæ præces totius populi; quod valdè notandum eſt in confirmationem pij Eccleſiæ vſus in indicendis Proceſſionibus contra inſultus inimicorum, vt idem auctor obſeruat.

Secundo. Aduertemus poſt recurſum ad Deum prodeſſe etiam plurimum implorare patrocinium Sanctorum, & in primis præſidium Deiparæ Virginis, quæ terribilis, vt caſtrorum acies ordinata, facilè diſſipat exercitus nos oppugnantium: nec deſunt quamplura huius rei exempla ex hiſtorijs Eccleſ. quorum aliquot hic referam.

1. Heraclius Imperator rebus Imperij quaſi deſperatis, ſpem omnem poſt Deum in B.Virgine poſuit, ac eius ope Choſroam Regem Perſarum profligauit, vt narrant Paulus Diaconus *lib.18.* & Theophanes *in geſtis Heraclij*.

2. Pelagius 1. Hiſpanus Rex Saracenos Hiſpaniarum occupantes, inuocato ſubſidio Virginis Glorioſæ deuicit, vt teſtantur Lucas Tudenſis, Mariana, alijque Hiſpanorum hiſtorici.

3. Baſilius Imperator Conſtantinopol. Saracenos Chriſto, & Deiparæ inſultantes, eiuſdem Deiparæ auſpicijs ad internicionem pænæ cecidit teſte Curopalate.

4. Exercitus Chriſtianorum Duce Godefrido Bullionio, Virginis Deiparæ patrocinio fretus, terram Sanctam infidelibus extorſit: cum enim omnibus militibus mandatum eſſet, vt ſingulis ſabbathis officium ipſius Vir. recitarent; poſt varia cum Saracenis prælia Hieroſolymam expugnarunt. teſte Tyrio *de Bello Sacro*, Baronio, & alijs.

5. Sub Pio V, Summo Pontifice Illuſtris de Turcis reportata eſt naualis victoria implorato auxilio eiuſdem Sanctiſs. Virg. quæ annua gratulatione celebratur *die 7. Octobris*, vel prima Dominica eiuſdem menſis ſub titulo S.Mariæ de Victoria.

Tandem aduertimus. Parta Victoria de inimicis, vel pace compoſita, totum eſſe à nobis Deo tribuendum cum immenſa gratiarum actione, vt firma ſit pax, & ab ipſo Deo ſtabiliatur, qui pugnat prò nobis; Quod ex multis ſcripturæ locis manifeſtè probatur.

Sic *1.Reg.7.* Hæbrei ob vnam obtentam Victoriam contra Philiſtæos erexerunt lapidem in titulum in memoriam obtentæ à Deo victoriæ: hinc pluries de eiſdem hoſtibus triumpharunt: & factum eſt, vt ſecura pace deinceps fruerentur. Quaſi lapis ille in Dei gloriam erectus, murus eſſet, qui Hæbreos defenderet, Philiſtæos propulſaret.

Secundo Rex Dauid ex fælici præliorum ſucceſſu nullam ſibi, ſed totam Deo gloriam tribuebat, *pſal.43. in te inquit inimicos noſtros ventilabimus, non enim in arcu meo ſperabo, &c.* Sed quanta ex hac Dauid recognitione pax conſequuta fuerit (cum ipſe Dauid conſenuerit in bellis Domini præliandis) pacatiſſimum regnum Salamonis eius filij, & ſucceſſoris demonſtrauit.

Tertio Iudith. conopæum Holofernis Deo Victoriæ auctori conſecrauit, indè pax à Deo ſtabilita.

Tandem, vt alia omittam, Angelorum exemplo idem confirmatur; Michael enim, & Angeli eius præliabantur cum Dracone, quem tandem victum in abiſſum proiecerunt *Apocal.12.* cuius Victoriæ gloriam non ſibi arrogarunt, ſed Deo humiliter tribuerunt dicentes, *nunc facta eſt virtus Dei noſtri, & regnum Chriſti eius*. Hinc pacem adepti ſunt ſempiternam. Imitemur nos ergo Sanctorum exempla, Victorias Deo acceptas referentes, vt ab ipſo Deo firmæ pacis munere coronemur.

PVNCTVM XX.

De Proceſsione funerali in morte, & ſepultura cuiuſque.

SVpremus honor mortalium ſepultura ſemper eſt habitus. Hunc tandem ſortiuntur terminum, ſiuè Pontificum infulæ, ſiuè Regum purpuræ, & ſceptra, ſiue diuitum opulentiæ, ſiuè epulonum delitiæ. Hoc funerali obſequio viuentes dicunt vltimum vale defunctis: idemque obſequium illi expectant per ſuperſtites ſibi impendendum.

Porrò huic honori pia Mater Eccleſia pompam adiunxit proceſſionum, tum in vtilitatem animæ defuncti multiplici ſuffragio plurimorum, tum in ſolamen viuentium, præſertim conſanguineorum ipſius defuncti, in quorum honorem maior illa pompa reſultat. Huius ergo Proceſſionis occaſione more ſolito aliqua adnotabimus, quibus fideles promptiores reddantur ad piam curam pro mortuis, & mereantur ipſi poſt mortem ſimili obſequio Eccleſiaſticæ ſepulturæ honeſtari.

Primum Notabile ſit ſemper hominibus perſuaſum eſſe ipſo lumine naturali dictante, mortuorum cadauera non eſſe relinquenda inſepulta: ſed decenter condi, & deponi debere in loco apto, ne cum dedecore, neue cum fœtore, & horrore inter viuos appareant: vndè ſepultura eſt quies defunctorum, & ſolamen ſuperſtitum.

Porrò apud varias nationes hoc ſepulturæ officium diuerſi modè perſolutum eſt. Primo apud multos Gentiles mos olim fuit flammis tradere mortuorum corpora, vt redacta in cineres, nullatenus apparerent Hyperboreis ſepulcrum fuit mare: Æthiopibus flumina: Scytis niues. Apud cultiores vero nationes illud ſepulturæ genus magis vſitatum fuit, quo mortuorum cadauera terræ mandantur. Certè hoc videtur magis naturæ conforme: terra enim ſumus omnes, & ex limo terræ formati quo ad corpus; detur ergo terræ; quod terrenum eſt; terræ gremio reponatur, quod ex terra genitum eſt, & matris obducatur operimento.

Mos inſuper fuit præſertim apud Iudęos in lege veteri mortuorum corpora imbuere, & condire pretioſis vnguentis ex myrra, & aloe compoſitis, vt ea à corruptione, prauoque odore præſeruarentur, & de vnguentis huiuſmodi ſępius fit mentio in Euangelijs occaſione ſepulturæ Chriſti Domini, & legitur Ioan. 19. *ſicut* inquit *mos eſt Iudæis ſepelire*.

Cæterum Chriſtiani, qui longè perfectiori, & ſanctiori lege reguntur, ſanctioribus, & ad pietatem magis accommodatis vtuntur Ritibus in exequijs defunctorum; ſi quidem præter orationes, & præces, quæ in ſuffragium animarum funduntur in officio ſepulturæ; præmuniuntur cadauera multiplici benedictione: non enim fas eſt apud Chriſti fideles piè defunctorum corpora, niſi in locis ſacris ſepelire, atque in ſepulchro prius benedicto: ſuffumigatur etiam circa illa incenſum benedictum, & aqua item benedicta aſperguntur; quibus benedictionibus docet Eccleſia non omninò interire piè defunctos, ſed in Domino obdormire, rurſus excitandos in nouiſſimo die: veluti enim ſeminatur Corpus corruptibile in terra benedicta, & fertili, reſurrecturum incorruptibile, & glorioſum teſte Apoſt. 1. *Corinth.* 15. Pulchre, Prudentius de exequijs cecinit.

> *Hoc prouida Chriſticolarum*
> *Pietas ſtudet: vt potè credens*
> *Fore protinus omnia viua*
> *Quæ nunc gelidus ſopor vrget.*

Secundum notabile eſt vt perſuaſum habeamus hoc ſepulturæ obſequium mortuis impenſum, præſertim erga pauperes, qui proprijs impenſis humari non poſſunt, computari inter opera inſignis pietatis, & meriti, & à SS. PP. ſummopere commendari.

Primo S. Ambroſius in *Tobiam cap. 1.* ſic ait; *ſi viuentes operire nudos lex præcipit, quantò magis operire debemus corpora defunctorum operimento terræ: Nihil hoc officio præſtantius ei conferre, qui tibi non poſſit reddere: feræ hanc humanitatem detuliſſe produntur, homines denegabunt?* hæc Ambroſius.

Secundo S. Auguſt. *de conſol. mort. Iacet* inquit *corpus exanime cadauer ſine ſpiritu, non eſt qui adiuuet, nec mortuus ſibi auxilium poſtulare poteſt: igitur nihil mirum, ſi inſit à natura humanis pectoribus ſingularis erga defunctos pietas, & miſeratio:* ex quibus Auguſtini verbis apparet hominem deſueſcere, & pluſquam belluinos induere mores, qui erga mortuos humanus non eſt; Plura habet idem S. Doctor *lib. vnico de cura prò mortuis tom. 4.*

Tertio Lactantius *lib. Inſtit.* docet eos, qui mortuos ſepeliunt, ſacrificium Deo immolare; & merito ſic docet, quia tali obſequio propter Deum exhibito, cui omnia viuunt, proteſtamur Deum eſſe ſupremum auctorem vitæ, & mortis, vt proprius fit in ſacrificio, & id circo hoc opus Miſericordiæ per aſſimilationem dicitur ſacrificium.

Tandem omiſſis aliorum Patrum dictis concludo huius pij operis excellentiam verbis Chriſti, quibus valdè commendauit in Magdalena præuentionem ſepulturæ ipſius, effuſione vnguenti: *bonum inquit opus operata eſt in me Matth. 26. mittens enim vnguentum in corpus meum ad ſepeliendum me fecit:* id ergo quod dixit Chriſtus de officio ſepulturæ circa corpus proprium, intelligendum eſt etiam de obſequio ſepulturæ circa corpus myſticum eiuſdem Chriſti, videlicet circa pauperes: teſtante ipſo *Matth. 25. quod vni ex minimis meis feciſtis, mihi feciſtis.*

Tertium notabile ſerio conſiderandum proponimus circa proceſſiones, de quibus præcipuè loquimur in morte hominum. Duplex enim tunc fit genus Proceſſionum. Primum conſiſtit in his viſibilibus ab Eccleſia ordinatis ad ſepelienda mortuorum corpora, de quibus iam diximus. Alterum genus Proceſſionum communiter eſt nobis occultum: quãdoque tamen fuit nonnullis à Deo reuelatum, & manifeſtatum, quibus videlicet proceſſionibus deducantur animæ ad locum eis deſtinatum.

Primo enim in morte iuſtorum, qui in hac vita plenè ſatisfecerunt pro ſuis peccatis, fit ſolemnis Angelorum proceſſio occurrentium animabus eorum, & deducentium eas ad Paradiſi gloriam. Ità enim conſtat primo ex verbis Chriſti *Lucæ* 16. vbi loquens de Lazaro mendico ait, *factum eſt, vt moreretur Lazarus, & portaretur ab Angelis in ſinum Habrahæ*, ex quibus verbis arguit Chryſoſt. *hom. 2. de Lazaro* idem fieri in morte aliorum iuſtorum. Sic enim S. Antonius Abbas vidit animam S. Pauli Eremitæ inter Angelorum choros ad cælum aſcendere: & centies idem legitur in vitis aliorum ſanctorum. Secundo eadem veritas fit manifeſta ex antiphonis, quas canit Eccleſia in exequijs fidelium videlicet, *In Paradiſum deducant te Angeli &c. Chorus Angelorum te ſuſcipiant &c.*

E contrà verò animæ impiorum, qui in peccato mortali decedunt, iuſta ſupremi Iudicis ſententia traduntur in poteſtatem Dæmonum, qui in varias turmas congregati, horrenda eas proceſſione ad infernum pertrahunt, quod pluries à Deo pijs viris manifeſtatum eſt apparentibus viſibiliter Diabolis ſub formis horrendis: ſicuti legi poteſt in ſpeculis exemplorum, & innuitur in *pſalm.* 108. vbi de impio ſic dicitur, *conſtitue ſuper eum peccatorem, & Diabolus ſtet à dextris eius, cum iudicatur exeat condemnatus &c.*

Dubium ſupereſt de animabus iuſtorum, qui decedunt in gratia, ſed non plenè ſatisfecerunt pro pœnis temporalibus, quibus erant obnoxij. An deducantur ad Purgatorim Miniſterio Angelorum, vel Dæmonum. Dicendum eſt breuiter, cum prædictæ iuſtorum animæ ſint liberæ à culpa, & Deo gratiæ eas non pertinere ad poteſtatem, & iuriſdictionem Dæmonum, neque horum miniſterio ad Purgatorium duci, ſed vel ſua ſponte in exequutionem Sententiæ latæ à Chriſto in Iudicio particulari ad purgatorium pergere. Vel potius aſſociati quamlibet honoris cauſa à ſuo Angelo Cuſtode, à quo etiam dum in Purgatorio manent aliquoties viſitantur, vt videri poteſt apud Suarez *tom. 4. in 3. p. diſp. 46. ſect. 3.* alioſque Doctores *in tract. de Purgatorio*. Completa vero ſatisfactione pœnarum, comitantibus Angelis euolant in Cælum.

Quartum notabile ſit. Ad vitandam mortem peccatorum peſſimam, & horribilem proceſſionem Dæmonum pertrahentium illorum animas ad baratrum, prodeſſe plurimum in vitæ progreſſu meminiſſe non raro de morte, & de iudicio particulari in puncto mortis peragendo, de quo agit D. Tomas 3. *p. q.* 54. *art.* 5. & cum eo Theologi communiter. Atque vigilantes his pijs meditationibus nos eſſe oportet, nè *ſubito præocupati die mortis quæramus ſpatium pœnitentiæ, & inuenire non poſſimus*. Præueniat in vita mortem ſedula eius cognitione, qui mortem cupit non timere præſentem. Præueniat, & iudicium exacta ſuorum peccatorum diſcuſſione, & ſeria confeſſione, qui cupit abſolui à Chriſto in iudicio. Cum enim Deus non iudicet bis in idipſum, abſolutus hic in terra Petri, & Sacerdotum clauibus; ſolutus reperietur in Cælo. Tandem præueniat, & infernum, & deſcendat in eum viuens profunda meditatione ignis æterni; nè illuc deſcendat in morte, *Memorare inquit Sapiens Eccleſ. 7. nouiſſima tua, & in æternum non peccabis*: Excluſis autem peccatis mors nocere non poteſt, quia ſtimulus mortis peccatum eſt, nec formidari poteſt iudicium, quia deeſt materia accuſationis; nec timeri pœna inferni; quia pœna eſt culpæ adnexa,

Quo ad ritus ſeruandos in hac Proceſſione funerali videri poteſt Rituale Romanum *tit. de exequijs*, vbi exactiſſimè præſcribuntur,

---

PVNCTVM XXI.

De Ritibus proprijs Proceſsionum in particulari.

Ritus qui ſeruari debent in omnibus Proceſſionibus generatim, & communiter, ſupra a nobis traditi, & explicati fuerunt *ſect. 1. punc.* 6. Quoniam vero in multis ex his Proceſſionibus in particulari, de quibus egimus in hac ſecunda ſectione, proprij quidam alij Ritus ſeruari debent; operæ pretium erat eos etiam deſcribere ad complementum eiuſdem ſectionis. Cæterum ne actum agere videremur ſilentio præteriuimus; de his enim exactè, & eruditè egit noſter Pater Caſtaldus in *Praxi Cærem. lib. 2. Sect. X. per totam* ad quem remittimus Lectorem, nec alia nobis occurrunt addenda.

SECTIO III.

Doctrinalis continens Doctrinam moralem, & Quæſtiones ad vtrumque forum pertinentes circa materiam Proceſſionum.

PVNCTVM I.

De Poteſtate indicendi, & celebrandi Proceſsiones.

PRIMO QVÆRITVR.

Ad quem pertineat Proceſsiones indicere.

Reſpondeo, & dico primo. Quilibet Epiſcopus in ſua Diœceſi habet poteſtatem, priuatiuè quo ad alios indicendi publicas Proceſſiones, & præcipiendi Eccleſiaſticis acceſſum ad eas.

Probatur Quilibet Epiſcopus habet Iuriſdictionem ordinariam, & principale regimen in ſpiritualibus

tualibus reſpectu omnium perſonarum Suæ Diœceſis: ergo poteſt leges ferre, & præcepta in ordine ad res ſacras, & prædictum regimem ſpiritualem: ergo poteſt indicere, & præcipere publicas Proceſſiones, & ſupplicationes, quoties iudicauerit eas eſſe neceſſarias, vel valde expedientes communi bono, vel ſaluti ſuorum ſubditorum: ſi quidem proceſſiones ſunt functiones ſpirituales, & ſacræ, quarum cura ad Epiſcopum pertinet.

Poſito autem quod Epiſcopus iuſtè præcipiat; manifeſtum eſt teneri ſubditos obedire ex Apoſt. ad *Hebr.* 13. vbi loquens de Epiſcopis ait, *obedite Præpoſitis veſtris, & ſubiacete eis: ipſi enim peruigilant quaſi rationem pro animabus veſtris reddituri*.

Confirmatur quia Epiſcopus (vt afferunt communiter Canoniſtæ) poteſt in ſua Diœceſi quicquid poteſt Papa in toto orbe, quod intelligi debet exceptis ijs, quæ Papa ſibi reſeruat, & in quibus limitat Iuriſdictionem Epiſcoporum; ſed poteſt Papa indicere Proceſſiones in toto orbe, ſeu celebrandas per omnes Eccleſias Chriſtiani orbis; & de facto plures indixit E.G. in die Palmarum, in Litanijs maioribus, in Rogationibus &c. & ſic, poteſt nouas indicere, ergo idem poſſunt Epiſcopi in ſuis Diœceſibus: non enim Papa id illis prohibuit, imo expreſsè declaratum eſt id pertinere ad Iura Epiſcopalia in *Cap. cum inter de ſent: & re iudicata*.

Dixi priuatiuè quoad alios, quia præter Epiſcopos nemo alius ſimilem Iuriſdictionem habet, quæ ſe extendat ad omnes ad Proceſſiones conuocandos, niſi ſubſtituatur loco Epiſcopi propter eius abſentiam, vt mox dicemus. Atque ita docent Campanile in *diuerſ. iuris Rub.* 12. *cap.* 13. Riccius in *Praxi fori Eccleſ. deciſ.* 362. Barboſa *de offic. Epiſcop. alleg.* 78. & iterum *de Iur. Eccleſ. lib.* 1. *cap.* 43 *n.* 161. *ib.* Lezana *in ſumma* 99. *RR. Verbo Proceſſio n.* 4. & alij DD. communiter.

Colligitur in indicendis Proceſſionibus Epiſcopum non indigere conſenſu Capituli ſuæ Cathedralis, vel aliorum, quia id nullo Iure cauetur. Aſſerunt tamen plerique ex DD. citatis eum debere petere conſilium dicti Capituli, vt maturius in hoc procedat, & ita fuiſſe deciſum à S. Congreg. Concilij *ſub die* 16. *febr.* 1609.

Dico Secundo abſente Epiſcopo ad hoc Ius indicendi Proceſſiones ſuccedit Vicarius Generalis, quo etiam deficiente ſuccedit prima dignitas Eccleſiæ Cathedralis *E.G.* Decanus, vel Archipresbiter &c. Quoad Vicarium Generalem id docent omnes DD. ſupra citati. Quoad primam Dignitatem id fuit deciſum à S. Rit. Congreg. 10. *Ianuarij* 1597. vt referunt Barboſa *de canon. & Dignitat. cap.* 7. *n.* 7. & Gauantus in *Enchir Verbo Proceſſio in addit n.* 5. Ratio aſſignari poteſt, quia nunquam debet eſſe Eccleſia deſtituta rectore: ergo in defectum Epiſcopi, munus regendi Eccleſiam, & conſequenter indicendi proceſſiones pertinet ad Dignitatem ſupra Epiſcopum modo explicato. Quamuis autem Portellus de *Reg. Verbo proceſſio n.* 7. cum Rodriquez videatur dubitare de prima dignitate; nihilominus ſtandum eſt noſtræ Concluſioni, quia ob rationem adductam prima Dignitas ſuccedit in eam Iuriſdictionem delegatam vel à Iure, vel ab Epiſcopo, aut à Sac. Congreg. ex decis: allegata.

SECVNDO QVÆRITVR.

Quænam perſonæ compelli poſsint ad Proceſſiones, & in quibus caſibus.

IN hac quæſtione eſt certum primo poſſe Epiſcopum ex clero ſeculari compellere ad Proceſſiones omnes habẽtes beneficiũ, vel officiũ aliquod in Eccleſijs ſuæ Diæceſis: vt deciſũ fuit à S. Cõg. Cõc. 17. *Iulij* 1597; & docent communiter DD. apud Barboſam *de offic. Epiſ. alleg.* 78. nec eximuntur Sacerdotes inſeruientes Religioni Hieroſolmitanæ ex iiſdem DD.

Secundo eſt certum poſſe compelli omnes Regulares etiam Monachos, non obſtante communi eorum exemptione in alijs à iuriſdictione Epiſcoporum: ſic enim expreſsè decretum fuit à Concil. Trid. *ſeſſ.* 25. *cap.* 13. vbi tamen excipiuntur Religioſi, qui ſtrictiori clauſura perpetuò viuunt: de alijs vero habentibus ſpeciale priuilegium dicemus puncto ſequenti atque ita docent Lezana in *ſumma verbo Proceſſio*. Barboſa loco citato, & de *Iure Eccleſ. lib.* 1. *cap.* 43. *n.* 156. qui alios citant.

Tertio videtur certum non poſſe communiter ad Proceſſiones compelli ſeculares, ſeu merè laicos: hoc enim eſt proprium munus Eccleſiaſticorum, qui ſunt deſtinati ad diuina officia, & ſacras functiones; ac alienum à ſtatu laicorum, qui curis ſecularibus præmuntur: & ſicut non poſſunt compelli Eccleſiaſtici ad munera, & negotia Secularium, ità nec laici ad functiones Eccleſiaſticorum: vnuſquiſque enim onus ſuum, & in ordine ſuo portare debet ex Apoſt. *ad Galat.* 6. ſolent quidem piè, & laudabiliter laici turmarim ſequi Proceſſiones poſt Clerum, non tamen ex obligatione aliqua, vel præcepto, ſed liberè.

Dixi non poſſe communiter cogi laicos ad Proceſſiones; quia ſi in aliquo caſu rarò Epiſcopus iudicaret interuentum Magiſtratus, vel ſimilium perſonarum ad eas eſſe neceſſarium, vel valdè expediens; poſſet vtique in eo caſu illis præcipere comitatum proceſſionis, ſicut præcipere poteſt in aliqua graui calamitate ieiunium, vel orationem aliquam, auditionem Miſſæ &c. quia in rebus ſpiritualibus omnes Epiſcopo ſubduntur, vt oues ſuo Paſtori, vt conſtar etiam ex declaratione S. Rit. Congreg. apud Aldanum, & Barboſam in *ſum. Apoſt. Deciſionum verbo Proceſſio n.* 9. Non poteſt autem Epiſcopus præcipere, vt ſeculares ordinatè, & bini incedant more Eccleſiaſticorum, vt idem Barboſa deciſum refert à S. Rituum Congreg. *de Iur. Eccleſ. cap.* 43. *n.* 157. His poſitis.

Controuerſia eſt inter DD. An ſaltem Confraternitates laicorum poſſint ab Epiſcopo ad Proceſſiones compelli.

Ratio dubitandi eſt, quia Confraternitates huiuſmodi videntur eſſe in ſtatu quodam medio inter Eccleſiaſticos, & Seculares: quatenus enim

ratione confraternitatis ſimul conueniunt, ac certis regulis diriguntur ad opera pia in ordine ad finem ſpiritualem, ſubduntur Epiſcopo; ad quem pertinet cura rerum ſpiritualium: ergo vt confratres, & ſubditi Epiſcopo poſſunt compelli ad proceſſiones. Quamuis enim non ſubdantur in Temporalibus; ſubduntur tamen in Spiritualibus, vt cum Nauar. *de foro competenti conſil. 3.* docent communiter DD.

Prima Sententia affirmat poſſe confratres ab Epiſcopo ad Proceſſiones compelli ob argumentum explicatum in ratione dubitandi, quam ſequitur Barboſa in *ſum. Apoſt. decis. collec. 595. n. 18.* citans Selſium, Gratianum, & alios: tenet etiam Marius Antonius *lib. 1. variar. reſol. 930.* & adducunt in ſui fauorem aliquas declarationes S. Rit. Congreg. de quibus non conſtat authenticè.

Secunda opinio probabilior negat: Probatur Confratres laici ex eo, quod ſunt addicti exercitijs ſpiritualibus, & pijs operibus, non debent eſſe deterioris conditionis alijs laicis, neque præ alijs grauari; ſed potius fauorem, & priuilegium merentur, ſed alij laici, vt ſupra dicebamus, non poſſunt compelli ad Proceſſiones, neque grauari hoc onere; ergo nec Confratres, ſeu ſodales confraternitatum.

Poſſunt quidem prædicti Confratres inuitari ad Proceſſiones, quatenus hoc pertinet ad honorem, & fauorem, vt liberè accedant, ſi velint, & ſuo loco incedant, vt fit ſæpiſſimè; non tamen cogi, & pœnis compelli. Ita ſuſtinent Lezana in *ſum. tom. 2. cap. 15.* citans Gauantum, Franciſcum, Leonem, & alios Riccius in *Praxi fori Eccleſ. deciſ. 308.* Vgolinus de *poteſt. Epiſc. cap. 11. num. 6.* Et tandem huic ſententiæ adhæret Barboſa ſibi contrarius *de offic. Epiſcop. alleg. 78.* & in *Sum. Apoſt. Deciſionum collect. 207. num. 24.* & referunt nonnullas declarationes S. Rit. Congreg. in fauorem huius ſententiæ.

In quibus Caſibus Compelli poſſint Eccleſiaſtici ad publicas Proceſſiones.

Quo ad ſecundum quæſitum. Reſpondeo breuiter. Non poſſe compelli Eccleſiaſticos, præſertim Regulares, niſi ex graui Cauſa pertinenti ad bonum commune, vt conſtat ex *cap. Nimis praua de exceſs. prælat.* & docet cum Panormitano, & alijs Sylueſter verbo *Epiſcopus n. 8.*

Itaque poſſunt compelli ad Proceſſiones, quas Vniuerſalis Eccleſia præcepit E. G. Litaniarum maiorum, Rogationum, Corporis Chriſti, & ſimils. Item ad Proceſſiones extraordinarias in occurſum Epiſcopi, vel Legati, & ad eas, quæ fiunt occaſione iubilei, & imminenti graui calamitate. Cæterum ſi Epiſcopus alias Proceſſiones indicat nõ neceſſarias, ſeu abſque rationabili, & graui Cauſa, non tenentur Regulares accedere. Ita docent Barboſa de *Iure Eccleſ. lib. 1. cap. 43. n. 159.* cum alijs, quos citat Leonis *in Theſ. for. Eccleſ. p. 1. cap. 8. n. 18.*

An autem poſſint compelli] Regulares accedere ad illas Eccleſias in quibus celebratur Oratio 40. horarum, quando hæc toti Populo indicitur Reſpondent negatiuè Leonis loco citato, & Caſſaine de *priuil. RR. p. 2. trac. 8. cap. 4.* ex declar. S. Rit. Congreg. debent tamen tunc Regulares in proprijs Eccleſijs huiuſmodi orationi vacare DD. citati.

TERTIO QVÆRITVR.

An Regulares poſſint ab Epiſcopo per Cenſuars compelli ad publicas Proceſſiones.

Non eſt quæſtio de alijs Eccleſiaſticis Cleri Secularis, in quos habet Epiſcopus omnimodam Iuriſdictionem; ſed de Regularibus, qui aliàs ſunt exempti à Iuriſdictione Epiſcoporum, & communiter habent priuilegium à Sede Apoſt. nè Ordinarij poſſint contra ipſos procedere per Cenſuras.

Prima Sententia ſuſtinet, poſſe in hoc caſu Regulares ab Epiſcopo compelli, etiam per Cenſuras excommunicationis, ſuſpenſionis &c.

Probatur. Quia in Concil. Triden. *ſeſſ. 25. cap. 13.* conceditur Epiſcopis abſoluta, & indefinita poteſtas compellendi Regulares ad publicas Proceſſiones, nec excluditur modus procedendi per Cenſuras; ergo poſſunt etiam per Cenſuras compellere.

Confirmatur; quia ſic pluries fuit declaratum à S. Congregat. negotijs Epiſc. & Regul. præpoſita apud DD. mox citandos, & ideo hanc Sententiam defendunt Riccius, Zerola, Gratianus, Ciarlinus, & alij, quos citat, & ſequitur Barboſa *de offic. Epiſc. alleg. 78.* & de *Iur. Eccleſ. lib. 1. cap. 43. n. 163.* Addunt tamen; ſi Regulares non obediant, non poſſe Epiſcopos vlterius procedere, ſed recurrendum eſſe ad S. Congreg. ex declaratione eiuſdem.

Secunda ſententia longè probabilior docet, Nequaquam poſſe Regulares per cenſuras compelli.

Probatur, nam quoties Trid. voluit Epiſcopis hanc facultatẽ concedere contra Regulares exemptos; id in ſpecie, & expreſſis verbis declarauit; ſicuti expreſſit citata *ſeſſ. 25. cap. 16.* in caſu dantium, & recipientium aliquod pro ingreſſu nouitiorum, & *ead. ſeſſ. cap. 5.* prò conſeruanda clauſura Monialium, & *ſeſſ. 22. in Decreto de obſeruandis celeb. Miſſæ*: ergo ſignum euidens eſt, vbi Concilium id non expreſſit nolle concedere talem facultatem, ſed non expreſſit in caſu noſtro: ergo &c.

Confirmatur, quia cum hoc Decretum Trid. in Caſu Proceſſionum ſit odioſum contra Regulares; nec habeat clauſulam reuocatoriam priuilegiorum. Strictè interpretari debet, conſequenter extendi non debet ad modum compellendi per Cenſuras; & ideo hanc Sententiam ſuſtinet Henrìquez, Sanchez, Vulpius, Scortia, Peirinis, & alij plures,

quos

quos citat, & ſequitur Lezana *ſum Verbo Proceſſio n.2.* Alios etiam citat, & ſequitur Diana *p. 2. trac. 2. reſol. 76.* Item Caſſainc. *de priuil. RR. p. 2. trac. 8. cap. 4. Propoſ. 7.* vbi hic auctor nonnulla aſſerit non omnino firma, videlicet non teneri Regulares accedere ad Proceſſiones, niſi quando illis aſſiſtat Epiſcopus, non autem eo abſente, & alia quorum Iudicium alijs remitto.

Qualiter autem poſſit Epiſcopus Regulares compellere ad Proceſſiones abſque Cenſuris. Dicendum eſt poſſe compellere præcepto, & inobedientes punire exilio, vel Carcere, vel modis ſimilibus, vide DD. citatos.

Ad argumenta primæ Sententiæ. Reſpondetur ad Primum ex dictis eam facultatem procedendi per Cenſuras contra Regulares, nunquam intelligi conceſſam, niſi in particulari exprimatur cum clauſula reuocatoria priuilegiorum.

Ad confirmationem. Reſpondeo declarationes Sacræ Congreg. non vrgere, niſi de illis conſtat authenticè ex decreto eiuſdem S. Congreg. præſertim in Caſu noſtro, in quo pro vtraque Sententia variæ referuntur abſque authentica.

QVARTO QVÆRITVR.

Vtrum in Eccleſijs Cleri Secularis poſſint celebrari Proceſſiones inconſulto Epiſcopo.

ADuertendum hic eſt, Proceſſiones diſtingui in publicas, & priuatas, ſeu in generales, & particulares. Proceſſiones publicæ ſeu communes, & generales dicuntur illæ, ad quas conueniunt Eccleſiaſtici omnium Eccleſiarum Ciuitatis, & dirigi ſolent per vias publicas: Priuatæ, & particulares dicuntur, quæ fiunt ſeparatim in qualibet Eccleſia, vel in vna tantum, & non in alijs, vt videre eſt apud Lezanam in *Sum. Verbo Proceſſio initio*, & Barboſam *in Sum. Apoſt. Deciſionum Collect.* 205. *num.* 23. apud Caſſainc. de *Priuil. RR. p.* 2. *tract.* 8. *cap.* 4. *Propoſ.* 7. vbi alios citat; hoc poſito.

Reſpondeo, & Dico primo Proceſſiones publicæ, ſeù Communes, & generales non poſſunt fieri inconſulto Epiſcopo, ſeu non niſi authoritate, & iuſſu Epiſcopi, Probatur, quia ad has celebrandas requiritur poteſtas, & iuriſdictio Vniuerſalis ſuper omnes Eccleſiaſticos Ciuitatis, qui ad publicas Proceſſiones conuocari debent; hæc autem poteſtas in ſolo Epiſcopo reſidet, vt diceb amus *q.* 1. & aſſerunt DD. communiter ibi citati, & videri poteſt Barboſa de *Iure Eccleſ. lib.* 1. *cap.* 43. *num.* 161.

Dico Secundo, Proceſſiones priuatæ, ſeù particulares, quæ ſeparatim fiunt in ſingulis Eccleſijs, ſiuè Cathedralibus, ſiuè Collegiatis, vel Parochialibus ex præſcripto Miſſalis, vel Ritualis Romani E. G. in die Purificationis, Palmarum, in triduo Maioris hebdomadæ, & ſimiles, non indigent alia licentia Epiſcopi, Probatur quia facta erectione prædictarum Eccleſiarum cum aſſignatione, ſeù conſtitutione Miniſtrorum, hoc ipſo conceſſa cenſetur eiſdem Miniſtris facultas, imo & impoſita obligatio exercendi Sacras functiones iuxta Ritum, & ordinem in Ritualibus præſcriptum; ergo etiam celebrandi Proceſſiones; ita DD. communiter, & conſtat ex Praxi.

Addit Barboſa in *Sum. Apoſt. Deciſionum collect.* 605. *num.* 15. a Canonicis Cathedralis poſſe fieri Proceſſiones per limites Parochiarum inconſultis Curatis ex quadam declaratione S. Rit. Congreg.

Dixi fieri poſſe Proceſſiones conſuetas ex præſcripto Ritualium &c. quia a Canonicis, & alijs Eccleſiarum Miniſtris non poſſunt introduci nouæ Proceſſiones abſque licentia Epiſcopi, ad quem ſpectat primario cura rerum Spiritualium, & regimen Eccleſiarum, & docet Barboſa *loco citato num.* 10. & 14.

Dico Tertio, Parochi etiam poſſunt facere conſuetas Proceſſiones, vt conſtat ex dictis, ſed intrà limites ſuarum Parochiarum, vltra quas non extenditur eorum facultas; vt pluribus allegatis docet Barboſa de *Officio, & poteſt. Parochi p.* 1. *cap.* 12. *num.* 13. Vbi addit poſſe Parochos prohibere Regularibus, & Confraternitatibus, ne dirigant Proceſſiones per limites ſuarum Parochiarum, ex declarione S. Rit. Congreg. apud apud eundem Barboſam.

Dubium hic emergit circa eaſdem proceſſiones, quæ fiunt à Parochis. An Rector vnius Parochiæ prohibere poſſit Rectori alterius, ne faciat proceſſionem eadem die cum ipſo: ſicut facile poteſt caſus occurrere, infra octauam Corporis Chriſti: ne videlicet in Parochijs vicinis minuatur concurſus populi in alterutra?

Reſp. breuiter negatiue. Probatur. Quilibet Parochus habet ius exercendi ſua munera parochialia, & ſacras functiones in ſua Parochia, inter quas computantur proceſſiones: ergo tentans impedire proceſſionem alterius Parochi attentat bonæ priuare proprio iure: quod eſt contra iuſtitiam.

Confirmatur. Quia nemo poteſt ſe ingerere in ijs, quæ ſunt alterius Parochiæ ex *cap. Nullus alterius*, & cap. *Nullus Primas.* 9. *quæſt.* 2. ſed Parochus prohibens proceſſionem Rectori alterius Parochiæ ſe immiſcet &c. ergo contra ius facit.

Tandem ita deciſum fuit in Rota Romana, apud Buratum *deciſ.* 43. & in Cæſarauguſt. dedicationis 18. *Decembris* 1618. coram Manzanedo.

Rurſus dubitari poteſt, Quid ſi is, qui attentat prohibere, ſit in poſſeſſione faciendi proceſſionem illa die: alter vero, cui fit prohibitio non conſueuerit tunc celebrare proceſſionem.

Reſpondeo, Neque in hoc caſu hunc poſſe impediri a primo: ex eo enim quod vnus Parochus prius inceperit, non fecit derogatum iuri alterius, vt docent Innocentius in *cap. Dilectus. q.* 11. *nu.* 3. Cardinales ibidem, Abbas, Ancharanus cum alijs ibidem.

Neque huic doctrinæ obſtat decretum Trid. *Seſſ.* 13. *cap.* 5. vbi dicitur proceſſiones, in quibus circumfertur Corpus Chriſti debere eſſe cum ſolemnitate,

lemnitate, & frequentia populi: ſi fierent autem duæ proceſſiones eodem tempore minueretur in ſingulis frequentia populi contra intentionem Concilij. Reſpondetur enim, frequentiam populi ſufficienter haberi reſpectiue in ſingulis Parochijs accedêtibus ſingulis ad proceſſionem propriæ Parochiæ,& ideo huic noſtræ ſententiæ adheret. Paſqualigus *Deciſ.moral.deciſ.*477.

Porrò adnitandas huiuſmodi contentiones, merito cautum fuit à S. Rit. Congreg. in Taurinenſi *die* 5.*Maij* 1633.ne eodem die fiant duæ proceſſiones in eodem loco, vt ex Bonfadino refert Barboſa in *ſum. Deciſ. Apoſt. collec.*605.*n.*20.quo circa licet vnus Parochus non poſſit propria auctoritate alium impedire; occurrente caſu recurrendum erit ad Epiſcopum: qui ſtatuet, quod magis expedire iudicauerit. Poſito autem, quod alteruter excludi debeat à proceſſione facienda; præferri debet antiquior, & manuteneri in ſua poſſeſſione, & docet Barboſa loco citato.

QVINTO QVÆRITVR.

An Regulares poſſint facere proceſſiones inconſulto Epiſcopo.

Certum eſt hic primo non poſſe à Regularibus fieri proceſſiones publicas ſeu generales abſque licentia Epiſcopi ex dictis queſtione præcedêti.

Secundo eſt certum poſſe fieri à Regularibus proceſſiones priuatas intra ambitum ſuarum Eccleſiarum ſecundum propria inſtituta, & Regulas à Sede Apoſt. approbatas; quia hac eadem approbatione conceditur illis facultas à Papa exercendi Sacras functiones ſuis regulis præſcriptas, de qua re videri poteſt Lezana ſum.tom.2.cap.1.n.11. Pellizzarius, & communiter fatentur omnes.

Difficultas conſiſtit in eo vtrum à Regularibus poſſint fieri ſuæ particulares proceſſiones extra clauſtra, & extra ambitum ſuarum Eccleſiarum abſque licentia Epiſcopi.

Prima opinio ſubſtinet id eſſe eis licitum per triginta paſſus extra ſuas Eccleſias.

Probatur ex cap. ſicut antiquitus 17. q.4. vbi dicitur Eccleſias potiri priuilegio immunitatis per 30.paſſus circum eas ex quo textu ſic licet argumentari ſpatium 30. paſſuum circum Eccleſias pertinet ad territorium, & ambitum earum, & id circo priuilegium immunitatis,ad dictum ſpatium extenditur: ſed licitum eſt Regularibus proceſſiones facere intra ambitum, & terminos ſuarum Eccleſiarum: ergo etiam eſt illis licitum proceſſiones foras dirigere per 30. paſſus: quamuis enim ſtricte loquendo dicantur exire foras, & extra muros Eccleſiæ; nihilominus non excedunt terminos territorij, & ambitum eiuſdem, iuxta ſignificationem fauorabilem ex dicto priuilegio deductam. Et ideo hanc ſententiam defendit præcipue Graffis *conſil.*20.*de Regul.*& Portel.*in Dub.Reg.verbo proceſſio.*

Quamuis autem DD.communiter hanc ſententiam reijciant; eo quia à diuerſis non fit illatio: nec à priuilegio immunitatis poterat Graffis inferre terminos proceſſionis; nihilominus non videtur inepta, hec improbabilis conſequentia: non enim fit tranſitus ab immunitate,ad proceſſionem immediate, ſed à territorio conceſſo Eccleſijs trahitur conſequentia ad functiones, quæ in eodem territorio exerceri poſſunt. Quare hæc opinio videtur probabilis, poſito quod ante Eccleſias vere ſit prædictum ſpatium liberum triginta paſſuum. Melius Ergo Riccius in *Deciſ.Curiæ Archiepiſ. Neapolitanæ*, quamuis aſſerat ſententiam Graffis non habere locum Neapoli; quia inquit in hac ciuitate, etiam magna monaſteria non habent ſpatium 30.paſſuum circum circa,ſed vndique habent domos iuxta ea; propterea non poſſunt fieri à Regularibus proceſſiones vltra girum ſuarum Eccleſiarũ; Nõ ergo Riccius improbat ſententiã Graffis, neque illationem carpit; ſed dicit non poſſe practicari Neapoli in caſu, de quo erat controuerſia: potius ergo hic auctor fauet relatæ opinioni, ſauet etiam Diana *p.*3. *trac.* 2. *de dub.Reg. reſol.*77. referens,ſententiam Graffis, & non reprobans.

Secunda Sententia Communis, & probabilior docet non poſſe à Regularibus fieri proceſſiones niſi intra ambitum propriarum Eccleſiarum ſtricte ſumptum, & intra clauſtra monaſteriorum: In Eccleſijs vero, ſeu monaſterijs carentibus clauſtris poſſe fieri prope muros Eccleſiæ, hoc eſt exeundo ab vna ianua Eccleſiæ, & intrando per aliam, non ſe elongando à muris Eccleſia.

Probatur quia nemo poteſt exercere iuriſdictionem extra proprium territorium ex *l. vltima ff. de iuriſdic.omnium iudicum* ergo Regulares non poſſunt facere proceſſiones extra clauſtra monaſterij, & extra proprias Eccleſias: probatur conſequentia, quia celebrare proceſſiones erigendo crucem ſub forma, & pompa conſueta eſt actus iuriſdictionis, ex communi ſententia.

Item regulares extra monaſterium nullũ habent territorium: vt probant DD.*in Clem.*2.*de ſtatu monach.* ergo ſi facerent proceſſiones extra monaſterium,exercerent iuriſdictionem extra proprium territorium contra iura. Atque ita pluries determinatum fuit à S.Congreg.Concil.Trid.& Rituum apud DD. citandos, & ideo huius ſententiæ ſunt Barboſa in *ſum.Apoſt. Deciſ. collec.* 605.*& de offic. Epiſcopi. Alleg.* 78. Lezana *ſum. verbo proceſſ. n.*8. citans Zerolam, & Campanile tenent etiam Merolla Theolog.morali *diſp.* 7.*cap.* 5.*dub.* 12. Nouarius *in Lucerna verbo proceſſio n.*25. alijque plures,

Limitatur primo niſi aliqui Regulares ſpeciale priuilegium habeant à Sede Apoſtol.faciendi proceſſiones extra clauſtra, quale habent PP. Dominicani quo ad proceſſiones extra clauſtra per octauam Corporis Chriſti &c.

Limitatur Secundo niſi ratione conſuetudinis à retro decemiannis aliqui ſint inpoſſeſſione faciendi proceſſiones extra ambitum ſuarum Eccleſiarum: tunc enim impediri non poſſunt ab Epiſcopo: vt ex declarationibus S.Congreg.aſſerunt, Tamburinus,Villalobos, Rodriquez, & alij apud Lezanam loco citato, & videri etiam poteſt Diana *p.*3.*trac.*2.*Reſol.*77.

Limita-

Limitatur tertio, niſi de licentia Parochi fiant à Regularibus proceſſiones intra limites eius Parochiæ: tunc enim non requiritur alia licentia Epiſcopi, vt docent Barboſa *de offic. Parochi p. 1. cap. 12. n. 13.* Nouarius loco citato, Donatus in *Praxi Reg. p. 2. trac. 13. q. 81.* cum alijs, quos citant.

SEXTO QVÆRITVR.

An Confraternitates Laicorum, & alij Seculares poſsint facere proceſsiones inconſulto Epiſcopo.

Reſpondeo, & dico primo Confraternitates approbatæ, & earum Cappellani poſſunt facere conſuetas proceſſiones iuxta ſua inſtituta: quia hoc ipſo, quod ſunt approbatæ ab Epiſcopo, cenſentur ab eodem habere licentiam: quæ tamen ſolet eſſe limitata, niſi tunc fiat proceſſio in Parochia intra cuius limites extat Confraternitas. Item niſi fiat proceſſio in Eccleſia matrice, ſeù primaria; ità DD. infra citandi.

Dico ſecundo proceſſiones Confraternitatum non poſſunt extendi extra ambitum ſuarum Eccleſiarum ex declarationibus ſupra cit. S. Congreg. quæſt. præcedenti, quo ad Regulares. Vnde Lezana, *Sum. verbo proceſs. num. 10.* ſic ait *ex declarationibus S. Congreg. conſtat id, quod diximus de Regularibus intelligendum eſſe etiam de proceſſionibus Confraternitatum: de vtriſque enim loquuntur*; Videri etiam poteſt Barboſa *Sum. Apoſt. Deciſionum Collec. 207. verbo Confraternitas num. 26.*

Dico tertio, Seculares non confratres nullam poſſunt facere proceſſionem abſque expreſſa licentia Epiſcopi, ad quem de iure pertinet ſacrarum funtionum cura, & directio; Imo iure etiam ciuili interdictum eſt laicis proceſſiones facere ſine conſenſu Epiſcopi *Authent. de Sanctis Epiſcop. §. omnibus autem laicis*, & notant Leonis in *Theſauro fori Eccleſ. p. 4. cap. 2. num. 14.* & Tuſcus *de Viſit. Eccleſ. cap. 20. num. 40.*

SEPTIMO QVÆRITVR.

Quibus non liceat Sacris proceſsionibus intereſſe, & Quinam ab illis expelli debeant.

Reſpondeo, & dico primo Excommunicati maiori excommunicatione non poſſunt licite intereſſe proceſſionibus, neque cum Eccleſiaſticis in corpore proceſſionum: neque cum Laicis, qui turmatim ſequuntur, eas comitando.

Probatur, quia vnus ex effectibus maioris excommunicationis eſt priuare contumaces diuinis officijs, eoſque à ſacris funtionibus excludere: ergo peccat mortaliter excommunicatus, ſi proceſſioni interſit, contra grauem Eccleſiæ prohibitionem: ſiquidem proceſſiones inter diuina officia computantur, vt fuſius probant DD. *in trac. de Excommunicatione.*

Aduertendum eſt autem eſſe diſcrimen inter excommunicatos. Quidam enim dicuntur non tolerati, ac vitandi; ſi videlicet ſint nominatim excommunicati, & publicè denuntiati; vel publici percurſores Clericorum; & hi nullo modo poſſunt ad proceſſiones admitti, aut illis intereſſe: quinimo ſi aliquis non toleratus defacto præſens ſit, & velit comitari proceſſionem, expelli debent. Quod ſi expelli non poſſit, eo quia eſt vir præpotens; omitti, vel diſſolui debet proceſſio; vt docent communiter auctores *in tract. de excom.*

Alij excommunicati dicuntur tolerati, qui videlicet non ſunt publicè denuntiati: quos alij fideles non tenentur vitare; de quibus aſſerunt communiter DD. in dicto *trac. de excom.* eos peccare mortaliter, ſi ſua ſponte ſe ingerant, & velint intereſſe proceſſionibus; Cæterum ſi interſint inuitati ab alijs fidelibus, & in horum obſequium, non peccant: ſed ab Eccleſia id eis permittitur: ne aliorum priuilegium communicandi libere cum toleratis huiuſmodi, reddatur inane.

Dico ſecundo. Id, quod diximus de excommunicatis, aſſerendum eſt pariter de ſuſpenſis à diuinis officijs: qui etiam eſſe poſſunt, vel tolerati, vel non tolerati; Idemque affirmandum de interdictis perſonaliter, vt fuſius explicant DD. *in tract. de cenſuris*: ad noſtrum enim intentum ſatis eſt hæc pauca attigiſſe.

Dico tertio. Debent etiam expelli à proceſſionibus, qui eas turbant, aut confundunt E.g. clamoribus, contentionibus, ſcandalis; vel quouis modo ſunt cauſæ impedientes ordinem, ritum, vel decorem proceſſionum. Qui ſi moniti non deſiſtant, vel expelli non poſſint; poſſunt ab Epiſcopo, vel legitimo Superiore excommunicationis ſententia feriri, tanquam iniurij contra diuina officia, ſiue ſint Eccleſiaſtici, ſiue laici.

Imo contra Laicos in hoc caſu conſtitutæ ſunt pœnæ iure ciuili *l. ſi quis in hoc genus Authent. Sed nouo iure Cod. de Epiſcop. & Cler.* ita cum alijs docet Fuſius *de Viſit. Eccleſ. cap. 20. num. 39.*

PVN-

PVNCTVM II.

De obligatione indicendi, & celebrandi Proceſſiones. Et de Cauſis ab ea excuſantibus.

PRIMO QVÆRITVR.

An Epiſcopi, vel alij, ad quos pertinet, teneantur quandoque proceſsiones indicere.

RESpondeo, & dico, primo Tenentur Epiſcopi, & alij Rectores Eccleſiarum omnino curare, vt celebrentur proceſſiones ordinariæ ab Eccleſia præſcriptę E.G. in die Purificationis, Palmatum, in diebus Rogationum, &c. & quidem ſub graui obligatione.

Probatur Quia Prælatis, & Eccleſiarum Rectoribus incumbit obligatio regendi ſuas Eccleſias, & conſequenter curandi, ne omittantur functiones ſacræ magni momenti, præſertim publicæ: ne ſubtrahatur Deo debitus cultus: ne minuatur deuotio fidelium, & vtilitas inde illis perueniens; & ne tali omiſſione detur populo occaſio offenſionis, & ſcandali; ſed proceſſiones ordinariæ ab Eccleſia præſcriptæ ſunt functiones publicæ, & magni momenti: ergo earum omiſſio eſſet contra obligationem prædictam, & graue peccatum per ſe loquendo, ita DD. communiter, quos in ſimili citauimus in *Commēt. ad Rubricas Miſſalis p.1. Rubrica proœmiali dub.5. & Tit.16. dub.6. fine*.

Dico Secundo quando conceditur á ſummo Pōtifice Iubilæum duarum hebdomodarum; tenentur Epiſcopi iubileum promulgare, & proceſſiones pro eo lucrando indicere: alias grauiter peccarent. Probatur. Tum quia in literis conceſſionis id præcipitur locorum ordinarijs; Tum quia aliter priuarentur fideles ingenti beneficio illis conceſſo a Sede Apoſtolica.

Quam vis autem celebrari ſoleant plures proceſſiones; ad vitandum tamen peccatum ſufficit vnam fieri. Ita Gobat. *de Iubileo cap.* 59. & Paſqualigus *de Iubil. q.* 360.

Dico Tertio Imminente graui Calamitate peſtis, vel famis, vel belli &c. ſi non ſuppetat magis oportunum remedium auertendi prædicta, & ſimilia mala á populis; tenentur Epiſcopi publicas ſupplicationes indicere; quæ magnam vim habent placandi Deum, & auertendi flagella irati numinis, Probatur, quia in his caſibus maximè vrget præceptum charitatis ſuccurrendi communi bono, & adhibendi media neceſſaria ad Salutem populorum: Præcipue vero vrget ſuperiores, quibus id ex officio incumbit, ſingulis in ordine ſuo; videlicet Epiſcopis quo ad media ſpiritualia; Magiſtratibus autem quo ad media humana, & temporalia: Sed recurſus ad Deum per orationes, & ſupplicationes, eſt medium neceſſarium aduertenda Dei flagella, & cadit ſub præcepto, quando communitas in magno periculo eſt conſtituta: ergo tenentur tunc Epiſcopi ſupplicationes indicere. Ita DD. aſſerentes in prædictis caſibus orationem eſſe neceſſariam, & cadere ſub præcepto, vt videri poteſt apud D. Thomam *in 4. diſt.* 15. *q.* 4. *ar.* 1. apud Leſſium *lib. 2. de Iuſt. cap.* 37. & Suar, *tom. 2. de Reg. lib. 5. cap.* 30. & alios communiter.

Quamuis autem oratio, & ſupplicatio ad Deum poſſit etiam priuatim fieri. Nihilominus communiter fuſæ in publicis proceſſionibus maiorem vim habet, & facilius, ac efficacius exauditur á Deo: & ideo tenētur quandoque Epiſcopi hoc medium adhibere, vt conſtat ex dictis ſect. 1. punc. 7.

An autem tempore peſtis poſſint, & debeant fieri proceſſiones publicæ, non obſtante periculo maioris infectionis ob concurſum multitudinis, dicemus infra *Punc. 3. q. 6.*

SECVNDO QVÆRITVR.

Qualiter facta indictione teneantur Eccleſiaſtici ad proceſsiones conuenire.

REſpondeo, & Dico primo ex Clero Seculari tenentur conuenire omnes vocati, iuxta tenorem edicti Epiſcopalis; Itaque ſi edictum contineat præceptum graue obligans ad peccatum mortale; tenentur ſub mortali. Probatur. Quia Epiſcopus habet ius, & poteſtatem præcipiendi: & ſubditi obligationem obediendi vt ſupra dicebamus *Punct. 1. q. 1.*

Colligitur primo, ſi Epiſcopus præcipiat acceſſum ad proceſſiones ſub grauibus cenſuris latæ Sententiæ, peccare mortaliter non accedentes: quia ſecundum omnes, hic modus præcipiendi imbibit graue, & rigoroſum præceptum, vt probant DD. *in tract. de cænſuris*.

Colligitur Secundo ſi Epiſcopus id præcipiat ſub cenſuris non latæ, ſed ferendæ Sententiæ, ſeu comminatoriæ, probabile eſt non obligari ſubditos ſub peccato mortali ad proceſſiones accedere: quia in hoc caſu excommunicarionis comminatio potius ad terrorem fieri ſolet, quam animo intligendi cenſuram ſine noua monitione, vt cum alijs docet Sanchez *in ſum. lib. 6. cap. 4. n.* 53.

Colligitur Tertio, ſi edicto Epiſcopi ſolum imponatur pœna temporalis e.g. pœna pecuniaria, vel ſimilis contra inobedientes; non obligantur ſubditi accedere ſub peccato mortali, ſed ad ſoluendam pœnam poſt iudicis ſententiam; ex vulgata doctrina Nauarri *in ſum. cap.* 23. quam plures ſequuntur, videlicet legem pœnalem, non obligare ad culpam, ſed ad pœnam: Quia ſuperior imponens pœnam temporalem videtur excludere æternam: nam qui vnum exprimit, & aliud tacet,

videtur

videtur excludere quod tacet, ex *cap. Non ne de præſumpt.* & quia timor pœnæ videtur ſufficiens ad continendos ſubditos in officio ſuo, non iniecto maiori laqueo conſcientiæ.

Dico Secundo quo ad Regulares comprehenſos in edicto indicente proceſſiones. Diſtinguendum eſt inter ſuperiores monaſteriorum, & ſubditos. Atque dicendum ſuperiores peccare mortaliter non mittendo ſubditos ad proceſſiones, quando Epiſcopus iuſtè, & ex graui cauſa eas indicit, & peccaret non indicendo; quia vltra præceptum Epiſcopi ligantur ſuperiores Religionum eadem obligatione cogendi ſubditos ad proceſſiones, qua ligatur Epiſcopus ad eas indicendas, ex dictis præcedenti queſtione.

Deinde Quando imponitur obligatio communitati circa functionem à ſubditis ſimul exercendam e. g. obligatio perſoluendi horas Canonicas in choro &c. qualis eſt hæc obligatio celebrandi proceſſiones, primo, & per ſe ea afficit ſuperiores, & eis incumbit onus curandi, vt impleatur; quia ad caput pertinet dirigere totum corpus: vt nos fuſius probauimus in *Comment ad Rubricas Miſſalis p.1.Tit.3.ſect.1.dub.1.*

Quo ad Regulares ſubditos dicendum eſt, ſi hi renuant conuenire ad proceſſiones abſque legitima cauſa, peccant, vel grauiter ſi ſuperior Regularis graue præceptum imponat, ſin autem venialiter. Item grauiter peccarent, ſi Epiſcopo graui præcepto eos compellerent: directo non ſolum ad communitatem, & ad ſuperiores regulares, ſed etiam ſingulos ſubditos: quia in hoc Epiſcopi habent plenam authoritatem à Concil. Trid. vt ſupra dictum eſt *punc.1.q.2.& 3.*

Dico Tertio tenentur Regulares accedre ad publicas proceſſiones in numero docenti, & conſueto; vt per ſe conſtat, atque ita deciſum fuiſſe à S. Rit. Congreg. referunt Barboſa de *Iure Eccleſ.lib.1. cap.43.n.165.* Nauarius in *lucerna verbo proceſſ.n.3.* Lezana *ſum.eodem verb.n.3.*

Quis autem cenſendus ſit uumerus decens prudenti ſuperiorum arbitrio remtititur; attento numero maiori, vel minori regligioſorum cuius libet conuentus, & rationabili conſuetudine.

Dico Quarto ſi in eadem ciuitate, vbi ſit proceſſio, ſint plures conuentus, ſeu plura monaſteria eiuſdem omnino ordinis, ſatis erit ſi ad eam accedant religioſi in numero decenti ſub eadem Cruce, vel ex omnibus, vel ex aliquibus conuentibus ad arbitrium Prouincialis, qui præeſt omnibus: ita enim ſatisfieri videtur Decreto Trid. ſepius Citato *ſeſſ. 25. cap.13.* niſi ratione conſuetudinis, vel ex præcepto Epiſcopi aliter ſeruari debeat.

TERTIO QVÆRITVR

De Cauſis excuſantibus à prædicta obligatione conueniendi ad proceſſiones.

PLures Cauſæ aſſignantur à DD. quibus excuſantur Eccleſiaſtici ab hac obligatione, quas breuiter aſſeremus.

Prima cauſa eſt inſtitutum aliquorum Regularium viuendi perpetuò ſub ſtrictiori clauſura E. g. Chartuſianorum, & ſimilium, qui in ipſo Decreto ſæpius citato Conclij Trident. eximuntur: maximè enim cupiunt, & curant Summi Pontifices, & Concilia, vt cuiuſque Religionis inſtituta inuiolatè ſeruentur.

Secunda cauſa eſt iugis applicatio ad ſtudia literarum in ordine ad commune bonum, & Eccleſiæ decorem. Vude religioſi illorum conuentuum, quæ collegia nuncupantur, compelli non poſſunt ad proceſſiones ex Bulla Pij V. quæ incipit, & ſi mendicantium, & notat Nauarius *in Lucerna verbo proceſſio nu.15.* Tamburrinus *de Iure Abbatum diſp.78.* & alij.

Tertia cauſa eſt nimia diſtantia monaſteriorum à ciuitate, vbi fieri debet proceſſio. Ne enim præcepta ſint nimis oneroſa; pia Mater Eccleſia excuſare ſolet fideles ab eorum obſeruatione ratione notabilis in commodi: ſicut E.g. excuſantur à præcepto audiendi Miſſam, qui ſunt nimis diſtantes ab Eccleſijs, vbi Miſſæ celebrantur: vt tradunt communiter DD. de hoc præcepto tractantes.

Quanta vero diſtana etixculet; variant DD. quoad præceptum audiendi Miſſam. Quidam enim cenſent tria milliaria eſſe nimiam diſtantiam excuſantem ab obſeruantia talis præcepti. Alij melius aſſerunt id remittendum arbitrio prudentis, conſiderata difficultate viæ; & attentis viribus, & conditione perſonarum: cum nihil ſit in hoc iure determinatum.

Cœterum in uoſtro caſu proceſſionum ceſſat difficultas: quia adeſt ius determinans diſtantiam excuſantem; Antiquitus enim per conſtitutionem Leonis X. in Concilio Lateranenſi decretum fuit, vt Regulares non diſtantes à ciuitate vltra vnum milliare, tenerentur accedere ad proceſſiones: Quæ tamen conſtitutio poſtea moderata fuit à S. Rit. Congreg. ſub die 21. Maij 1601. & ſtatutum fuit Regulares degentes in mouaſterijs diſtantibus a ciuitate, per medium milliare non teneri accedere ad proceſſiones, nec compelli poſſe; & ſic hodie ſeruatur, vt cum Salgado; Riccio, Piaſecio, & alijs notat Nouarius in *Lucerna verb. proceſſio num.17.* & docent Barboſa, Lezana, & alij verb. proceſſio.

Quarta cauſa eſt defectus tituli, vel officij in diœceſi Epiſcopi indicētis proceſſiones: ſicut enim Epiſcopi poſſunt ad eas compellere omnes Clericos habentes beneficium, vel officium aliquod; ita è contra non poſſunt cogere nihil tale habentes: hi enim cum nullum ſentiant commodum in ea diœceſi, æqum eſt, vt non ſubiaceant incommodo: atque ita declaratum fuiſſe à S. Congreg. Concilij 9.

Maij 1597. referunt Barboſa *in ſum. decis. Apoſtol, Collect.* 607 *nu.* 5. cum Sellio, & alijs, & ſubdit *n.6,* nec poſſe compelli Clericos nullius Diœceſis.

Quinta Cauſa eſt conſuetudo legitimè præſcripta non accedendi ad proceſſiones à decem retro annis, ex declaratione S, Congreg. apud Campanile *in diuer. iuris Rub.*10.*cap.*13. & apud Lezanam *ſum. verbo proceſſio num.*3.

Vltima tandem, cauſa eſt periculum damni grauis, quod quis ſubiret ad proceſſionem accedendo: qua ratione excuſantùr infirmi, vel valdè debiles: Item valdè pauperes, qui non poſſunt decenter accedere, ſeu non abſque dedecore: qui habent inimicos eorum vitæ inſidiantes &c. ſicut enim hæc, & ſimilia pericula excuſant à præcepto audiendi ſacrum, alijſque præceptis, ita etiam ab hac obligatione conueniendi ad proceſſiones, vt fuſius explicant DD. de præceptis Eccleſiæ.

Alia cauſa addi hic poſſet, videlicet ſpeciale priuilegium Sedis Apoſt. eximens non nullos ordines Regularium ab onere proceſſionum, de qua mox dicemus quæſtione ſequenti.

IV. QVÆRITVR.

De exemptione à proceſsionibus, ex ſpeciali priuilegio Sedis Apoſt.

AD maiorem intelligentiam huius quæſtionis prænotanda eſt diſtinctio ſtatus religioſi in Clericalem, & Monachalem, cui accedit ſtatus fratrum mendicantium, & ſimilium.

Siquidem ſtatus religioſus clericorum ex vi ſui ordinis, & inſtituti altiorem, & diuiniorem finem ordinatur, videlicet ad maieſtatem, & pompam exquiſitam diuini cultus: ad Myniſteria ſupremæ Religionis Catholicæ, ac functiones hierarchicas, & Sacerdotales in ſalutem animarum. Cuiuſmodi ſunt adminiſtratio Sacramentorum, prædicatio verbi diuini, defenſio fidei contra hæreticos &c. Vnde ſui ſtatus proprie, experſe requirit aſcenſum ad gradus Sacramenti ordinis, qui idcirco ordines clericales dicuntur, & principaliter reſpicit commune bonum. E contra ſtatus Monacorum, vel Fratrum ex vi ſui inſtituti, & per ſe ordinatur ad proprium cuiuſque Religioſi profectum, & ſalutem, per ſilentium ſcilicet, & quietem, per recluſionem in proprijs cellulis, per orationem mentalem &c. Neque hic ſtatus propriè exigit promotionem religioſorum ad ordines Sacramentales, vt habetur in *Decr.* 16. *q.*1. & docet D. Thomas 22. *q.* 189. *ar.* 9. *ad* 2. Quamuis autem non repugnet hunc ſtatum monachalem, extendi etiam ad fines prædictos ſtatus Clericalis, & ad Salutem proximorum; non extenditur tamen propriè, & per ſe, ſed minus propriè, per adiunctum.

Differunt etiam prædicti duo ſtatus in habitus: Etenim clericorum habitus magis ſimplex eſt, niger, & requirit biretum in crucem formatum; monachi verò ſuo peculiari vtuntur cum cuculla; de quibus differentijs fuſè agit Suarez *tom.* 4. *de Relig. lib.* 1. *de varietate Relig. cap.*7. & Lezana *ſum. tom.* 2. *cap.* 3. cum alijs his prænotatis.

Reſpondeo, & dico primo Religiones Clericorum Reg. ferè omnes potiuntur ſpeciali priuilegio Sedis Apoſt. exemptionis à publicis proceſſionibus. Ratio aſſignari poteſt: quia ſtatus eorum magis accedit ad ſtatum religioſum, quem profeſſi ſunt Apoſtoli cum Petro totius Eccleſiæ capite, & ideo à Petri Succeſſoribus ante omnes diliguntur, & cari habentur, atque amplioribus priuilegijs dictantur, & præſertim hac exemtione à proceſſionibus.

Deinde aſſignari poteſt tanquam cauſa impulſiua remotio, & euitatio contentionum quo ad præcedentiam: quia ex vna parte Religioſi ſtatum clericalem profitentes ex hoc capite deberent præcedere monachos, tanquam veri clerici, ſicut eos præcedunt Clerici ſeculares ex vi ſtatus Clericalis; ex altera verò parte ratione antiquitatis præcedentia deberetur Monachis longe ante inſtitutis, Quamuis enim Cleric. Regulares originem ducant ab Apoſtolis continuata quadam ſerie, vt probant Suar. loco citato, & noſter Caraciolus in ſua ſynopſi initio; nihilominus quo ad nouas inſtaurationes ſunt poſteriores monachis: ne ergo daretur cauſa litibus, & altercationibus; melius viſum fuit clericos religioſos a proceſſionibus eximere,

In primis vero hoc priuilegium conceſſum fuit Clericis Reg. qui theathini appellantur, & veniunt ſimpliciter nomine Cler. Reg.

Quia Beatus Caetanus Thiæneus eorum fundator primus, & ante omnes alios, priſtinam illam Apoſtolicam viuendi formam ex integro redditam ſuis alumnis ſeruandam exibuit, & ab eo acceptam Clerici Regulares Sanctè, pièque colunt, ſicuti inter alios teſtatur Baronius in *annotat. ad Martyrolog. Romanum ſub diè* 29. *Iunij.*

Porrò de hoc priuilegio nobis cler. Reg. conceſſo mentionem faciunt Barboſa in *ſum. Deciſ. Apoſt. verbo Cler. Regulares Theatini Collec.* 164. *n.* 5. Lezana *ſum. tom.* 2. *cap.*4. *n.* 19. Peregrinus *in compend. Priuil. verbo proceſſio* alijque. De ſimili etiam priuilegio alijs Religionibus conceſſo tractant etiam citati DD. præſertim Barboſa de *Iure Eccleſ. lib.*1. *cap.*43. *n.*17. ad quem remittimus lectorem, ne iuſto prolixiores ſimus.

Dico Secundo hoc priuilegium eximens ab onere proceſſionum nonnullos Regul. ordines non extendi per viam communicationis ad alios ordines, quibus in ſpecie, & directè non eſt conceſſum. Talis enim fuit mens, & intentio concedentium, vt conſtat ex conſuetudine, quæ eſt optima legum inter preſ. & quia alias valde extenuarentur publicæ proceſſiones deficientibus. In eis ferè omnibus Regularibus: cum omnes gaudeant communicatione prædicta, de qua re videri poteſt Caſſainc. *de Priuileg. Reg. p.*2. *trac.*8. *cap.*4. *Propoſ.*7.

QVINTO QVÆRITVR.

An Regulares exempti à publicis proceſsionibus teneantur eas celebrare in ſuis Eccleſijs.

EXempli gratia in litanijs maioribus, in diebus Rogationum &c.

Reſpondeo. Standum eſſe in hoc Regulis, & conſtitutionibus, ac conſuetudinibus cuiuſque Religionis: quæ ſi obligent ſub culpa graui, ita etiam tenentur religioſi proceſſiones celebrare: Si vero præſcribantur ex conſilio, & decentia, non peccant grauiter eas omittendo. Ratio eſt: quia ad huiuſmodi functiones non obligantur Regulares, niſi ex vi ſuarum Regularum. Vt in ſimili nos diximus de obligatione cantandi Miſſas &c. *in Rubric. Miſſalis p. 2. Tit. 3. Dub.* 4. cum DD. ibi citatis. Solent autem aliqui Regulares in exemplis poſitis cantare litanias in Choro abſque proceſſionibus.

Dubium hic emergit. Vtrum qui non interſunt publicis proceſſionibus, ſiue Regulares ſiue clerici ſeculares, teneantur ſub peccato mortali recitare priuatim litanias in die S. Marci, & in diebus Rogationum.

Ratio dubitandi eſt; quia tum in Miſſali, tum in Breuiario Romano præſcribitur, vt qui non interſunt proceſſionibus, dicant litanias priuatim.

Prima Opinio ſuſtinet non teneri ſub peccato, nec etiam eos, qui ratione ordinis ſacri; vel beneficij obligantur ad diuinum officium.

Probatur primo. Quia non ſatis conſtat de hac obligatione; quamuis enim præſcribantur litaniæ, vt dicebamus, in Breuiario, priuatim dicendæ; ea tamen verba non exprimunt præceptum: quod aſſerendum non eſt, niſi de eo conſtet, vt alibi diximus.

Probatur Secundo. Litaniæ prædictæ non ſunt partes diuini officij, neque cum eo habent connexionem, qualem potius habent cum ſeptem pſalmis pœnitentialibus: ergo ex eo, quod teneatur quis recitare diuinum officium, non ſequitur obligari recitare litanias. Et ideo huius Sententiæ ſunt Carolus Macignus, Vaſquez; Molfeſius apud Dianam *p.2. trac.* 12. *reſol.* 42. & ſequitur Homobonus apud eundem Dianam *p.4. trac. 4. reſul* 226. & dicit probabilem ipſe Diana.

Secunda opinio communis, cui tanquam probabiliori adhæreo, docet, eos, qui non interſunt proceſſionibus, teneri ſub mortali recitare priuatim litanias.

Probatur, quia eodem modo ab Eccleſia præſcribuntur, ac diuinum officium: ſiue litaniæ dicantur tunc partes diuini officij, ſiue preces diſtinctæ. Sicut etiam præſcribitur officium Defunctorum 2. die Nouembris. Ita Suarez; Bonacina, Tannerus, Caſtro Palao, quos citat, & ſequitur Lezana *ſum. verbo Litania n.* 7. tenet etiam Buſembaum citans Filliucium, & alios *lib. 4. cap. 2. art. 4. dub.* 2.

Ad Argumentum primæ Sentent. Reſp. verbum imperatiuum, dicat, ſæpe importare præceptum: in caſu autem noſtro ex communiori ſenſu DD. ita accipiendum eſt hinc; colligitur eos qui in proceſſionibus confabulantur, ita vt ad litanias non attendant, peccare mortaliter; niſi eas priuatim dicant, ita cum alijs Bonacina *de Horis canon. diſp. 1. q. 3. punc. 1. n.* 14.

Secundo dubitatur. An qui priuatim dicunt litanias ad ſatisfaciendum prædictæ obligationi; poſſint illas recitare veſpere præcedentis diei.

Reſpondeo poſſe, quia in rubricis præſcribitur, litanias priuatas dicendas eſſe, poſt laudes: ergo ſicut matutinum cum laudibus dici poteſt poſt veſperas &c. antecedentis diei, ita etiam dici poſſunt litaniæ, & docet Gauantus in. *Rubr. Breu. ſect. 6. cap. 16. fine.*

SEXTO QVÆRITVR.

An volentes lucrari iubilæum duarum hebdomadarum, teneantur intereſſe proceſsionibus indictis ab Epiſcopo ea de cauſa.

ESt autem quæſtio de ſecularibus, qui alias non obligantur proceſſionibus intereſſe, quando alia de cauſa indicuntur.

Ratio dubitandi eſt quia, vt ſupra dicebamus, Epiſcopi tenentur ratione Iubilæi proceſſiones indicere, vt inuitentur omnes ad illud lucrandum: ergo qui volunt illud lucrari, videntur teneri ad proceſſiones huiuſmodi conuenire: alias non eſſent neceſſariæ proceſſiones.

Reſpondeo nihilominus ad lucrandum iubilæum non eſſe neceſſarium intereſſe proceſſionibus. Probatur quia ſummus Pontifex id non exigit abſolutè, ſed diſiunctiuè ad iubilæum lucrandum. Videlicet; vel conuenire cum alijs ad proceſſiones, vel vnam ex Eccleſijs deſignatis viſitare: ergo relinquitur arbitrio cuiusque alterutram partem eligere: iuxta Regulam in alternatiuis de *Reg. iuris in* 6. Ita docent Nauar. de *oratione Miſcell.* 60. Graſſis *p. 1 deciſ. lib. 4. cap.* 15. Fauſtus *de Iubil. q.* 5. Paſqualigus *de Iubil. q.* 360. & alij communiter.

Ad Rationem dubitandi Reſpondetur. Teneri epiſcopos proceſſiones indicere ad ſatisfaciendum mandato Summi Pontificis, vt magis excitentur fideles ad iubilæum lucrandum, & ſupplicandum Deo iuxta mentem eiuſdem Summi Pontificis; Item vt poſſint fideles iubilæum conſequi altero ex duobus modis ſupra explicatis: non quia intereſſe proceſſionibus ſit abſolutè neceſſarium in eum finem. ex quibus.

Colligitur primo. Eos, qui eligunt conſequi iubilæum aſſociando proceſſionem ad Eccleſiam deſignatam; non teneri poſtea viſitare priuatim

aliam Eccleſiam ex determinatis ab Ordinario: quia ſatisfaciunt huic operi iniuncto aſſociando proceſſionem DD. citati.

Colligitur Secundo ad lucrandum Iubilæum, non ſatis eſſe comitari proceſſionem materialiter, e.g. curioſitatis gratia, vel in obſequium domini, aut amici alicuius abſque animo orandi: ſed opus eſſe eam comitari formaliter, quatenus eſt functio Sacra, & ſupplicatiua Dei: atque adeo eſt neceſſaria intentio ſupplicandi Deo iuxta mentem Summi Pontificis. Item eſſe neceſſarium, vt quiſque ſe gerat exterius in ſpeciem orantis, & Deo ſupplicantis cum alijs, ſaltem intra Eccleſiam, ad quam proceſſio dirigitur; alias non impleretur opus iniunctum qui ad hanc partem iniungitur enim proceſſio, vt opus pium. Sicut non ſatisfaceret præcepto diuini officij, qui abſque animo orandi legeret pſalmos, ita Paſqualigus loco citato cum alijs DD. & Gobat *de Iubileo cap.* 19.

Colligitur Tertio eos, qui proceſſionem aſſociant formaliter modo explicato, non teneri fundere alias orationes; neque in progreſſu, neque in Eccleſia, ad quam proceſſio dirigitur: ſed ſatisfacere operi iniuncto illis precibus, quæ in proceſſione recitantur nomine communi: & ſatiſfaciunt etiam illi, qui non cantant, aut non recitant cum alijs; quia deuotè aſſociantes proceſſionem, communicant in eadem communi oratione ita Fauſtus, Gobat, Paſqualigus citatis locis.

Colligitur Quarto ad lucrandum Iubilæum ſatis eſſe vni ex proceſſionibus intereſſe; quamuis plures celebrentur. Sicut ſufficit ſemel viſitare extra proceſſionum aliquam ex deſignatis Eccleſijs, vt conſtat ex tenore conceſſionis, & docent citati DD. in præcedenti coroll.

PVNCTVM TERTIVM.

De Circumſtantijs proceſsionum videlicet de loco, modo, tempore, &c. Proceſsionum celebrandarum.

NVmerantur communiter à Theologis ſeptem Circumſtantiæ operis, quod exercetur, comprehenſæ illo verſu,

Quis, quid, vbi, quibus auxilijs, cur, quomodo, quando.

Diſcurendum eſt ergo per ſingulas, quatenus pertinent ad noſtrum intentum.

PRIMA CIRCVMSTANTIA

Quis.

HÆc circumſtantia denotat conditiones operantis, quo circa.

QVÆRITVR.

An Proceſsiones Fœminarum ſint licitæ, & permittendæ.

RAtio dubitandi eſt, quia à Fœminis duo præſertim obſeruari debent, ne incidant in laqueum diaboli: Videlicet primo ſecretum verecundiæ, ad quod pertinet fuga publicorum congreſſuum; Secundo, ſilentium. De hoc ait Apoſt. 1. *Corinth.* 14. *Mulieres in Eccleſijs taceant: turpe eſt enim mulieri loqui in Eccleſia.* De ſecreto vero, & ſolitario conuictu Fœminarum tractant Expoſitores *in cap.* 8. *Iudith.* quæ maxime commendatur: ex eo, quod fecit ſibi ſecretum cubiculum in ſuperioribus domus ſuæ, in quo cum ſuis puellis clauſa morabatur. D. etiam Ambroſius *lib.* 2. *in Lucam*, exemplo Sanctiſſimæ Virginis MARIÆ, ſic hortatur mulieres. *Diſcant*, inquit, *mulieres propoſitum pudoris imitari: MARIA ſola in penetrabilibus, quam nemo virorum videret; ſolus Angelus reperiret.* Et infra. *Diſcite Virgines non demorari in plateis, non aliquos in publico miſcere ſermones &c.* D. Hieronymus *in Epiſt. ad Euſtochiam*, *Rarus*, inquit, *ſit egreſſus in publicum: Martyres tibi quærantur in cubiculo tuo &c.* vbi ex cauſa tantum neceſſaria egreſſum è domo concedit. Legi etiam poteſt Nazianzenus, *de laudibus Gorgoniæ*; cum alijs PP. ergo eſt omnino alienum à ſtatu honeſtarum mulierum proceſſiones facere; & omnium conſpectibus ſe afferre in publico, & publicè canere contra monitum Apoſtoli loco citato.

Inſuper non videntur permittendæ huiuſmodi proceſſiones ex mulieribus compoſitæ; quia vt ſupra dicebamus *Sect.* 1. *Punc.* 12. *de Proceſſionum ab vſibus*;

ab vſibus: Aſpectus Fœminarum ſunt nimis periculoſi: facta vero conceſſione proceſſionum muliebrium, auidè concurrent ad hoc ſpectaculum multitudo virorum, & iuuenum, & non leuis daretur eis occaſio peccandi: ergo &c.

Reſpondeo, & dico primo. Per ſe loquendo Proceſſiones Fœminarum non ſunt illicitæ: atque adeo ex cauſa rationabili permitti poſſunt, imò, & concedi eis poteſt. Licentia ab Epiſcopis, ad quos pertinet proceſſionum cura, quatenus ſunt functiones ſacræ.

Probatur primo. Tum quia proceſſiones huiuſmodi nullo iure ſunt vetitæ: Tum quia cum ſint inſtitutæ in cultum Dei, & ad impetranda eius dona, & auxilia; quo magis perſonæ, ex quibus componuntur, ſunt piæ, & deuotæ; eo ſunt magis aptæ ad prædictos fines; & conſequenter proceſſiones ſunt ſanctiores: Sed mulieres ſolent eſſe magis piæ, & deuotæ: quàm viri: vnde Eccleſia canit; *intercede pro deuoto Fœmineo ſexu*. Ergo, &c.

Probatur ſecundo, ab exemplis. Etenim Sanctus Gregorius Magnus in celebri illa ſeptiformi proceſſione, de qua ſupra meminimus, *ſect. 1. punc. 5.* ordinauit Proceſſiones Mulierum, in varias turmas debito cum ordine procedentium, ſegregatin tamen à viris, ad ſupplicandum Deo, & ad impetrandam peſtis auerſionem. Item Romæ in anno Sancto Iubilei pleniſsimi fiunt Fœminarum Proceſsiones ad quatuor Eccleſias abſque virorum interuentu. Tandem tum Romæ, tum alibi fieri ſolent Proceſsiones puellarum in varias ſpecies SS. Virginum, & Martyrum comparentiam, quæ Proceſsiones, vt piæ commendari ſolent. Cur ergo non erit licitum Epiſcopis in ſuis Diœceſibus dare licentiam ſimilem, quam Summi Pontifices Romæ concedunt?

Probatur tertio. Quia Sanctimoniales in ſuis Monaſterijs, & Eccleſijs publicè canunt diuinum officium in choro; & ſuas celebrant Proceſsiones: nec cenſentur facere contra monitum Apoſtoli prohibentis Mulieribus, loqui, vel canere in Eccleſijs: ergo etiam Fœminæ ſæculares poſſunt facere Proceſsiones, vel intra Eccleſias, vel procedendo ex vna in aliam Eccleſiam per vias publicas: cum non obligentur ad Clauſuram monialium.

Confirmatur, quia laudabiliter Mulieres ſequuntur poſt Clerum, & comitantur publicas Proceſsiones conſuetas, præceſque recitant in vijs publicis. Item in Eccleſijs publicis alta voce recitant Roſarium: ergo poſſunt etiam facere publicas Proceſſiones, & ſacras præces recitare.

Ad Rationem dubitandi initio poſitam. Reſpondetur eſſe indecens, & damnabile fœminas demorari in plateis, & per vias publicas circumuerſare abſque iuſta, & rationabili cauſa: Cœterum ob neceſſitatem, vel decentem vtilitatem id non eſſe illicitum: manere autem perpetuò domi clauſas &c. pertinet ad conſilium, & ſtudium perfectionis.

Ad locum Apoſtoli interdicentis mulieribus loqui in Eccleſijs. Reſpondetur Apoſtolum loqui de vanis mulierum colloquijs, de rebus impertinentibus in Eccleſijs, in quibus orandum eſt; non autem vetare, eas canere inter fœminas præces approbatas, vt dicebamus de Roſario, & ex directione Superiorum, & Rectorum cuiuſque Eccleſiæ.

Item intelligitur Apoſt. de locutione, quæ fit veluti diſputando de rebus fidei, vel quæſtionibus conſcientiæ, ne ſibi vſurpent munus doctorum: ſubdit enim, vt potius domi maritos interrogent, vt videri poteſt apud expoſitores D. Pauli: quare monitum Apoſtoli non obſtat noſtræ Concluſioni.

De periculo autem Scandali dicemus in ſequenti concluſ.

Dico Secundo. Per accidens poſſunt eſſe illicitæ; & non permittendæ huiuſmodi fœminarum proceſſiones: quando rationabiliter timetur inde ſecuturum graue ſcandalum: ſeu dandam eſſe grauem peccandi occaſionem: quia lege charitatis tenentur omnes, & in primis Prælati, & Superiores, talem occaſionem remouere: vt docent communiter DD. *in trac. de Scandalo*. Exempli gratia, ſi certo conſtet, vel ſit notabilis ſuſpitio tàles virgines, vel fœminas turpiter amari à quibuſdam inſolentibus, & occaſione Proceſſionis, eos excitandos ad verba turpia, & ſimiles actus, vel ad deſideria inhoneſta; Tunc vel omittenda eſt proceſſio, ſi fieri poteſt abſque notabili incommodo; vel domi retinendæ illas, ex quibus timetur periculum. Dicetis non peccant mulieres ſe ornantes more patriæ, & publicè incedentes abſque prauo fine; etiam ſi præuideant ab aliquo turpiter amandas: quia non tenentur ſe priuare ſua libertate; & domi clauſas manere ob aliorum malitiam; quorum ſcandalum eſt mere paſſiuum, & phariſaicum, quod non tenemur vitare, vt communiter docent: ergo ob ſimile Scandalum in caſu noſtro non adeſt obligatio, vel omittendi proceſſionem: vel excludendi ab ea Virgines illas, quæ ex ſe non dant cauſam Scandali, ſed ex aliorum malitia ſequitur.

Reſpondetur hanc doctrinam eſſe veram, quando damnum, quod patitur mulier innocens, eſt notabile, vt in caſu poſito eſt priuatio libertatis per longum tempus: Cœterum quando Scandalum creditur certò ſequuturum, & poteſt commodè vitari, tunc charitas obligat ad illud vitandum in caſu autem noſtro poteſt commodè vitari: vt ſupponimus, quia ex omiſſione Proceſſionis, vel excluſione aliquarum non ſequitur graue incommodum; videri poteſt Sanchez alios citans *ſum. lib. 1. cap. 6. n. 17.* Dixi ſi mulier innocens damnum pateretur &c. quia ſi eſſet vana, & præbens ex parte ſua occaſionem peccandi, tunc abſolutè, & omninò excludenda foret.

∴

SECVN-

SECVNDA CIRCVMSTANTIA.

Quid.

HÆc circumſtantia denotat conditionem operis, quod exercetur, & in caſu noſtro conditionem ſacræ Proceſſionis, quæ eſſentialiter, eſt vocalis oratio, & publica ſupplicatio ad Deum, item ſolemnis, & valdè vtilis, oratio autem vocalis, vt notum eſt conſtat ex Sacris precibus ore, ſeu voce prolatis: vnde inquirendum occurrit, An, & qualis ſit obligatio recitandi, vel cantandi præces in Proceſſionibus ideo.

QVÆRITVR,

An Eccleſiaſtici ad Proceſſionem Conuenientes teneantur recitare, vel canere Sacras præces.

REſpondeo, & Dico primo, quando proceſſio eſt de præcepto iuxta ſupra dicta *punc.* 2. *q.* 1. & 2, tunc eſt etiam obligatio grauis cantandi in ea diuinas præces; quia ſine præcibus non conſiſtit vera proceſſio, quæ vt dicebamus eſt eſſentialiter ſupplicatio ad Deum; Hæc tamen obligatio per ſe, & directè afficit communitatem, ſeu cœtum Eccleſiaſticorum in communi; in primis non eos, qui præſident proceſſioni, & eam dirigunt, vt curam adhibeant; ne prætermittantur debitæ præces; cœterum non ita afficit ſingulos in particulari, vt peccati mortalis damnari debeant illi, qui ob pigritiam, vel ſimilem cauſam ſilent alijs canentibus, & ſatisfacientibus prædictæ obligationi, ita vt ſaluetur ratio veræ proceſſionis.

Probatur. Obligatio prædicto modo explicata ſufficit, vt ſatisfiat quoad ſubſtantiam præcepti celebrandi proceſſionem, & eſt magis accommodata imbecillitati humanæ, ne nimis arctentur conſientia ſubditorum: ergo ſic debet intelligi.

Confirmatur à pari: quia obligatio canendi in choro diuinum officium eodem modo interpretatur à DD. vt non peccent grauiter ſubditi non canentes, canentibus alijs in numero ſufficienti, & modo non omittatur diuinum officium publicum. Et quidem quod regulares, qui mitius obligantur ad chorum, eſt communis Sententia DD. Quoad Sacerdotes verò Sæculares, & alios clericos ad chorum deputatos, docent etiam probabiliter nonnulli auctores. Caetanus, Nauarrus, Valentia, & alij, quos citat, & ſequitur Macignus de *hor. can. cap.* 56. *n.* 34. ergo etiam obligatio canendi in Proceſſionibus, quæ mitior eſt, ſic interpretanda eſt: cum hac tamen differentia, quod non canentes in choro diuinum officium, tenentur priuatim illud recitare, ratione obligationis perſonalis, quæ afficit ſingulos, conſtitutos in ordine Sacro quoad recitationem abſolutè: qui autem ſilent in proceſſione, non tenentur priuatim aliquid recitare: quia obligatio canendi incumbit communitati, & non deſcendit ad ſingulos, vt dicebamus.

Colligitur primo, eos, qui non canunt Sacras præces in proceſſionibus, tunc ſolum peccare mortaliter, quando non ſunt alij, qui in numero ſufficienti communi obligationi ſatisfaciant, & omnino omittuntur præces: quia perinde eſt ac ſi non celebraretur proceſſio: atque adeo violaretur præceptum, quod afficit ſingulos, per quos ſtat, ne obſeruetur.

Colligitur Secundo Prędictam obligationem communitati impoſitam, principaliter afficere cœtum cleri ſæcularis Eccleſiæ cathedralis, & deinde alios Eccleſiarũ Collegiatarum, poſtremo vero Regulares: quia in clero ſeculari conſiſtit principalis, & dignior pars proceſſionis publicæ, & eius directio ad eum pertinet, vide Lezanam *ſum. verbo proceſſio n.* 3.

Dico ſecundo, Quoad præces in particulari in proceſſionibus recitandas, ſeruandum eſt id, quod præſcribitur in Rituali Romano Pauli V. atque adeo cantari debent Litaniæ, Pſalmi, Antiphonæ &c. in eo præſcriptæ. Quod ſi longior ſit proceſſio; illis finitis non debet omitti cantus; ſed debent repeti eædem præces, vel recitari alij pſalmi ex Breuiario ſingulis proceſſionibus accomodati: ſicuti habetur, *in Rubricis eiuſdem Ritualis, ſub tit. de proceſſione Litaniarum maiorum.*

Probatur, Tum quia in omnibus ſacris functionibus debent obſeruari Ritus ibi præſcripti, vt conſtat ex Bulla initio eiuſdem Ritualis appoſita. Tum quia proceſſiones publicæ nomine totius Eccleſiæ celebrantur: ergo non eſt recedendum à præcibus ab ipſa Eccleſia præſcriptis: vel ſaltem ab Epiſcopis approbatis.

Dico tertio, In eiſdem præcibus recitandis requiritur primo intentio orandi: quia alias materialis pronuntiatio abſque eo animo, non eſſet actus humanus veræ orationis, neque actus pius, & religioſus: vt docent communiter auctores de oratione. Secundo requiritur aliqua attentio ſaltem externa ad verba ſacra, vt deuotè pronuntientur in ſpeciem externam orantis: vnde voluntaria mentis diſtractio, & euagatio non inducit in caſu noſtro peccatum mortale, ſed ſolum veniale.

Probatur, Quia ſecundum probabilem multorum DD. ſententiam etiam ad ſatisfaciendum obligationi diuini officij ſeptem horarum, ſufficit attentio prædicta externa abſque interna, ad vitandum peccatum mortale: vt nos diximus in *Comment. ad Rubricas Miſſalis p.* 1. *tit.* 16. *Dub.* 5. ergo à fortiori ſufficit ad ſatisfaciendum obligationi præ cum in proceſſionibus, quæ mitior eſt, & ſolum eſt neceſſaria, quatenus requiritur ad eſſentiam proceſſionis, vt ſit actio pia, & religioſa in externa ſpecie, & vt verificari poſſit, verè celebratam eſſe proceſſionem.

Quod autem voluntaria diſtractio inducat peccatum veniale, docent omnes DD. Poſito enim, quod quis velit orare, & loqui cum Deo; iure naturali tenetur id facere cum debita reuerentia, & appli-

applicatione mentis ad Deum : quare voluntaria diſtractio eſt contra reuerentiam Deo tunc debitam,& peccatum veniale, vt loco citato fuſius nos explicauimus .

TERTIA CIRCVMSTANTIA.

Vbi .

HÆc circumſtantia in caſu noſtro denotat locum,a quo incipere debet proceſſio, & ad quem terminari, vnde .

QVÆRITVR.

De locali termino à quo, & ad quem Sacrarum proceſſionum.

PRoceſſio, vt alias diximus eſt religioſa profectio, è loco ſacro in ſacrum præcum concipiendarum gratia ; videndum eſt ergo à quo loco ſacro incipere debet, & ad quem terminari.

Reſpondeo, & Dico primo. Quando celebrandæ ſunt proceſſiones generales Eccleſiaſtici omnes, quibus celebratio indicitur, conuenire debent, communiter loquendo, ad Cathedralem, vel maiorem Eccleſiam,& inde ſumi debet initium proceſſionis, niſi aliud Epiſcopo videatur. Ita enim ſtatuitur in *cap. quoniam diſt.*38. & docent Bellettus *Diſquiſ. Cher. Tit. de fauor. cler. real.* §.2. *num.*6. Serafinus *p.*1. *Deciſ.*15. Cauantus *in Enchir. verbo proceſſio num.*15. vbi addit teneri Eccleſiaſticos eodem ordine ad eandem Eccleſiam maiorem redire : niſi Epiſcopus permittat diſſolui proceſſionem in Eccleſia, ad quam itur.

Dico ſecundo, Circa terminum ad quem, ſeu Eccleſiam,ad quam dirigi, & perduci debet proceſſio ; Standum eſt determinationi Epiſcopi : ſicut etiam quoad viam, qua pergendum eſt, & per quam dirigenda eſt proceſſio: id enim totum pendet ex libito, & arbitrio Epiſcopi priuatiuè quoad alios: ita enim deciſum fuiſſe à S.Rit. Congreg. referunt Barboſa in *Sum. Apoſt. Deciſ. Collec.* 605. *ſeu verbo proceſſio num.*1. *& ſequent.* Laureto de Franchis *in Bullam Greg. XIII*, Bellettus loco citato Lezana *Sum. verbo proceſſio*, Riccius in *Praxi Reſol. p.*1. *Reſol.*308. & alij.

Dubitant hic aliqui, an mandare poſſit Epiſcopus, vt perducatur proceſſio ad aliquam Eccleſiam Regularium inuito illius Prælato regulari: vt ibi præces conſuetæ perſoluantur? Hoc dubium examinat Diana. *p.*9. *trac.*6. *reſ.*48.

Prima opinio Negat.1. quia hic videtur actus iuriſdictionis, qui exerceri non poteſt in alieno territorio, quale eſt Eccleſia regularium exempta à iuriſdictione Epiſcopi. Hanc defendit Donatus in *Praxi Regul. tom.*1. *tract.*13.*quæſt.*80. citans per ſe Henriquez *lib.*7. *de indulg. cap.*26. & Portelium *de Regul. Verbo proceſſio num.*10. Tamburinus, & alij apud Dianam.

Secunda opinio. Affirmat eo, quia poſſunt Epiſcopi in Eccleſijs Regularium Pontificalia exercere, etiam inuitis ipſis Prælatis Regularibus, & videtur communis DD.ſententia, vt videri poteſt apud Lezanam *in ſum. verbo Epiſcopus num.*22. hanc tenent Bordonus, Lezana, & alij apud Dianam loco citato.

Mihi diſtinguendum videtur : Vel enim Epiſcopus interuenit proceſſioni, & perſonaliter adeſt ; & in hoc caſu tenenda eſt ſecunda opinio ob rationem, quam adducit:vel non adeſt perſonaliter: & tunc probabilior videtur prima opinio.

Dico tertio, Abſente Epiſcopo pertinet ad Vicarium generalem dirigere proceſſiones circa terminum à quo, & ad quem, item circa viam tenendam &c. quia ſuccedit in locum Epiſcopi, atque ita ſæpius deciſum fuiſſe à S.Rit. Congreg. refert Barboſa loco ſupra citato cum Armendar. & alijs, idemque docet Lezana ſupracitatus. Tandem in defectum Epiſcopi, & Vicarij Generalis, proceſſiones dirigere pertinet ad eos, qui in eorum locum ſuccedunt iuxta ſuperius dicta *punc.*1. *quæſt.*7.

Ad quæ autem loca,& qua via poſſint ſuas particulares proceſſiones dirigere Canonici Cathedralis, item Parochi, & Regulares diximus ſupra *Punc.*1. *quæſt.*4. & 5.

QVARTA CIRCVMSTANTIA.

Quibus auxilijs .

AVxilia, quibus indigemus ad ritè celebrandas proceſſiones, ſunt in primis gratiæ ſupernaturales à Deo impetrandæ : poſitis autem diuinis auxilijs, requiritur ex parte noſtra, vt impleamus conditiones exigitas ad dignam, deuotamque proceſſionem, ſeu ſupplicationem, de quibus breuiter agendum eſt. Ideo.

QVÆRITVR.

De Diuinis auxilijs neceſſarijs ad ritè celebrandas proceſſiones,alijſque medijs ad id conducentibus .

REſpondeo, & Dico primo. Ad ritè celebrandam ſacram proceſſionem, ita vt ſit actus pius, ſeu religioſus, & Deo gratus, eſt neceſſarium ſupernaturale auxilium gratiæ.

Probatur, Ad orandum, ſicut oportet, eſt neceſſaria ſupernaturalis gratia, & impulſus ſpiritus Sancti, ſed ſacra proceſſio eſt ſpecies quædam veræ orationis, & ſupplicationis ad Deum: ergo ad celebrandam illam, ſicut oportet ; eſt neceſſa-

ria gra-

ria gratia ſupernaturalis . Minor eſt manifeſta ex ſupradictis, & ex definitione proceſſionis tradita *ſect.1. initio*.

. Maior propoſitio eſt certa de fide, & breuiter probatur ex ſcripruris, & SS.PP. primo ex Apoſt. *ad Rom.8.* vbi ſic ait; *Spiritus adiuuat infirmitatem noſtram: nam quid oremus ſicut oportet neſcimus, ſed ipſe Spiritus poſtulat pro nobis*. (ideſt poſtulare nos docet, & facit) ſubdit Apoſtolus. *Qui autem ſcrutatur corda ſcit, quid deſideret Spiritus: quia ſecundum Deum poſtulat pro Sanctis*, (ideſt quia facit Sanctos, ſeu fideles poſtulare iuxta diuinum beneplacitum, quod eſt orare ſicut oportet,) ergo ad ſic orandum neceſſaria eſt Spiritus Sancti gratia.

Probatur ſecundo ex eodem Apoſt. 1. *Corinht. 12. Nemo poteſt dicere Dominus Ieſus, niſi in Spiritu Sancto, & 2. Corint. 3. Non ſumus ſufficientes cogitare aliquid ex nobis &c.* vbi planè loquitur de oratione. Quæ etiam veritas definita eſt in Concil. Arauſicano 2.

Probatur tertio ex Patribus: Siquidem D. Auguſtinus hanc eandem doctrinam tradit, & explicat in omnibus libris contra Pelagium. Et D. Chryſoſt. *hom. 38. in Geneſim. ſupra vires* inquit, *hominis eſt miſcere cum Deo colloquium, niſi adſit vis Spiritus Sancti: ſed oportet illo auxiliante domum ingredi, & flectere genua, poſtremo orare, ac deprecari*. Sic etiam alij Patres communiter quorum auctoritates ad vitandam prolixitatem omittimus vide D. Thomam 22. *q.* 83.

Dico Secundo. Ad conſequenda prædicta auxilia ſupernaturalia; Curandum eſt primo correſpondere promptè, & ſedulo gratijs excitantibus, quibus à Deo præuenimur, vt oremus, & alia bona opera exequamur; ſic enim vlteriores gratias ad ea opera perficienda impetrabimus, quia fidelis in modico ampliori gratia dignus efficitur, vt conſtat ex parabola de talentis. *Matth.* 25. & docet SS.PP. communiter. Secundo prodeſt plurimum præparatio ad orationem, & in caſu noſtro ad Proceſſionem, qua melius diſponimur ad recipiendas diuinas gratias in progreſſu: Siquidem *facienti, quod in ſe eſt, Deus non denegat gratiam*: vt eſt commune axioma theologorum. Qualis autem præparatio ſit præmittenda orationi, & proceſſioni, conſtat ex dictis *ſect. 1. punc. 13.* vbi eam explicauimus. Tertio conſideranda eſt dignitas, vtilitas, & ſublimitas myſteriorum, quæ in proceſſionibus continentur, de quibus diximus *ſect. 1. per totam* mirabilia enim ſunt opera, & teſtimonia Dei, & ſcrutari ea oportet, vt Deus nobis aſſiſtat, & gratias impertiatur *pſalmo. 118. Beati, qui ſcrutantur teſtimonia eius &c.*

Dico Tertio. Vt proceſſio ſit fructuoſa, & efficaciter impetremus à Deo, quæ poſtulamus; requiruntur ex parte ſupplicantium nonnullæ conditiones infundendis ad Deum precibus.

Prima eſt, vt preces, & orationes piæ ſint, & humiles, ſeu actus virtutis Religionis quibus homo ſe Deo ſubijcit, & ad illum recurrit tanquam ad ſupremum auctorem omnium bonorum, & adiutorem ſuum.

Secunda, vt procedant ex fide viua, ex firma ſpe, ſeu fiducia meritorum Chriſti, in cuius nomine petere debemus atque infallibilis eius promiſſionis, Ioan. 16. *Amen dico vobis, ſiquid petieritis Patrem in nomine meo dabit vobis*. Item ad infallibilem impetrationem requiritur in orante ſtatus gratiæ, & charitatis vnde Iacobus in *ſua epiſt. cap. 1. multum enim valet deprecatio iuſti &c.*

Hoc autem non dicitur, quaſi orationes peccatorum ſint inutiles: Deus enim etiam eas de congruo exaudit, ſed quia orationes iuſtorum ſunt magis efficaces. Quare nec peccatores excludendi ſunt à proceſſionibus: nec expedit eos terrere, quaſi eorum orationes apud Deum ſint inutiles: quamuis enim ex condigno nihil mereantur, nec vim ſatisfaciendi pro peccatis habeant; nihilominus vtiles procul dubio ſunt per modum impetrationis, ſi ex fide, & ſpe in Deum procedant teſte D. Thoma 22. *q.* 83. *ar.* 16. Quia potius monendi ſunt, vt non ceſſent Deum orare, ne permittat eos in peccato decedere, ſed miſericorditer dignetur ad ſtatum gratiæ perducere.

Tertia conditio eſt, vt perſeueranter omnes, vtque inſtanter petamus, iuxta monitum Chriſti. *Luca 11. dico vobis, quod ſi perſeuerauerit pulſans, dabitur illi &c.* Sic enim fides, & ſpes cõfirmantur, quas dominus in oratione noſtra requirat, vnde Chryſoſt. *hom. 30. in Geneſim. Noſtrum ait ſit opus continuis inſiſtere precibus*, & non ægrè ferre, quod differatur, quod petimus: neque enim Deus renuens preces noſtras differt: ſed hac arte ſedulos nos efficiens, ad ſemetipſum attrahere vult. Et S. Auguſt. *ſerm. 5. de verbis Dom. cap. 5.* monet, *ideo Deum tardius non numquam dare, quæ petimus; vt tanto feruentius ac perſeuerantius orantes, plus etiam impetremus quam petimus*.

Addunt alij quartam conditionem, vt oratio, quatenus infallibiliter impetrat, fiat pro ipſomet orante, non pro alijs, iuxta doctrinam Auguſt. *trac. 102. in Ioan.* quam ſequitur D. Thom. loco citato ar. 15. Hoc autem intelligi debet attenta diſpoſitione, & capacitate illorum, pro quibus aliquid petitur: ideo enim difficiliorem impetrationem habere cenſetur oratio pro alijs fuſa, quam pro ſeipſo: quia, vt Deus conferat gratiam debet homo eſſe diſpoſitus ad recipiendum; hæc autem diſpoſitio, cum ſit in libera poteſtate orantis, ſi pro ſe petat, poteſt etiam ſe capacem reddere, ſi velit: quod non ita contingit, ſi petat pro alijs forte indiſpoſitis. Cœterum promiſſio Chriſti, *petite & accipietis &c.* generalis eſt, ideoque ſe extendit ad orationem etiam pro alijs fuſam, vt colligitur. *Ex epiſt. Iacobi. cap. 5. orate pro inuicem, vt ſaluemini*. Videri poteſt Suarez *lib. 1. de oratione cap. 27.*

QVIN-

QVINTA CIRCVMSTANTIA.

Cur.

HAc circumſtantia exprimitur finis, propter quem exercetur aliquod opus: in celebrandis autem proceſſionibus duplex finis ſolet ab Eccleſia intendi. Primus, qui etiam ſupremus, & principalis dicitur, & ſuper omnia intentus, eſt cultus latryæ Deo ſoli debitus, eiuſque honor, & gloria; de quo ſupra diximus *ſect.* 1. *Punc.* 7. ſecundus finis, qui dicitur proximus, eſt impetratio gratiarum, & donorum Dei, quibus indigemus. hoc poſito.

PRIMO QVÆRITVR.

An Proceſſiones inſtitui poſsint nedum in cultum, & gloriam Dei: ſed etiam in honorem, & cultum Sanctorum.

REſpondeo, & Dico primo. Proceſſiones ſacræ per ſe primo ſunt ab Eccleſia inſtitutæ in cultum, & gloriam Dei: Secundario vero, & per adiunctum etiam in cultum, & honorem Sanctorum.

Prima pars ſatis patet ex dictis *ſect.* 1. *Punc.* 7. *de cauſa finali proceſſionum*: Cum enim Eccleſia Spiritu Sancto regatur, & perfectiſſimè operetur; in omnibus ſacris functionibus per ſe primo intendit cultum, & maiorem Dei gloriam, iuxta monitum Apoſt. 1. *Cor.* 10. *omnia in gloriam Dei facite*. Itaque hic finis nunquam deeſt in proceſſionibus, tanquam per ſe primo intentus ab Eccleſia, ſeu vt eſt finis operis, quicquid ſit de fine, qui dicitur operantis, & pendet ex intentione priuata conuenientium ad proceſſiones.

Secunda pars Probatur primo. Quia certum eſt de fide Sanctos, & Beatos eſſe veneratione dignos, & peculiarem cultum eis deberi poſt Deum; ergo ſicut poſſumus alijs modis honorem, & cultum illis exhibere recitando diuinum officium, offerendò Deo ſacrificium Miſſæ in eorum honorem &c. ita pariter poſſunt celebrari proceſſiones in eundem finem.

Probatur Secundo. poſſumus per orationes, & ſupplicationes recurrere primo, & principaliter ad Deum, & deinde, etiam ſecundario ad Sanctos; vt infra fuſè declarabimus in Appendice, de interceſſione Sanctorum: ergo poſſumus celebrare proceſſiones, quæ ſupplicationes continent, primo in cultum, & gloriam Dei, & ſecundario etiam in cultum, & honorem ſanctorum.

Dico Secundo eſt magnum diſcrimen inter vtrumque modum, quo ordinatur proceſſio primario ad Deum; & ſecundario ad Sanctos: Si quidem priori modo continet ſupremum cultum latryæ ſoli Deo debitum, eſtque actus virtutis Religionis propriè dictæ: Cœterum ſecundo modo continet cultum inferioris ordinis, qui dicitur dulyæ, & non eſt actus Religionis ſtrictè ſumptæ, ſed obſeruantiæ ſupernaturalis, qua honoramus Sanctos Dei ſeruos, & amicos,

Probatur, & explicatur hæc Concluſio. Quando enim per orationes, & ſupplicationes, atque adeo per proceſſiones recurrimus ad Deum immediatè; nos metipſos illi ſubijcimus, tamquam ſupremo auctori, & largitori omnium donorum, & ſonti gratiarum, & independenti ab omni alia poteſtate, & vt talem Deum recognoſcimus humili ſubmiſſione; ergo proceſſio ſic continet cultum latryæ tali Deo debitum: quia ſolus Deus eſt ſupremus omnium dominus abſque dependentia ab alio: vt per ſe patet, & explicat D. Thomas 22. *q.* 83. *art.* 1. & *ſequentibus*.

Quando vero ad Sanctos recurrimus non ita res ſe habet; non enim oramus Sanctos, vt conferant nobis gratias ſua poteſtate; ſed vt intercedant pro nobis ad Deum, & flectant eius pietatem ad eas conferendas; & ſic nos illis ſubijcimus, tanquam Dei ſeruis, & amicis culta dulyæ.

Confirmatur primo ex modo orandi, quo vtitur Eccleſia; quando enim orat ad Deum, vtitur illis verbis, *concede quæſumus, præſta quæſumus omnipotens Deus &c.* Item *parce nobis Domine, miſerere nobis*: quibus Deum recognoſcit vt ſupremum, & independentem gratiarum largitorem; Cœterum ad Sanctos non ea phraſe vtitur; ſed orat eos dicens, *orate pro nobis, intercedite ad Deum pro nobis*: quia ſunt interceſſores non collatores gratiarum.

Confirmatur Secundo humano exemplo: Quia inter homines aliter petimus à Rege, vt concedatur quæ petimus, aliter ab aulicis, & amicis Regis, videlicet, vt intercedant pro nobis apud Regem &c. Prior enim petendi modus continet regium honorem: poſterior vero non item; ſed honorem longè inferiorem; ita pariter in caſu noſtro videri poteſt Suarez *lib.* 1. *de oratione cap.* 10. ex dictis.

Colligitur primo. Quamuis verum ſit, quod plures docent, videlicet, quando nos colimus, & inuocamus Sanctos, etiam ipſum Deum, & Chriſtum filium eius nos colere; & inuocare, vt notauit S. Thomas 22. *q.* 82. *ar.* 2. *ad* 3. Et S. Ambroſius *ſerm.* 6. *Quiſquis honorat inquit martyres honorat, & Chriſtum: & qui ſpernit martyres, ſpernit, & Dominum: atque adeo cultum Sanctorum videri etiam cultum latryæ, & virtutis Religionis, quatenus terminatur ad Deum, qui elucet in Sanctis, & quatenus in Sanctis eſt participatio quædam diuinitatis;* nihilominus hoc intelligi debet de cultu eodem, quatenus preciſè terminatur ad Deum; atque aſſerendum, quando, quis orat, vel adorat Sanctum ſub duplici illo reſpectu; eius actum eſſe virtute duplicem, qui quatenus ad Deum dirigitur, latryæ eſt, imperatus à virtute Religionis, quatenus verò ad Sanctum, eſt dulyæ elicitus à virtute ſupernaturalis obſeruantiæ; Monet autem benè Suarez loco citato non eſſe ſatis expediens ſuadere indoctis, & idiotis illum modum colendi San-

ctos, quatenus ſunt Dij per participationem, ad vitandam ſuſpitionem etiam materialis idolatriæ: ſed quatenus ſunt ſerui, & amici Dei, & præditi ſunt creata Sanctitate, & virtute impetrandi, &c.

Colligitur Secundo. Licet quandoque Sancti, & iuſti etiam in hac vita cooperentur cum Deo effectum, quem orando petimus e.g. ſanitatem corporis ex D. Auguſt. *lib. 22. de Ciuit. Dei cap.* 10. quia ſunt præditi gratia ſanandi infirmos; non tamen æſtimandi ſunt abſolutè auctores talis gratiæ: quia illa virtus eſt purè miniſterialis gratis à Deo illis conceſſa; & non ex ſe illam habent, ideoque non debetur Sanctis, niſi cultus dulyæ. Vide Suar. loco citato.

Colligitur Tertio, ſi fiat proceſſio in honorem B. Virginis Deiparæ, tunc cultum eidem Virgini exhibitum eſſe quidem inferiorem cultu latryæ, qui ad Deum ſolum pertinet; maiorem tamen ſimplici cultu dulyæ, qui pertinet ad alios ſanctos: & medio modo ſe habet; eo quia ratione Maternitatis Dei debetur Virgini cultus peculiaris, qui dicitur hiperdulyæ, vt omnes fatentur.

SECVNDO QVÆRITVR.

Quoad finem proximum.

An rectè, & piè instituantur proceſſiones ad impetranda à Deo bona temporalia.

Exempli gratia ad impetrandam vbertatem fructuum, & pluuiam neceſſariam: victoriam de inimicis, peſtis auerſionem, & ſimilia.

Ratio dubitandi primo eſt, quia prædicta bona temporalia prouenjunt ex cauſis naturalibus cum generali concurſu Dei. Hoc poſito, conſiderare oportet qualis ſit noſtra petitio facta Deo in publicis ſupplicationibus, aut alijs priuatis. Vel enim petimus, vt Deus ſuſpendat, aut variet ſuum generalem concurſum lege ordinaria debitum cauſis naturalibus, ſecundum ordinatam Dei prouidentiam; & ſic peteremus miraculum, quod eſſet tentare Deum, vt communiter aſſerunt DD. Vel petimus, vt inuariato generali concurſu proueniant nobis ea bona ex cauſis naturalibus, & ſic vana eſſet petitio; quippe abſque noſtra petitione Deus infallibiliter concurrit cum cauſis naturalibus iuxta leges ſuæ prouidentiæ. Secundo. Communiter homines abutuntur his bonis temporalibus in perniciem animarum, ſicut de diuitijs ait Apoſt. 1. *ad Timoth. 6. qui volunt diuites fieri incidunt in laqueum diaboli*: ergo non ſunt petenda a Deo, cum ſint contra rationem ſalutis.

Tertio Chriſtus Dominus ſæpius in Euangelijs conſuluit contemptum, & renuntiationem temporalium bonorum, *Lucæ* 14. *qui non renuntiat omnibus, quæ poſſidet, non poteſt meus eſſe diſcipulus. Et Matth. 6.* Nolite inquit *Solliciti eſſe dicentes, quid manducabimus &c. quærite primum regnum Dei, & iuſtitiam eius, & hæc omnia adijcientur vobis*; quibus verbis nos docet regnum Dei tantum quærere, & juſtitiam, ideſt ea, quæ conducunt ad ſalutem æternam; ergo non eſt bona oratio, qua petimus bona temporalia: & multo minus inſtitui rectè poſſunt proceſſiones, & publicæ ſupplicationes in eum finem.

Reſpondeo, & dico primo, Bona temporalia, quæ ſunt neceſſaria ad vitæ conſeruationem, ad ſalutem corporalem, & incolumitatem hominum, ſicut poſſunt abſolutè à Deo peti per orationem, ſic etiam ad ea impetranda poſſunt inſtitui publicè ſupplicationes, & proceſſiones: nec opus eſt addere conditionem, ſiue nobis ea petamus, ſiue alijs.

Probatur quia hæc bona pertinent ad naturales perfectiones hominum, & ſunt media neceſſaria ad finem bonum, & honeſtum nobis à Deo conſtitutum: ſiquidem non fecit nos Deus vitæ propriæ dominos, vel incolumitatis, & integritatis membrorum: ſed cuſtodes, & conſeruatores: ergo eadem bona ſunt abſolutè appetibilia ſecundum rectam rationem, & conſequenter poſſunt rectè à Deo peti: etenim ſecundum regulam D. Auguſt. *Epiſt. 162. ad Probam*, & D. Thomæ 22. *quæſt. 83. art. 6.* Quicquid licitum eſt deſiderare id licitum eſt orare, & a Deo petere.

Confirmatur tum ex oratione dominica, qua petimus ex inſtitutione Chriſti panem quotidianum: tum ex praxi Eccleſiæ frequenter orantis pro aeris ſalubritate, pro annonæ fertilitate, pro pace, &c. tum ex illo *Sapient. 30. diuitias, & paupertatem ne dederis mihi, ſed tantum victui meò tribue neceſſaria*, vide Suar. *lib. 1. de Orat. cap.* 17. Layman *lib. 4. de oratione cap. 1. quæſt. 4.* & DD. communiter.

Dico ſecundo. Bona temporalia quæ ſunt neceſſaria ad decentem ſtatus conſeruationem, præſertim Reipublicæ, & communitatis, poſſunt, & iam rectè, & piè à Deo peti, & ad ea impetranda proceſſiones inſtitui, quia pariter finis bonus eſt, & honeſtus, & diuerſitas graduum a Deo etiam inſtituta ad rectam Reipublicę gubernationem: vnde Apoſt. *ad Rom. 13. omnis poteſtas à Domino Deo eſt: quæ autem à Deo ſunt, ordinata ſunt*, & ex eodem Apoſt. debetur Principibus; & Magnatibus honor, & reuerentia; Cui honorem honorem &c.

Dico tertio. Bona indifferentiæ, vel ſuperflua, vt abundantia diuitiarum, honores, ac dignitates, & poſſunt quidem à Deo peti ob bonum finem, & ad ſuccurrendum communi bono. Cœterum ob periculum abuſus à nemine pro ſeipſo debent peti ſine adiuncta conditione, ſi petenti expediant: nec ad ea impetranda in hoc ſenſu proceſſiones inſtituere, eſt expediens, ſed tantum, quando petenda ſunt pro aliquo ſanctitate, & prudentia prædito in commune bonum.

Probatur prima pars. Quia bona hæc indifferentia per intentionem finis boni cohoneſtantur, atque bona, & deſiderabilia redduntur: ſicque ſunt recta orationis materia.

Secunda pars probatur, quia ſuppoſita hominum imbecillitate, eadem bona frequenter potius ad ſpiritualem perniciem, quam ad ſalutem animæ de-

mæ deſeruiunt DD. citati. Ad Rationes dubitandi initio poſitas.

Reſpondetur ad primam. Quando petimus bona, quæ pendens ex cauſis naturalibus, vt aeris ſalubritatem, &c. neque nos petere miraculum, neque vt ex generali Dei concurſu ea nobis proueniant; ſed petere ſpecialem gratiam, qua ex ſpeciali prouidentia ordinis naturalis nobis ſuccurrat videlicet: vel impediendo dæmones, ne noceant, vel auferendo impedimenta, quæ nouit aliâs futura, ſi omnes cauſæ ſecundæ ſinerentur ſuum curſum agere, quod ad ſpeciem Dei prouidentiam pertinet vltra debitum naturæ; per legem naturalem quidem, ſed ſpecialiter ſibi à Deo reſeruatam: & in ſuo ordine effectus inde ſecutus gratia dici poteſt, quam per orationem petimus.

Deinde ſi opus ſit miraculo, non eſt illicitum petere illud à Deo, quando nulla ſuppetunt media naturalia ad conſequendum id, quod rationabiliter petimus, e.g. peſtis auerſionem, incurabilis morbi depulſionem, &c. tunc enim petere miraculum, eſt Deum tentare, quando, quis neglectis remedijs naturalibus, quæ ſunt in promptu, vult experiri Dei potentiam, petendo miraculum abſque neceſſitate: Cæterum vrgente neceſſitate paſſim Cœci petunt lumen à Deo per miraculum, claudi greſſum, ſurdi auditum: & apud Imagines B. Virginis, & Sanctorum Sepulchra ſæpè Deus miracula operatur, & gratias ſupra naturæ ordinem piè potentibus concedit.

Ad ſecundam. Rationem patet ex ſupra dictis. Quando enim dubitatur de periculo abuſus, vel peti non debent, quæ ſunt ob futura ſaluti ſpirituali, vel non, niſi ſub conditione ſalutaris euentus: ſeu abſque diſpendio bonorum ſpiritualium: aliàs abſque recta intentione mala eſt oratio.

Ad tertiam. Reſpondetur ex eo, quod Chriſtus conſuluit opera perfectionis non ſequitur peccare eos, qui ſtatum perfectiorem non profitentur: alioquin peccarent nubentes contra Conſilium cœlibatus, quod eſt falſum: idemque dicendum de paupertate Euangelica, quam idem Chriſtus locis citatis conſuit: vnde non eſt mala oratio, qua petuntur bona temporalia moderatè, & cum recta intentione. Item quando Chriſtus dixit nolite ſolliciti eſſe dicentes, quid manducabimus &c. prohibuit auiditatem, & nimiam anxietatem bonorum temporalium, non vero moderatam eorum curam, & prouidentiam. Item docuit præponendum eſſe Regnum Cœlorum terrenis rebus, & in primis, &c. ſuper omnia eſſe quærendum: non autem vetuit victus, & veſtitus moderatam curam in ſuo ordine.

SEXTA CIRCVMSTANTIA.

Quomodo.

HÆc circumſtantia denotat modum operandi; & in re noſtra quoad proceſſiones deſignat ordinem, compoſitionem, & ritus omnes ex præſcripto Eccleſiæ in proceſſionibus obſeruandos, quos omnes notauimus, & deſcripſimus *Sect. 1. Punc. 6.* Hic breuiter examinabimus quæſtiones aliquot de obligatione, & licito eorum vſu in praxis, & reſoluemus dubia, quæ poſſunt occurrere.

PRIMO QVÆRITVR.

An, & qualis ſit obligatio ſeruandi ritus proceſsionum ab Eccleſia præſcriptos.

EST autem quæſtio præſertim de ritibus præſcriptis in Rituali, & Pontificali Romano, & in cœremoniali Epiſcoporum à Sede Apoſtolica approbatis.

Reſpondeo, & Dico primo. Eccleſiaſtici ad proceſſionem conuenientes teneatur ſeruare in eis ritus à Sede Apoſt. vel ab Epiſcopis approbatos. Hæc tamen obligatio ex vi ſolius iuris poſitiui eſt ſolum decentiæ, & honeſtatis, non vero ſub reatu culpæ.

Probatur quia neque ex Rituali Romano, neque aliundè conſtat de præcepto: Siquidem Bulla Pauli V. initio Ritualis Romani appoſita ſolum vtitur verbis conſilij, & exhortationis: atque adeò rubricæ in eo contentæ ſunt directiuæ, non præceptiuæ: ergo non obligant ſub culpa: ex doctrina D. Thomæ 1.2. *quæſt.* 107. *art.* 4. quod vbi non conſtat de præcepto, non eſt aſſerenda obligatio, præſertim grauis ad culpam.

Confirmatur. Quia eſt magnum diſcrimen inter Sacramenta, ex vna parte, quæ ſunt inſtrumenta gratiæ ſanctificantis, & organa Spiritus Sãcti ex opere operato: & Sacramentalia ex altera parte, ſeu ſacras functiones longè inferioris ordinis, inter quas numerantur ſacræ proceſſiones: Quamuis ergo in adminiſtratione Sacramentorũ, & in oblatione tremendi Sacrificij Miſſæ, incumbat miniſtris ex præcepto Eccleſiæ grauis obligatio ſeruandi ritus conſuetos: Sicuti ex Bulla Pij V. præinſerta Miſſali, & ex Concil. Trid. *ſeſſ.* 7. *can.* 13. nos fusè probauimus *in comm. ad Rubr. Miſſalis 9. præmiali ſec. 2.* Nihilominus quoad ſacramentalia, & ſacras functiones inferioris ordinis, mitius procedit Eccleſia, nolens præceptis onerare miniſtros, nec eorum conſcientias grauare.

Dico ſecundo. Ex vi iuris naturalis, quo obligantur omnes decenter, & ſanctè tractare res ſacras: atque ſtudioſè, & religioſè Deum colere, illique ſeruire; tenentur vtique Eccleſiaſtici ſeruare in proceſſionibus ritus conſuetos, & ab Eccleſia præſcriptos: quia ſine illis carerent proceſſiones ſuo decore, & ordine, ac debita forma: cum enim proceſſiones fiant nomine Eccleſiæ, non priuato cuiuſque arbitrio, ſed ex præſcripto Eccleſiæ, dirigi, & ordinari debent; atque adeo ritus prædicti pertinent ad formam eis debitam: nec ſine irreuerentia, & iniuria contra res ſacras, &

Deum omitti, vel mutari poſſunt, vel aliquid priuata auctoritate eis addi.

Dico tertio. Tranſgreſſio prædictorum rituum eorundem omiſſione, mutatione, vel additione aliqua communiter eſt culpa venialis, & leuis iniuria contra res ſacras, & cultum Deo iure naturali debitum. Probatur: quia cum ſacramentalia, & ſacræ functiones prædictæ ſint longè inferioris ordinis Sacramentis, & Sacrificio Miſſæ, nec adeo grauem, ſeu eminentem ſanctitatem contineant, ſicuti ſacramenta; irreuerentia contra eas commiſſa, non opponitur grauiter virtuti Religionis, & cultus diuini, ſed leuiter, ergò non eſt culpa grauis communiter loquendo, ſed leuis, & venialis.

Dixi communiter loquendo: quia ſi tranſgreſſio ritum fiat ex contemptu; vel inde oriatur graue ſcandalum, ſeu periculum grauis damni; tunc erit peccatum mortale, vt manifeſtum eſt ex communi doctrina Theologorum, in tract. de peccatis. exempli gratia grauiter peccaret ſuſcitans contentiones de præcedentia in proceſſionibus, cum periculo grauis rixæ, in qua facilè ex verbis; venitur ad verbera, vel vulnera. Item ratione ſcandali grauiter peccaret, qui in proceſſione eſſet enormiter immodeſtus, & ita petulanter & impudenter ſe gereret, vt alijs præberet occaſionem non æſtimandi ſacras functiones, ſeu vt apud puſillos notabiliter vileſcant: vel ex petulantia Eccleſiaſticorum ſumerent Laici anſam liberius peccandi. Tandem ratione contemptus grauiter peccaret non obſeruans ritus ab Eccleſia præſcriptos, non ex torpore, vel negligentia, ſed quia illos iudicat eſſe inutiles, & vanos (in quo poſſet etiam hæreſis interuenire:) vel quia non vult ſe ſubijcere auctoritati, & directioni Eccleſiæ, de quibus caſibus nos in ſimili ſulè diximus *in comment. ad Rub. Miſſalis 9. præmiali ſect. 2. punc. 4.*

SECVNDO QVÆRITVR.

An Quando proceſsio mane celebratur, debeat cantari Miſſa ſolemnis in Eccleſia, ad quam perducitur.

Reſpondeo, Quamuis ſit valdè expediens adiũgere proceſſioni Miſſam ſolemnem, vt vi ſacrificij efficacius impetretur id, quod per publicam ſupplicationem poſtulatur. Sicuti ſtatuitur in Concil. Mediolanenſi 4. & notat Gauantus, *in Enchir. verbo proceſſ. num. 25.* Nihilominus id non eſt abſolutè neceſſarium, neque cadit ſub obligatione: quia nullibi præcipitur, ſed ſolum ſuadetur in ritualibus. Neque proceſſio habet neceſſariam connexionem cum Miſſa: cum ſæpè celebrentur veſpere: quare id remittitur prudenti arbitrió Epiſcopi; vel Cleri Epiſcopo abſente.

Non loquimur autem in præſenti, de proceſſionibus Rogationum, vel Litaniarum maiorum, quibus ex Rubricis Miſſalis adnexa eſt Miſſa ſolemnis, vt alibi nos diximus, ſed de proceſſionibus, quæ alias fiunt ad petendam pluuiam, vel ſerenitatem, vel tempore peſtis, aut belli, &c.

Confirmatur noſtra reſponſio ex *Rituali Romano Tit. de proceſſ. initio*, vbi ſic habetur, proceſſiones prius fieri debent: deinde Miſſa ſolemniter celebrari, niſi aliter ob grauem cauſam interdum ordinario, vel Clero videatur.

TERTIO QVÆRITVR.

Vtrum quando tranſit proceſsio ante Altare, vbi aſſeruatur Ss. Sacramentum: vel vbi in Miſſa ſit eleuatio; debeant omnes genuflectere, et qualiter.

Hæc quæſtio pendet ex alia de cultu, & veneratione debita Sanctiſſimo Euchariſtiæ Sacramento, quam in proprio tractatu de Euchariſtia agitant Theologi: vnde ſumenda ſunt principia ad reſoluendam quod inquirimus.

Præmittendum eſt ergo primo, eſſe certum de fide Chriſtum in hoc Sacramento realiter exiſtentem non minori cultu, & veneratione dignum eſſe, quam ſi in propria ſpecie clarè, & ſenſibiliter ibi conſpiceretur: atque adeo illi deberi ſupremum latriæ cultum, quod iure meritò definitum fuit in Concil. Trid. *ſeſs. 13. cap. 5. & can. 6.* his verbis. *Neque enim Chriſtus minus eſt adorandus, quod fuerit ab eodem Chriſto hoc Sacramentum, vt ſumatur inſtitutum: nam illum eundem Deum præſentem in eo adeſſe credimus, quem Pater æternus introducens in orbem terrarum dicit: & adorent eum omnes Angeli Dei: quem Magi procidentes adorauerunt: quẽ denique in Galilea ab Apoſtolis adoratum fuiſſe, ſcriptura teſtatur:* hactenus Concilium. Ratio vniuerſalis eſt, quia vbicumque Chriſtus adeſt, eſt verus Deus, & Dominus: atque adeo vrget vbique præceptum eum adorandi, de quo habetur Deutor. 6. & *Matth. 4. Dominum Deum tuum adorabis, & illi ſoli ſeruies*, & conſtat ex primo præcepto decalogi.

Præmittendum ſecundo. Diuiniſſimum Euchariſtiæ Sacramentum non tantum interiori, ſed etiam exteriori, & viſibili cultu eſſe adorandum: vt ex eodem. Trid. habetur. Ratio eſt, quia cum homines animo, & corpore conſtet, & vtrumque à Deo habeant; vtrumque debent Deo exhibere in cultum, & adorationem eius: & ideo cultus Dei etiam exterior hominibus præcipitur, tamquam illis maxime connaturalis, & neceſſarius ad aliorum ædificationem. Videri poteſt Durantus *de Rit. Eccleſ. cap. 40.* vbi plura ad hoc propoſitum eruditè congerit, & Suarez *tom. 3. in 3. p. diſp. 65. ſect. 1.*

Præmittendum tertio, Cum hoc præceptum adorandi Sacramentum Euchariſtiæ, quatenus affirmatiuum

firmatiuum licet ſemper obliget, non tamen pro ſemper, ſed tempore opportuno; prudenti arbitrio dijudicandum eſt, quando nam, & quam graulter obliget. Quo circa dicendum eſt primo. Quandocumque talis occurrit occaſio exhibendi huic Sacramento cultum, & reuerentiam, vt eam prætermittere ſit quidam virtualis contemptus, & moraliter exiſtimetur irreuerentia quædam; tunc omittentes illud venereri, delinquere, &c. peccare contra præceptum explicatum. Sicut in humanis, ſi nobis fiat præſens Maieſtas Regis perſonaliter, & nullam ei reuerentiam exhibeamus, meritò cenſebitur in honoratio quædam; ita pariter in caſu noſtro Sacramenti Euchar. in quo realiter continetur Rex Regum Chriſtus, & Dominus dominantium.

Secundo in ſpeciali deſignari poſſunt aliqua tempora, in quibus vrget prædicta obligatio, conſequenter ad id, quod diximus: Videlicet cum accedimus ad ſacrificandum, vel communicandum. Item quando idem Sacramentum proponitur ab Eccleſia adorandum, vt quando eleuatur in Miſſa, vel quando publicè exponitur, aut defertur; tunc enim præſentes, vel ei occurrentes tenentur etiam exterius illud adorare, aut colligitur ex cap. Sanè de celeb. Miſſarum, & in ſimilibus caſibus: quare peccarent, tunc Sacramentum non adorantes. Quale autem peccatum ſit tunc adorationem omittere. Dicendum videtur ſecluſo ſcandalo, vel contemptu, talem omiſſionem ex negligentia, & incuria ortam, regulariter loquendo non fore peccatum mortale, ſed veniale: quia non interuenit voluntas praua contra Deum: ita Suarez loco ſupra citato. His poſitis ad quæſtionem propoſitam.

Reſpondeo, & Dico primo. Celebrantes proceſſionem, quando tranſeunt ante Altare, vbi aſſeruatur Sanctiſſimum Sacramentum: quamuis non ſit expoſitum, ſed intra tabernaculum; genuflectere debent vnico genu, alias venialiter peccarent, vt conſtat ex præmiſſis, & ex communi praxi Eccleſiæ.

Confirmatur ex Deciſ. Sac. Rit. Congreg. 14. *Decemb.* 1602. his verbis. *Genuflectendum eſt ſemper ab omnibus tranſeuntibus ante Sanctiſſimum Sacramentum, etiam dum fiunt proceſſiones per Eccleſiam*; & contraria conſuetudo declaratur abuſus. Sic refert cum Sellio Barboſa *Summ. Apoſt. Deciſ. Collec.* 398. *verbo genuflectere*, & docet noſter Caſtaldus, *in Praxi cærem. lib. 2. ſect. 10. num. 14.* vbi aduertit excipiendum eſſe deferentem Crucem cum ceroferarijs, qui non debent genuflectere.

Confirmatur ſecundo. Si enim ſolum nomen Ieſu eſt genuflexione venerandum eſt Apoſtol. ad *Philip. 2. in nomine Ieſu omne genufllectatur, & cæt.* Quanto magis Sanctiſſimum Sacramentum, in quo ipſe Ieſus perſonaliter continetur?

Si vero tranſeat proceſſio ante Altare maius, in quo non alleuatur Euchariſtia; tranſeuntes in proceſſione faciant ad illud reuerentiam inclinatione capitis.

Dico Secundo. Tranſeuntes ante Altare, vbi in Miſſa eleuatur Sacramentum, vel tunc miniſtratur communicaturis, debent genuflectere vtroque genu, nec antea ſurgere, quam celebrans depoſuerit calicem ſuper corporale; vel ſit completa communio.

Probatur à fortiori ex *Rubr. Miſſalis. De Ritu ſeruando &c. Tit. 2. de ingreſſu Sacerdotis &c.* vbi idem omnino præcipitur faciendum à Sacerdote Sacris induto, & procedente cum calice ad celebrandum; ergo ſi Sacerdos deferens Calicem; & accedens ad Altare, quando nemini, nec etiam Prælato, vel Principi alicui debet caput detegere, vel reuerentiam facere, nihilominus in prædictis caſibus debet, & caput detegere, & vtroque genuflexo reuerentiam exhibere Euchar. Sacramento; à fortiori idem faciendum, à tranſeuntibus in Proceſſiones, qui nec calicem cuſtodire debent, nec Sacris veſtibus ſunt induti.

Nec obſtat, quod tunc ſiſtere debent Proceſſio, vel aliqualiter interrumpi, quod videtur inconueniens: quia vrgente duplici præcepto incompoſſibili, implendum eſt ſemper, quod magis vrget, & potioris eſt iuris: ſed in caſu noſtro patet eſſe potioris iuris præceptum venerandi Sacramentum infinitæ dignitatis ratione rei contentæ altero præcepto continuandi Proceſſionem: ergo &c.

Dicet fortè aliquis certum eſſe non debere omitti genuflexiones ante Sacramentum: Cæterum non videri neceſſarium genuflexos immorari vſq; ad finem Eleuationis, vel adminiſtrationis Sacramenti: Sed facta genuflexione poſſe eos ſtatim ſurgere, & Proceſſionem proſequi: ſic enim ſatisfit vtrique præcepto.

Reſpondeo hoc modo non ſatisfieri adequatè præcepto adorandi Sacramentum; quod ex intentione Eccleſiæ durat toto tempore Eleuationis ex *cit. cap. Sanè*: & præfertur continuationi Proceſſionis: ergo violaretur ex parte, & ſic committeretur peccatum veniale. In caſu vero communionis, ſeu adminiſtrationis Sacamenti, ſi eſſet nimis prolixa ob multitudinem eorum, qui ſunt communicaturi, poſſet ex epictea id admitti.

Colligitur primo. Si Proceſſio tranſeat ante Altare, vbi eſt expoſitum Sanctiſſimum Sacramentum; debere omnes genuflectere vtroque genu, & ſtatim ſurgere continuando Proceſſionem.

Colligitur Secundo. Si dum fit Proceſſio intra, vel extra Eccleſiam tranſeat coram omnibus deferens Sacramentum E. G. ad infirmum, debere omnes genuflectere, vel vnico genu, ſi tranſitus ſit breuis, vel vtroq; ſi immorandum ſit, vt fuſius nos explicauimus in *Coment. ad Rubricas Miſſalis in Rub. ſupra citatam, & Tit. 17. de ordine genuflectendi.*

QVARTO QVÆRITVR.

An in proceſsione Litaniarum maiorum debeant duplicari ſinguli verſus, & An poſsit aliquid Litanijs addi.

REſpondeo, & Dico primo. Quamuis aliqui dixerint duplicandos tunc eſſe ſingulos verſus, ſeu integros repetendos a reſpondentibus, vt fit in Sabbato Sancto; quia hac ratione dicuntur Litaniæ maiores: Nihilominus tenendum eſt oppoſitum: falſum eſt enim ea ratione dici Litanias maiores, vt ſuo loco diximus *ſect.*2. nullibi enim in rubricis id inſinuatur. In litanijs vero Sabbathi Sancti duplicatio præſcribitur in Miſſali ob peculiare myſterium, duplicati Sanctorum ſeu Beatorum cœtus: quia videlicet ante Chriſti Reſurrectionem, & mortem, ſolum Angeli erant Beati, & glorioſi in cœlo: quibus poſt mortem Redemptoris adiuncti fuerunt Sancti, qui erant in Limbo, vnde liberati a Chriſto, euecti fuerunt ad gloriam, & aſſociati Angelis. Vel vt placet Rabano *lib.*2.*cap.* 28. duplicant ob conſortium Sanctorum cum nuper baptizatis in Sabbatho Sancto, & notat Gauantus *in Rubr. Breuiarij ſect.*6.*cap.*16.

Dico Secundo. Non eſt licitum addere litanijs preſertim publicis nomina aliorum Sanctorum: nec etiam ſi Sancti ſint patroni illius loci, in quo litaniæ prædictæ publicè recitantur: niſi id fiat ex licentia ſedis Apoſtolicæ; Tum quia talis additio prohibetur per Bullas Pij V. initio Miſſalis, & Breuiarij appoſitas Tum quia ita expreſſè declarauit S.Rit. Cougreg. *die* 22.*Martij* 1631. Apud Gauantum loco cit. *ſect.*9.*cap.*3.*n.*10.

QVINTO QVÆRITVR.

V.G. Quando in proceſsione defertur Sanctiſsimum Sacramentum; thuriferarij debeant incenſare ipſum Sacramentum; vel potius ſuffumigare incensũ circa pauimentum, ſternendo viam eidem Sacramento.

E.G. in Proceſſione, quæ fit fer. V. in cœna Domini à Summo Altari ad Sepulchrum, & in ea quæ fit per vias publicas in feſto corporis Chriſti: tunc enim debent præcedere Sacramentum duo Acholiti cum thuribulis, & de his quæritur, quodnam ſit eorum munus.

Eſt vulgata nonnullorum opinio, quam ſequitur Gauantus in *Rubr. Miſſalis p.*4.*Tit.*8.*de fer. V. in cœna*. Vbi ſic ait Duobus modis id fieri poteſt. Primo ſi Acolythi alternatim incenſent Sacramentum, ductis thuribulis, vt fit in incenſatione perſonarum. Secundo. Si moueant thuribula effumantia, quaſi ſternendo viam Sacramento cum odore incenſi: qui modus videtur magis vſitatus: & maiorem reuerentiam connotat ergaSacramentum: quod numquam, niſi à genuflexis ſacerdotibus incenſari ſolet.

Hæc opinio placuit multis. Cœterum non videtur ſimpliciter admittenda: eo quia manifeſtè ei obſtat Rubrica Miſſalis, quæ habetur poſt Miſſam fer. V. in cœna Domini, qua ſic ſtatuitur. *Præcedentibus duobus Acolythis ſacramentum continuè incenſantibus, vſque ad locum præparatum &c.* Ex quibus verbis ſatis conſtat à thuriferarijs prædictis incenſari deberi ſacramentum, & continuè incenſari, quandiu durat proceſſio. Si autem ſeruaretur ſecundus modus ſupra explicatus: omitteretur incenſatio Sacramenti, & occuparentur Acolyti in purganda, & ſternenda via: de qua re nihil dicitur in Rubrica: atque adeo omitteretur Ritus in Miſſali præſcriptus: & mutaretur in alium diuerſum, contra Bullam Pij V. initio Miſſalis appoſitam, in qua prohibetur, tum omiſſio, tum mutatio Rituum ab Eccleſia præſcriptorum. Vnde.

Reſpondeo, & Dico primo. In proceſſione feriæ V. in cœna Domini Acolythi cum thuribulis debent incenſare Sacramentum, non vero ſternere viam. Patet ex dictis: quia aliter fieret contra Rubricam citatam; in qua eſt ſermo de hac proceſſione.

Nec eſt verum, ſternere viam præſeferre maiorem reuerentiam erga Sacramentum: quia hæc eo maior eſt: quo eſt conformior directioni Eccleſiæ. Item falſum eſt Sacramentum nunquam incenſari, niſi à Sacerdotibus &c. vt patet ex Rubrica citata, qua præcipitur, vt incenſetur ab Acolythis: fit enim incenſatio magis, vel minus ſolemniter, iuxta varias circumſtantias, quod pendet ex inſtitutione Eccleſiæ.

Dico Secundo. In Proceſſione feſti Corporis Chriſti, poteſt admitti relata opinio, etiam quoad ſecundum modum ſternendi viam, &c. Tunc enim non obſtat Rubrica Miſſalis ſupra citata, quæ ſolum loquitur de proceſſione feriæ V. in cœna. In feſto vero corporis Chriſti proceſſio dirigenda eſt iuxta Rubricas Ritualis Romani. *Tit. de proceſſione in feſto corporis Chriſti*: vbi quoad thuriferarios, ſic habetur. *Duo Acolythi cum thuribulis effumantibus præcedunt Sacramentum*: nec determinatur, an Acolyti debeant incenſare Sacramentum, vel ſternere viam; vndè relinquitur arbitrio dirigentium proceſſionem alterum ex dictis modis eligere in reuerentiam Sacramenti. Deinde modus ille ſternendi viam cum thuribulis effumantibus magis congruit huic proceſſioni, quæ fit per vias publicas, (hæ enim cum ſint profanæ magis indigent præuia quadam expiatione cum incenſo benedicto), quam altera, quæ fit intra Eccleſiam aliàs conſecratam, vel benedictam. Saluo ſemper &c.

SEX-

SEXTO QVÆRITVR.

An dum ſiunt proceſsiones, poſsint inter eas permitti ſaltationes, & Choreæ.

RESpondeo, & dico primo, Choreæ, & ſaltationes ſecundum ſe, & ſecluſis prauis circumſtantijs, non ſunt illicitæ: imo poſſunt quandoque, & licita eſſe, Deoque gratæ, & meritoriæ.

Probatur primo. Quia pertinent ad virtutem Eutrapeliæ, & honeſtam animi remiſſionem, lætitiamque rectæ rationi conformem, de qua virtute egregiè tractat D.Thomas 22.*q.*168.*ar.*2.ergo ſi ſunt actus virtutis; choreæ ſunt licitæ: imo ſi ducantur in obſequium Dei, ſeu in eius honorem, erunt Deo gratæ, & meritoriæ.

Probatur Secundo. Exemplis commendatis in ſacra ſcriptura. Primo exemplo Regis Dauid ſaltantis ante Arcam in honorem Dei 2.*Reg.*6. Secundo exemplo Hæbreorum Choreas ducentium in gratiarum actionem ob tranſitum maris rubri, & ſubmerſum in eo Pharaonem, *exod.* 15. Tertio exemplo fœminarum ſaltantium ob cœſum à Dauid Goliath. 1.*Reg.* 18. Tandem Deus ipſe iuſſit Hæbreis *Leuit.*13. vt quotannis celebrarent feſtum tabernaculorum Sacro tripudio, & ſaltarent coram Domino &c.

Probatur tertio, quia vt probauimus *ſect.* 1. *punc.*9. etiam in cœlo ducuntur à Sanctis, & Beatis Choreæ puriſſimæ, & ſanctiſſimæ: ergo &c.

Dico Secundo ſaltationes, & choreæ inter ſacras proceſſiones permitti poſſunt in proceſſionibus feſtiuis, & lætitiæ, adhibitis cautelis, vt ſint alienæ ab omni apparentia impuritatis, decentes, & honeſtæ abſque interuentu fœminarum, & ſint actus pij, & veræ virtutis. Patet ex dictis in prima Conclus, & ex vſu, qui vt aiunt, vigent in Hiſpania in proceſſionibus feſti corporis Chriſti; & fauet Syluefter *verbo chorea q.*1. vbi ait; *licitas eſſe choreas, vbi conſueuerunt fieri propter lætitiam feſti præcipui.*

Dico Tertio ſaltationes prædictæ, & choreæ; non ſunt facilè permittendæ; nec introducendæ, vbi non ſunt in vſu Sacris proceſſionibus propter periculum abuſus.

Probatur, quia inſpecta humana fragilitate, & praua inclinatione ad malum; difficilè poteſt adhiberi modus, quo ſaltationes prædictæ contineantur intra limites virtutis, & honeſtatis: quare SS.PP. communiter improbantur, vt videre eſt apud S. Ambroſium *lib. de Elia, & ieiun.*: S. Auguſt. *ſerm.* 215 *de temp.* S. Chryſoſt. *homil.*48. *&* 56. *in Geneſ.* S. Baſilium *homil.*14. *contra ebrietatem*. Imo, & prohibentur per ſacros canones *diſt.* 1. *cap. qui diebus de Conſecr. & diſt.*3. *cap. irreligioſa*. Quo circa Mattheus Clingius auctor grauis, *quod eſt* inquit *chorea, niſi circulus, cuius centrum eſt Diabolus, & circumferentia omnes angeli eius.*

Quæ autem circumſtantiæ modi, loci, temporis, & perſonarum requirantur ad licitas choreas, & quarum defectu fiunt illicitæ; videri poteſt apud Silueſtrum, & alios ſummiſtas *verbo Choreæ*, & noſtrum Megalium in *Prontuario eodem verbo*.

VLTIMA CIRCVMSTANTIA.

Quando.

HÆc Circumſtantia deſignat ad rem noſtram tempus celebrandarum proceſſionum. Certum eſt autem ſecundum omnes pertinere ad Epiſcopum determinare tempus, & horam, qua celebrari debent proceſſiones, ſicuti deciſum fuiſſe à S. Rit. Congreg. 14. *Ianuar.* 1617. & refert cum Aldano Barboſa *ſum. Apoſt. Deciſ. verbo proceſſio n.* 9. atque Magiſtratus, & omnes quoſcumque debere Epiſcopo in hoc obedire, ad quem pertinet ſacras functiones dirigere. Hoc poſito.

PRIMO QVÆRITVR.

Vtrum ſit licitum, vel expediens celebrare proceſsiones nocte, & in tenebris.

PRæmittendum eſt noctem, & tenebras ſoleri ab impijs obſeruari; & expectari, vt cautius & ſecurius furta, carnalitates, & alia peccata committant, & minus appareant, vel detegantur: vnde Apoſt. *ad Rom.* 13. appellat peccata opera tenebrarum: quia peccatores tenebras quærunt, lucemque Dei, & hominum fugiunt, & 1. *ad Theſſal.*5. fures amicos noctis eſſe inſinuat. Sicut fur in nocte &c. & Iob. *cap.* 28. ait de adulteris *oculus adulteri obſeruat caliginem*: vnde communiter ſceleſti fugiunt lucem: ſicque canit Eccleſia.

Præco diei iam ſonat &c.
Hoc excitatus lucifer
Soluit polum caligine
Hoc omnis Erronum cohors
Viam nocendi deſerit.

Nox enim pudore caret, vt dixit quidam poeta, & anſam præbet liberius peccandi: vnde Diabolus inuentor, & ſuaſor malorum appellatur Princeps tenebrarum *Lucæ* 22. *& ad Epheſ.*6. quia impios ſuos ſubditos amicos facit tenebrarum; & inimicos lucis. Hoc poſito.

Reſpondeo, & dico primo. Communiter loquendo non expedit proceſſiones fieri nocte, & poſt ſolis occaſum: vnde quamuis ſecundum ſe id non ſit illicitum; meritò prohiberi ſolet ab Epiſcopis, ad vitanda pericula peccatorum, vt patet ex dictis initio.

Confirmatur, quia quamuis antiquitus, quando

fideles

fideles maiori ſpiritus feruore erant accenſi, plures ſacræ functiones nocte fuerint ſolitæ celebrari: vt vigiliæ,& orationes apud ſepulchra martyrum, in ſtationibus, in Sabbathis quatuor temporum, & nocte Sabbathi Sancti. Nihilominus paulatim irrepentibus ab vſibus ſublatæ fuerunt:& officium noctis Sabbathi Sancti ad mane eiuſdem Sabbathi per anticipationem tranſlatum:retenta ſolum celebratione officij, & Miſſæ in nocte Natiuitatis Chriſti Domini ob ſingularem deuotionem erga tantum myſterium, & imitationem Angelorum, qui ea nocte è cœlo viſibiliter deſcenderunt, & cecinerunt Gloria in excelſis &c. ergo non expedit proceſſiones nocte celebrare.

Dixi communiter loquendo: quia quandoque, & rarò de licentia Epiſcopi, & adhibitis ſufficientibus cautelis ad obuiandum periculis, piè, & deuotè fieri ſolent.

Dico ſecundo. Prohibitæ ſunt ſpecialiter proceſſiones de nocte cum Sanctiſſimo Sacramento Fer.V. & VI. maioris hæbdomadæ, tanquam abuſus omnino tollendus,& repugnans intentioni Eccleſiæ: quæ ob myſterium ſepulturæ Chriſti non permittit exponi publicè idem Sacramentum: ſed iubet ſecreto aſſeruari ob communionem infirmorum, &c. Atque ita deciſum fuit à S.Rit.Congreg. 18. Auguſt.1606. apud Barboſam *Sum. Apoſt. deciſionum. verbo proceſſio*; quare non poſſunt Epiſcopi in hoc diſpenſare: ſed requiritur licentia, ſeu facultas Sedis Apoſtolicæ; Ex cuius ſpeciali gratia Baroli in Apulia celebratur nocte feriæ VI. maioris hæbdomadæ ſolemnis, & deuota proceſſio cum Sāctiſſimo Sacramento recluſo in capſula, & præſertim *anno* 1656. quando ibidem graſſabatur peſtilentiæ morbus, celebrata dicta proceſſione, cum lacrimis, & inſolito ſpiritus feruore, ſedata eſt mirabiliter peſtis.

Poſſunt tamen diſpenſare Epiſcopi, vt prædictis noctibus fiant publicæ proceſſiones abſque Sanctiſſimo Sacramento, vt cum alijs notat idem Barboſa l. c.

Dico Tertio. Non ſunt permittendæ duæ proceſſiones eadem die in eodem loco ad vitandas contentiones: vt deciſum fuiſſe à S.Rit. Congreg. refert eodem loco Barboſa cum alijs: & nos etiam ſupra diximus hac *ſect. Punc.* 1. *q.* 5. quod intelligendum videtur in paruis oppidis, & ciuitatibus anguſtioribus, vbi concurſus minueretur in ſingulis: ſecus in magnis vrbibus, & quoad Eccleſias longe ab inuicem diſtantes.

SECVNDO QVÆRITVR.

An tempore Interdicti poſſint fieri proceſſiones.

PRæmittendum eſt primo Interdictum diuidi in locale, & perſonale. Locale afficit directè loca, ſeu Eccleſias, & oratoria auctoritate Epiſcopi deſtinata ad Sacras functiones, in quibus per interdictum prohibetur celebrari diuina officia. Perſonale afficit directè perſonas, quibus interdicitur diuinis officijs intereſſe, ſeu ea audire. Rurſus vtrumque interdictum, vel eſt generale afficiens quoad loca omnes Eccleſias, & omnia oratoria vniuerſaliter alicuius prouinciæ, vel ciuitatis &c. Et quoad perſonas omnes incolas vniuerſaliter, Vel eſt ſpeciale, afficiens quoad loca vnam, vel plures Eccleſias determinatè, liberis remanentibus alijs eiuſdem ciuitatis: & quoad perſonas afficiens certas aliquas perſonas, quæ V.g. dederunt cauſam interdicto, non verò alias vniuerſaliter, vt fuſius explicant DD. in *proprio tract. de Interdicto*.

Præmittendum Secundo. Inter diuina officia (quæ certum eſt prohiberi per Interdictum) comprehendi etiam Sacras proceſſiones, quæ more Eccleſiaſtico celebrantur à clericis &c. prælata cruce, & ſub alijs ritibus conſuetis: quare eodem modo, quo prohibentur alia diuina officia V.g. Miſſa, horæ canonicæ &c. prohibentur etiam proceſſiones: vt aſſerunt communiter DD. in trac. de Interdicto his poſitis.

Reſpondeo, & Dico primo. Tempore Interdicti generalis, ſiue localis, ſiue perſonalis, non poſſunt publicè fieri ſacræ proceſſiones, nedum extra Eccleſias, & per vias; ſed nec etiam intra Eccleſias, apertis earum ianuis, vel alta voce, aut adhibito ſono organorum, vel campanarum.

Probatur, quia hoc modo prohibētur vniuerſaliter diuina officia: ergo etiam proceſſiones: vt patet ex dictis. Dixi non poſſe fieri proceſſiones publicè, ſeu alta voce &c. quia ſecretò fieri poſſūt ab Eccleſiaſticis intra Eccleſias, modo fiant ianuis clauſis, voce ita ſub miſſa, vt audiri nō poſſint ab illis, qui foris ſunt, abſque ſono campanarum, & excluſis laicis interdictis.

Probatur, quia & ſi olim tempore interdicti nullatenus celebrari permiſſum erat diuina officia; nihilominus poſtea per conſtitutionem Bonifacij VIII. in *cap. Alma mater de ſent. excom. in 6.* id conceſſum fuit ſub prædictis reſtrictionibus, nè cultus Deo debitus omnino ceſſaret: Conceſſum vero fuit omnibus Eccleſiaſticis Choro deputatis, exceptis perſonaliter, ſeu ſpecialiter interdictis: ergo pari modo cenſentur conceſſæ proceſſiones ſub eiſdem reſtrictionibus.

Quod ſi in Eccleſia tunc adſint perſonaliter interdicti, & expelli non poſſint: debent Eccleſiaſtici, ſicut à diuinis officijs ita, & à proceſſione deſiſtere: excepta Miſſa, quando in ea inceptus eſt Canon. vt fuſius tradunt DD. *in tract. de Interdicto*.

Dico Secundo. Si interdictum locale non ſit generale, ſed ſpeciale; tunc in Eccleſijs, & locis ſpecialiter interdictis, non poſſunt celebrari vllo modo diuina officia: atque adeo neque proceſſiones, nec etiam ſub reſtrictionibus explicatis: quia citatum cap. Alma mater illis non ſuffragatur. Ita DD. communiter tractantes de Interdicto.

Dico Tertio. In quibuſdam feſtis ſolemnioribus tempore generalis interdicti, ſiue localis, ſiue perſonalis, datur libera facultas celebrandi diuina officia, & conſequenter proceſſiones in omnibus Eccleſijs, exceptis ſpecialiter interdictis, per cit. *cap. Alma mater*: quare admitti ad ea poſſunt etiam perſonaliter, & ſpecialiter interdicti, quorum

rum cauſa latum eſt interdictum: modo iſti longe ſint ab Altari, ideſt non admittantur ad communionem. Item celebrari poſſunt diuina officia publicè ſolemniter, & alta voce pulſatis campanis &c. ſicut celebrari ſolent extra tempus interdicti. Sic fieri poteſt in Natali Domini, in feſtis Paſchæ, Pentecoſtes, & Aſſumptionis B.V. Additum fuit a Martino V. feſtum Corporis Chriſti cum Octaua, & à Leone X. feſtum conceptionis immaculatæ Dei genitricis, vt fuſius explicant DD. in tract. de Interdicto. Dixi exceptis Eccleſijs ſpecialiter interdictis: quia citato *cap. Alma mater* ſolum loquitur de interdicto generali, nec quicquam concedit locis ſpecialiter interdictis: quare ad rem noſtram, nec in eis congregari poſſunt celebraturi proceſſionem, nec perduci proceſſiones ad Eccleſias ſpecialiter interdictas.

TERTIO QVÆRITVR.

An tempore peſtis poſſint licitè fieri Proceſſiones.

Ratio dubitandi ex vna parte eſt, quia cum peſtis ſit morbus valdè contagioſus, ſerpens ex vno in plures; cumque ad proceſſiones concurrat multitudo populi, in qua ſunt plures peſte infecti; paratur pluribus periculum infectionis, & mortis, qui aliàs incolumes euaſiſſent, ſegragati ab aliorum conſortio: ergo rationes talis periculi non ſunt licitæ proceſſiones.

Ex altera parte, cum proceſſiones ſint medium efficax ad placandum Deum, & auertendam peſtem, ex dictis *Sec. 1. Punct. 8.* videtur licitum, & expediens eas tunc celebrare.

Hæc quæſtio à nemine, quem viderim diſcuſſa adhuc fuit, quare diligenter examinanda à nobis eſt: Cum ſit non leuis momenti, & proponemus validiora argumenta, quibus reddi videtur vtraque pars probabilis, & tandem reſoluemus quid ſentiendum.

Prima opinio eſſe poteſt abſolutè negans. Probatur primo. Quia nemini licet ſibi mortem inferre: ergo neque eſt licitum cuique ſe mortis periculo exponere: etenim, vt habetur *Eccleſ. 3. qui amat periculum, in illo peribit*: ſed concurrentes ad proceſſiones tempore peſtis ſe exponunt manifeſto infectionis, & mortis periculo: ergo &c.

Item qui ſunt cauſa infectionis, & mortis plurimorum multo magis peccant: ſed indicentes proceſſiones tempore peſtis, & conuocantes ad eas populum, ſunt cauſa mortis plurimorum: ergo &c.

Confirmatur primo. Quia ex communi doctrina Theologorum, qui indiſcretis ieiunijs, cilitijs, flagellis, & ſimilibus macerationibus corporis, vitam notabiliter abbreuiant, & mortem accelerant, grauiter delinquunt. Item qui talia prædicunt, & ſuadent, quia cooperantur eidem delicto: ergo à fortiori, grauiter peccant, tum concurrentes; tum conuocantes alios ad proceſſiones in quibus tempore peſtis eſt maius, & manifeſtius periculum.

Confirmatur Secundo, quia tempore peſtis prohibentur communiter omnes congreſſus, etiam ad Sacras functiones V. g. ad conciones ad pias Congregationes &c. ergo cenſentur etiam prohibitæ ſacræ proceſſiones, ob eandem rationem periculi maioris contagionis.

Probatur Secundo, quia tentantes Deum grauiter peccant, vt probat D.Thomas 22. *q.* 97. cum communi Theologorum aſſenſu. Conſiſtit autem tentatio Dei in hoc, quod quis omiſſis medijs naturalibus, & conſuetis V. g. ad procurandam ſanitatem, petit illam miraculosè à Deo, qui tamen vult ſeruari ordinem naturalem, & cauſas naturales adhiberi, quantum fieri poteſt: Sed in caſu noſtro omittitur primum, & naturale medium vitandæ infectionis, videlicet fuga conſortij aliorum: eo quia in proceſſionibus quilibet ſe miſcet cum multitudine conuenienti ad eas: & petitur miraculosè peſtis auerſio: ergo &c.

Nec obſtant exempla ſedatæ, vel extinctæ peſtilentiæ in vim proceſſionum; de quibus dictum eſt loco ſupra citato, quia hic felix euentus non ſucceſſit, niſi ex proceſſionibus indictis, & ordinatis à viris ſanctiſſimis, qui peculiari Dei inſtinctu creduntur ſic ordinaſſe: quare non poteſt inde ſumi regula faciendi proceſſiones tempore peſtis indiſcriminatim, ſed ſolum quando admouentur Prælati diuino impulſui: multo enim plura ſuppetunt exempla auctæ, & dilatatæ peſtis occaſione proceſſionum: eo, vel maxime, quia poteſt auxilium Dei implorari orationibus priuatis: vel fuſis communiter ad ſonum campanæ, à ſingulis tamen in ſuis domibus recluſis.

Secunda opinio affirmans proceſſiones eſſe licitas tempore peſtis, ſuaderi etiam poteſt validis argumentis.

Probatur primo. Quia proceſſiones huiuſmodi cenſentur ab Eccleſia permiſſæ, imo, & approbatæ. Siquidem in *Rituali Romano Tit. de proceſſionibus* apponitur etiam proceſſio celebranda tempore peſtis, & mortalitatis: ibique præſcribuntur præces in ea recitandæ: ergo ſunt omnino licitæ: Neque enim Eccleſia proponeret, quod illicitè eſſet exequendum: neque Prælati Sanctiſſimi qui eas celebrarunt, dediſſent ſuo exemplo anſam celebrandi proceſſiones illicitas: ſed potius declaraſſent abſolutè fieri non poſſe, niſi ex peculiari impulſu Spiritus Sancti, quod tamen non fecerunt: ergo &c.

Probatur Secundo. Et ſimul reſpondetur ad primum argumentum primæ opinionis. Quamuis enim nemini ſit licitum ſibi ipſi mortem inferre directè, & ex intentione perdendi vitam tanquam exoſam: vel ex ſimili intentione periculo mortis ſe exponere; Nihilominus licitum, & meritorium eſſe poteſt, vitam hanc temporalem periculis etiam manifeſtis exponere ex iuſta, & rationabili cauſa: Sed in caſu noſtro indicentes proceſſiones, & concurrentes ad eas, habent iuſtam cauſam exponendi vitam periculo: ergo &c. Maior propoſitio eſt certa ex communi doctrina Theologorum, & inferius probabitur multis exemplis,

Minor probatur, quia cum proceſſiones, & publicæ ſupplicationes ſint medium aptiſſimum placandi diuinam indignationem, & auertendi flagellum peſtilentiæ ex dictis *ſect.1. punc.8.* & ſecuto tali effectu conſulatur communi bono, & ſaluti pluriorum, quod ſatis probabiliter ſperari poteſt; iuſtè, & ſatis rationabiliter operantur celebrantes proceſſiones in eum finem, etiam ſi plures ex ipſis ſint perituri: quia meritò exponunt ſuam vitam periculo ob incolumitatem reipublicæ, ſeu communitatis, vel etiam proximorum in particulari,

Probatur tertio, & roboratur præcedens argumentum multis exemplis. Primo enim in bello iuſto milites exponunt periculo ſuam vitam: & quilibet miles nedum poteſt, Sed, & tenetur non deſerere ſuam ſtationem, etiam ſi certus ſit ſe occidendum: quia tamen adeſt iuſta cauſa bellandi, & Spes victoriæ; omnes fatentur bellum eſſe licitum: Ergo in caſu noſtro, cum peſtis ſit bellum diuinum contra mortales, & Deum nos vincere non poſſumus, niſi orationibus, & ſupplicationibus: ac præſertim adhibitis proceſſionibus, & publicis præcibus, eſt quæ ſatis probabilis Spes Victoriæ, & diuini flagelli auerſio; ergo non obſtante periculo vitæ aliquorum, licitè fiunt proceſſiones tempore peſtis.

Secundo. In quolibet caſu infirmitatis mortalis, quando deſperata eſt ſalus, licitum eſt medico præbere pharmacum egrotanti, ex quo probabiliter ſperatur ſalus, quamuis non abſque periculo accelerationis mortis; & poteſt licitè infirmus illud ſumere: ſed in caſu noſtro magis probabiliter ſperari poteſt ſalus, & liberatio a peſte per orationes, & præſertim per publicas ſupplicationes, quam per remedia naturalia, quæ communiter ſunt inutilia: ergo ad auertendam peſtem, poſſunt licitè fieri proceſſiones, non obſtante periculo maioris infectionis: eo, quia graſſante peſte, deſperata cenſetur plurimorum ſalus.

Tertio. In extrema neceſſitate famis, poteſt alter alteri cedere panem, quem habet, & ſinere ſe mori. Item in naufragio poteſt alter alteri cedere tabulam, quam habet, & permittere ſe vndis: quia adeſt iuſta cauſa, videlicet officium Charitatis erga proximum: ergo etiam tempore peſtis, quando omnes periclitantur, poſſunt celebrantes proceſſionem ſe exponere periculo mortis ad impetrandam à Deo aliorum ſalutem: de quibus exemplis, & ſimilibus videri poſſunt DD, *in tract. de homicidio*.

Tandem, quid plura? licitum eſt, & ingentis meriti opus ſeruire peſte infectis, & eorum cadauera ſepelire cum euidenti periculo vitæ ipſorum inſeruientium; Cur ergo non erit licitum celebrare proceſſiones ad impetrandam à Deo peſtis auerſionem, cum ſimili vitæ periculo? Huic opinioni fauent omnes illi auctores, qui referunt proceſſiones tempore peſtis celebratas, & valdè commendant, quos ſupra citauimus *ſect. 1. Punct. 8.*

Tertia ſententia media, cui tanquam probabiliori adhereo, poteſt eſſe meo iudicio, cum hac moderatione: vt permitti non debeant proceſſiones tempore peſtis, nec cenſeri licitæ quomodolibet, & conuocatis omnibus indiſcriminatim, ſeu non adhibitis cautelis moraliter poſſibilibus ad obuiandum periculis. Cœterum cum ſacræ proceſſiones ſecundum ſe licitæ ſint, & valdè vtiles; etiam tempore peſtis fieri poſſunt, ſeruatis tamen nonnullis circumſtantijs, quas Chriſtiana prudentia dictat, & breuiter ſubijciemus.

Prima pars huius reſolutionis probatur ſufficienter argumentis primæ opinionis ſupra explicatis,

Secunda vero pars abundè probatur argumentis adductis in fauorem ſecundę opinionis.

Quænam autem circumſtantiæ ſeruari debeant, vt dictæ proceſſiones ſint licitæ, prudentis iudicio determinandæ erunt: & nos aliquas hic proponimus. Prima ſit, vt non fiant huiuſmodi proceſſiones, niſi euidens vrgeat neceſſitas, quando experientia conſtat humana remedia eſſe inutilia. Secunda, vt non conuocentur confuſè, & indiſcriminatim omnes, exemplo Sancti Caroli Borromei, qui excluſit pueros, & mulieres. Tertia vt conuocati diuidantur in plures turmas, exemplo Sancti Gregorij Magni, vt vitetur confuſio, Quarta, vt procedant omnes ſeruato ordine, binio cum diſtantia ab inuicem maiori ſolita, Tandem vt ante proceſſionem excitentur omnes ad pœnitentiam, & ad firmam in Deum fiduciam, exemplo dicti S. Caroli, qui omnium capita cineribus aſperſit, & ipſe fune ad collum alligata, Crucem baiulans deuotiſſimè proceſſit: atque ſimiles cautelæ adhiberi poterunt,

Supereſt, vt Reſpondeamus argumentis priorum opinionum, quatenus ex parte obſtant noſtræ ſententiæ,

Ad Primum argumentum, Primæ opinionis. Reſpond. ex cauſa rationabili non eſſe illicitum ſe quempiam exponere mortis periculo: vita enim hæc temporalis non tanti æſtimanda eſt, vt præferri debeat officijs charitatis, & aliarum virtutum.

Ad Secundum de tentatione Dei reſpondetur, Non eſſe licitum petere a Deo miracula abſque neceſſitate, vel ad experiendam Dei potentiam, quando ſuppetunt media naturalia ad finem intentum: Cœterum quando neceſſitas eſt euidens, nec aliunde ſperatur ſalus, non eſſe illicitum.

Ad Primum argumentum ſecundæ opinionis reſpondetur ab Eccleſia, & SS. PP. approbari proceſſiones dictas, ſi prudenter fiant, & cum debitis circumſtantijs: ſecus vero non item. Reliqua argumenta non obſtant, ſed fauent noſtræ Sententiæ.

PVNCTVM IV.

De Præcedentia, & locis honoratioribus in Proceſsione.

EX dictis ſupra Sect. 1. Punc. 6. Conſtat Sacras proceſſiones debere incipere à minus dignis, & gradatim in eis ſequi digniores: atque adeo locos poſtremos eſſe honorationes: Videndum eſt

ergo

ergo quinam ſint in proceſſionibus alijs præferendi, & quibus competant loci honoratiores.

PRIMO QVÆRITVR.

De Præcedentia debita Clero Sæculari.

RESpondeo, & Dico primo. In proceſſionibus debetur ſupremus, & honoratior locus Clero Sæculari; vt conſtat, tum ex communi praxi: tum iure antiquo Sacrorum Canonum: tum nouiſſimè ex Bulla Gregorij XV. quę incipit *Alias felicis, &c.* Ratio eſt primo, quia ſtatus Clericalis ratione finis ſublimioris, & diuinioris, ad quem ordinatur, excellit, & ſupereminet cæteris ordinibus monachorum, & fratrum, vt ſupra diximus hac *ſect.3. punc.2. quæſt.4.* meritò ergo debetur illi præcedentia, ſeu locus dignior, & melior.

Probatur ſecundo, quia præcedentia debetur ratione antiquitatis, iuxta vulgatam iuris regulam, *qui prior eſt tempore, potior eſt iure:* ſed ſtatus clericalis eſt prior, & antiquior ſtatu monachorum, vt potè inſtitus à D.Petro, & Apoſtolis: ergo &c. videri poteſt Suarez *de Relig. tom.4. lib.1. de Varietate Relig. cap.7.*

Confirmatur, quia profeſſores ſtatus Clericalis, tanquam deſcendenres veluti recta linea à D.Petro, & Apoſtolis, vt tradit Ferrus *tract. de Præcedent. quæſt. 4.* habentur, vt filij primogeniti Eccleſiæ; & honor illis exhibitus poſt Deum, refertur immediatè ad D.Petrum: ſic enim quando Sacerdos aliquis ſęcularis ratione conditionum perſonalium videtur non mereri honorem, & venerationem; dicere illi ſolent fideles, in te veneror D. Petrum: e contra monachis, & frattibus, in te veneror D.Benedictum; D.Franciſcum, vel Dominicum, &c. ergo profeſſoribus ſtatus Clericalis, tanquam primogenitis debetur præcedentia ſuper alios. Ita DD. communiter, vt videri poteſt apud Barboſ. *Sum. Apoſt. Deciſionum verbo præcedentia.*

Ex quibus ſequi videtur, cum Clerici Regulares profiteantur etiam ſtatum clericalem propriè dictum, imo, & magis conformem priſtinæ illi viuendi formæ, quam profeſſi fuerunt Apoſtoli; deberi etiam illis præcedentiam ſuper Monachos, & in proceſſionibus eos procedere debere immediatè ante Clericos ſæculares, quibus ſemper competit locus dignior. Cœterum hoc remittendum eſt ſuperiorum iudicio.

Dico ſecundo. Inter ipſos clericos, & Sacerdotes ſęcularès honoratior locus debetur dignitatibus, & Canonicis Eccleſiæ Cathedralis, ſecundus locus debetur canonicis Eccleſiarum colleggiatarum, tertius competit Parochis, vltimus, & inferior alijs Sacerdotibus, & Clericis.

Ratio eſt, quia Eccleſia Cathedralis eſt mater, & caput aliarum, & per anthonomaſiam dicitur ſponſa Epiſcopi: & ſic eius miniſtri cenſentur alijs digniores. Item Canonici Eccleſiæ Cathedralis immediatius, & tanquā membra digniora vniuntur, & adherent Epiſcopo, qui eſt Princeps, & caput omnium Eccleſiaſticorum ſuæ diœceſis: adeoque debetur illis præcedentia ſuper alios: vnde Archidiaconus dicitur oculus Epiſcopi, quaſi ab eo in ſpecula poſitus, vt cum Gloſa, & alij notat Barboſa *de Canonicis, & Dignitat. cap.5. num.5.* & ſimiliter, tanquam partes nobiliores eiuſdem corporis myſtici adherent Epiſcopo, qui eſt caput, aliæ Dignitates, & Canonici Cathedralis: ergo meritò alijs præferuntur. Ita DD. communiter apud Barboſam *de Poteſt. Epiſcop. p.3. Alleg.78. & in Sum. Apoſt. Deciſ. verbo præcedent.* & fusè Caſſaneus *in Catalogo gloriæ mundi p.4. Conſid. 32. & ſequentibus.*

Colligitur Clero Sæculari deberi ſemper, & vbique præcedentiam ſuper Regulares, etiam in ipſorum Regularium Eccleſiis: vnde permitti non poteſt ab Epiſcopis, Clericis prædictis, & Sacerdotibus ſæcularibus in proceſſionibus permixtim incedere cum Regularibus: Sicuti pluries declaratum fuiſſe à Sac. Rit. Congreg. teſtantur Barboſa ſupra citatus, Nouarius *in Lucerna verbo proceſſio n.4.* Lezana cum alijs *Sum. eodem verb. n.3.*

SECVNDO QVÆRITVR.

De Præcedentia Regularium inter ſe ipſos.

CErtum eſt ſecundum omnes; Regulares debere in proceſſionibus incedere immediate ante Clerum Sæcularem: atque adeo illis competere ſecundum locum, attento proceſſionis ordine, vt notum eſt. Quæſtio eſt ergo de præcedentia inter ipſos Regulares diuerſorum ordinum.

Reſpondeo, & Dico primo. Ad ferendum iudicium de præcedentia inter Regulares, duo communiter attendi debenr, videlicet prioritas temporis inſtitutionis, ſeu fundationis cuiuslibet Religionis cum approbatione Apoſtolica; ita vt Religio antiquior debeat præferri minus antiquæ: niſi ex ſpeciali priuilegio Sedis Apoſtolicę alicui Religioni tempore poſteriori fundatę competat pręcedentia ſuper antiquiores. de qua re videri poteſt Ferrus *in trac. de præcedentijs cap.45.* & Caſſaneus *in Catal. p.4.* loco citato. Secundo attendi debet conſuetudo ſingulorum locorum, in quibus fit proceſſio: hæc enim ſeruari debet non obſtante prioritate fundationis: Item non obſtante, quod iuri communi repugnet. Sicut ex varijs Deciſ. Rotæ Romanæ, & ex Decretis Sac. Rit. Congregat. probant Barboſa *Alleg. ſæpius citata 78.* citans Riccium, & alios. Lezana *Sum. verbo proceſſio n.4.* Naldus *Sum. Verbo præced.* alijque communiter.

Dico ſecundo. Iudicium de eadem præcedentia inter Regulares pendet etiam ex varijs Bullis Summorum Pontificum, & ex pluribus decis: S. Rit. Congreg. hac de re editis. Porrò circa earum vigorem attendi debet, qualiter fuerint vſu receptæ in locis vbi fit proceſſio: & an contraria con-

ſuetudine fuerint obrogatæ; Quid autem contineant prædictæ Bullæ, ac Deciſ. breuiter hic ſubijciemus.

Deciſiones Apoſtolicæ, ac Sac. Rituum Congregationes circa præcedentiam inter Regulares.

1. PRæcedentiam habent Canonici regulares lateranenſes ſupra Monachos Caſſinenſes, & ſupra omnes alios regulares. Pius V. *conſtit. 75. incipit Romanus, & conſtit. 116. incipit cum exordmum*.

2. Præced. habent Fratres Prædicatores ſupra alios fratres mendicantes, & non mendicantes. Pius V. *conſtit. 71 incipit Diuina*.

3. Monachi præced. habent ſupra mendicantes. Deinde inter ipſos monachos præcedentia debetur Cœleſtinis ſupra Oliuetanos, & Oliuetanis ſupra monachos Montis Virg. ex declarat S. Rit. Congreg. apud Nouarium in *Lucerna verb. præcedent.* & apud Lezanam. *Sum. eodem verbo*.

4. Præced. habent fratres Minores de obſeruantia Sancti Franciſci ante fratres minores conuent. Leo X. *Conſtit. 26. incipit licet &c.*

5. Preced. habent fratres Minores de obſeruant. ſupra fratres Ieſuatos ex declar. S. Congreg. apud Barboſam. *Sum. Apoſt. deciſ. verbo præced. n. 25.*

6. Fratres S. Mariæ de Monte Carmelo præcedunt fratres S. Mariæ de Mercede Redemp. Capt. Clemens VIII. *conſtit. 95. incipit Decet &c.*

7. Illi, qui ratione conſuetudinis ſolent præcedere alijs, vel qui ſunt in poſſeſſione, vel quaſi poſſeſſione præcedendi alijs manuteneri debent indicta poſſeſſione, non obſtantibus reclamationibus, & appellat: quibuſcumque Gregor. XIII. *in Bulla quæ incipit Expoſcit &c.*

8. Præcedentia in proceſs. obſeruari debet iuxta præcedentiam fundationis monaſteriorum in illo loco, in quo fit proceſſio, & non iuxta præcedentiam originis, ſeu antiquitatis Religionum; Gregor. XIII. *in citata Bulla expoſcit* niſi obſtet conſuetudo incontrarium, & de prædictis Deciſ. videri poſſunt Barboſa locis citatis. Martinus à S. Ioſeph *in Declar. Bullarum*. Caſtainch. de *priuil. Reg. p. 2. trac. 8. cap. 4.* Lezana, Nouarius, alijque locis citatis.

9. Tandem ad tollendas omnes lites id demum, deciſum fuit à S. Congreg. Epiſcop. & Reg. vt in futurum illud, ſeruetur, quod in Alma Vrbe, ſeu Romę in proceſſionibus ſeruatur; & facto verbo cum Sanctiſſimo, ita obſeruari decreuit. apud Lezanam *Sum. verbo præced. n. 6.* Ordo autem eſt inſraſcriptus, quem ex authenticis teſtimonijs notat idem Lezana.

Ordo præcedentiæ inter Regulares, qui Romæ obſeruatur in proceſſionibus.

1. POſt pueros, & ſeculares primo incedunt Fratres Reformati S. Auguſt. 2. Fratres S. Mariæ dictæ de Miracoli 3. Capuccini 4. Fratres S. Ioannis de Deo 5. Fratres ordinis B. Mariæ de Mercede 6. Fratres Ieſuati 7. Fratres S. Honofrij 8. Fratres S. Hieronymi Congreg. S. Petri de Piſis 9. Minimi 10. Fratres Minores S. Franciſci 11. Auguſtiani 12. Carmelitæ 13. S. Ambroſij ad Nemus 14. Seruitæ 15. Fratres Dominicani 16. Monachi S. Alexij 17. Canonici Reg. S. Petri ad Vincula 18. Oliuetani 19. Cœleſtini 20. Ciſtercienſes 21. Valliſumbroſani 22. Camaldulenſes S. Gregorij 23. Caſſinenſes 24. Canonici Regulares Lateranenſes, & S. Saluator is in Lauro, hæc ſatis plura videri poſſunt apud citatos auctores.

TERTIO QVÆRITVR.

De loco in proceſſionibus debito confraternitatibus Laicorum.

REſpondeo, & dico primo, Confraternitates Laicorum, cum non pertineant ad ſtatum Eccleſiaſticum, qui dignior eſt, & ſublimior ſtatu laicorum; cedunt loco omnibus Eccleſiaſticis, ideo tribuitur illis locus inferior: & ante omnes Regulares inceduut, vt minus digni: de quibus ſic ſcribit noſter Caſtaldus in *Praxi Cærem lib. 2. Sect. X. n. 6. Primum procedunt laicorum Sodalitates cum proprio vexillo Serico oblongo in haſta appenſo, in cuius ſummitate parua Crux erit: velum vero erit coloris cuiuslibet ſodalitatis proprij, cum imagine Sancti, ſeu Myſterij, ſub quo militat: deferatur autem à Sodate ſacco induto &c.*

Dico Secundo. Quo ad præcedentiam confraternitatum interſe, quando plures Secularium ſodalitates ad proceſſiones conueniunt, illi debetur præcedentia, cuius Sodales prius vſi ſunt Saccis: non habita ratione prioritatis, ſeu maioris antiquitatis fundationis earum; ita enim deciſum habetur in Bulla Gregorij XIII. ſupra cit. quæ incipit, *expoſcit*, & docent Lezana *ſum. verbo præced. n. 5.* & Barboſa *ſum. Apoſt. Deciſ. verbo confraternitas n. 29.*

QVARTO QVÆRITVR,

Ad quem pertineat decidere lites præcedentiæ.

REſpondeo, & dico primo, Pertinere ad Epiſcopum, ſeu ordinarium loci, in quo fit proceſſio; vt conſtat ex Concil. Trid. *ſeſſ. 25. cap. 13.* vbi ſic

vbi ſic habetur. *Controuerſias omnes de præcedentia, quæ ſæpè maximo cum ſcandalo oriuntur inter Eccleſiaſticas perſonas, tam Seculares, quam Regulares, tum in proceſſionibus publicis, tum in ijs, quæ fiunt intumulandis defunctorum corporibus, & indeferenda vmbella, & alijs ſimilibus, Epiſcopus amota omni appellatione, & non obſtantibus quibuſcumque componat*: hactenus Concil. & fuſius explicant Barboſa, Lezana, Nouarius locis ſupra citatis *verbo præcedentia*.

Dico ſecundo. Compoſitio prædicta ex facultate Epiſcopis conceſſa per Trid. debet ab eis fieri breui manu, ſummariè, & de plano, ſine ſtrepitu, & figura iudicij, ſicuti declaratum fuiſſe à S. Rituum Congreg. referunt Campanile *in diuerſorio iuris Rub. 12. cap. 13. num.* 120. Barboſa *Sum. Apoſt. Deciſ. verb. præced.* Lezana loco citato cum Nouario, & alijs.

Quod autem dicitur in eodem Trid. vt fiat omni appellatione remota, intelligi debet, vt appellatio reijciatur quo ad effectum ſuſpenſiuum: non autem quoad ad effectum deuolutiuum, & docent auctores citati.

Dico tertio ortalite, & controuerſia de præcedentia ipſo tempore proceſſionis; ſi de iure partium non conſtet incontinenti; optimus compoſitionis modus erit ſi controuertentes excludantur tunc à proceſſione, poſt modum audiendi ſalua eorum iuſtitia. Sic enim non impeditur proceſſio, nec controuertentibus creatur præiudicium. Ita cum Rodriquez, Peirinis, & alijs docet Lezana *Sum. verbo præcedent. & verbo proceſſio numer. 5.*

PVNCTVM V.

De proceſſione funerali in exequis defunctorum.

SOlent plures oriri controuerſiæ, quando ad proceſſiones funerales vocantur regulares: præſertim ſi corpus defuncti ſepeliri debeat in aliqua Eccleſia ipſorum Regularium: ad quarum compoſitionem Doctorum ſententias hic referemus: de qua materia loculenter nouiſſimè ſcripſit Barboſa *de Poteſtat. Parochi p. 3. cap. 26.*

PRIMO QVÆRITVR.

Ad quem locum accedere debeant Regulares ad aſſociandum funus inuitati.

REſpondeo, & dico primo, omnes inuitati ad proceſſiones funerales accedere debent ad Eccleſiam Parochialem defuncti, & in ea congregari, etiam Regulares, licet corpus defuncti deferendum ſit ad ſepeliendum ad Eccleſiam Regularium: Amplia etiam ſi corpus defuncti leuandum ſit e domo ſita prope Eccleſiam illam Regularem, ad quam eſt deferendum, & Parochialis longius diſtaret: Ita enim deciſum fuiſſe à Sac. Rit. Congreg. refert Lauorius *de funer. Tit. 2. cap. 3. num.* 101. & tradit etiam Bordonus *de controu. mortuor. controu.* 43. Barboſa ſupra.

Colligitur non licere Regularibus expectare in plateis, & vijs Parochum, & Clerum ad aſſociandum funus; ſed debere cum illis congregari in Eccleſia Parochiali, vnde incipere debet proceſſio: ex declaratione Sac. Congreg. apud Lezanam *Sum. verbo defunctus nu.* 3. & Barboſam loco citato.

Dico ſecundo. Non eſt licitum Regularibus vocatis ad aſſociandum funus, intrare in Eccleſiam Parochialem proceſſionaliter cum Cruce, imo neque intra fines Parochiæ, niſi expettato proprio defuncti Parocho, eoque ibidem præſente. Item non eſt licitum, neque Regularibus: neque Præsbiteris Secularibus leuare cadauera defunctorum e domo, in qua ſunt, niſi de licentia, & conſenſu proprij Parochi: ita deciſum fuiſſe à S. Rit. Congreg. refert Lezana *Sum. com. 1. cap. 10. nu.* 18. & *tom. 2. cap. 1. num.* 31. citans alios vide etiam Quarantam *in Sum. Bullarum*. Limita primo niſi Parochus requiſitus expreſsè recuſet: in hoc enim caſu prædicta ſunt licita DD. citati. Limita ſecundo, niſi Religioſus aliquis mortuus fuerit extra ſuum monaſterium, V.g. in domo conſanguineorum: tunc enim ſuperior Regularis poterit curare, vt corpus illius Religioſi deferatur ad propriam Eccleſiam regularem inconſultis Parochis, vt declarauit S. Congreg. apud Bordonum *Controu. cit.* & Barboſam loco citato. Quid autem dicendum ſit in ſimili caſu de Tertiarijs videri poteſt apud eundem Barboſam *de Poteſtat. Parochi p. 3. cap. 26. num. 69.*

Dico tertio, in proceſſionibus funeralibus vna tantum Crux præferri debet illius videlicet Eccleſiæ, ad quam corpus defuncti ſepeliendum defertur: niſi ad aſſociandum funus inuitatum ſit, & accedat capitulum Cathedralis: tunc enim ſub Cruce Eccleſiæ Cathedralis omnes aſſociantes funus incedere debent ex declaratione S. Congreg. apud Lezanam *Sum. verbo Crux*, & apud Barboſam *Sum. Apoſt. Deciſ. eodem verbo*: cum alijs, quos allegant. Quamuis Bordonus *Controuerſ. mortalibus controu. 43. num.* 34. dicat id non ſeruari; imo à ſingulis ordinibus dicat ferri debere propriam Crucem, & citat pro ſe Lauorium.

SECVN-

SECVNDO QVÆRITVR.

V.G. Quando ad funus accedunt Canonici, cum capitulo Cathedralis; debeant omnes inuitati congregari in Eccleſia Cathedrali omiſſa Parochiali.

PRima opinio ſuſtinet debere omnes Congregari in Eccleſia Cathedrali. Probatur primo. Quia non decet Capitulum Cathedralis, quod eſt omnium digniſſimum accedere ad Eccleſias inferiores in recognitionem, & quoddam obſequium Parochorum: ſed potius in obſequium Canonicorum Cathedralis, qui meritò alijs præferuntur, debent omnes ad Eccleſiam Cathedralem accedere.

Probatur ſecundo. Quia in proceſſione deferri debet vna Crux capituli Cathedralis, ſub qua omnes proceſſuri ſunt, vt ſupra dicebamus: ergo incipere debet proceſſio ab Eccleſia Cathedrali, & ibi Crux erigenda: ergo omnes inuitati congregari debent in Eccleſia Cathedrali: atque ita ſuſtinet Paroletto in *Clericali Paleſtra p. 3. Cap. 5.* & ſic ait ſeruari in aliquibus locis, vnde videtur probabilis ſententia.

Secunda opinio probabilior docet debere omnes conuenire ad Eccleſiam Parochialem defuncti, etiam capitulum Cathedralis.

Probatur primo ex dictis ſupra *q. 1.* quia videlicet ex declaratione S. Congreg. omnes debent accedere ad Eccleſiam Parochialem defuncti nulla facta exceptione; ergo etiam à Capitulo Cathedralis id ſeruari debet.

Probatur Secundo, quia hoc pertinet ad iura parochialia: ius autem ſuum vnicuique tribui debet etiam inferiori a Superiori, vel magis digno, ita DD. communiter apud Bordonum de *Controu. morali controu.* 43.

Ad Argumenta primæ opinionis. Reſpondetur ad primum. Obſequium, & honorem debitum Canonicis, & Capitulo Cathedralis ſufficienter ſaluari in eo, quod in proceſſione incedant poſtremo, & digniori loco; cœterum in reliquis ſeruari debent iura Parochorum.

Ad ſecundum. Reſpondetur Crucem Cæthedralis non erigi pro totà proceſſione, niſi in Eccleſia Parochiali; Quod ſi capitulum Chathedralis velit proceſſionaliter accedere ad Eccleſiam Parochialem, id per accidens eſt, neque inde inferri poteſt teneri omnes accedere ad Cathedralem.

Colligitur ex dictis, ſi aliquis fortè moriatur intra Eccleſiam, quæ non ſit Parochialis: & inde ſit leuandum corpus defuncti, ac deferendum in aliam Eccleſiam, in hoc caſu aſſociaturi funus, & ad proceſſionem vocati, accedere debent non ad Eccleſiam Parochialem, ſed ad Eccleſiam, in qua reperitur defunctus: quia deinde incipere debet proceſſio: idemque dicendum, ſi corpus defuncti ſit in Eccleſia loco depoſiti, & ex ea, in aliam transferendum, vt ex declarat. S. Congreg. aſſerunt Barboſa de *Poteſtate Parochi p. 3. cap. 26. num. 65.* & Bordonus *cit. Controu.* 43.

TERTIO QVÆRITVR.

An Parochi, vel alij Sacerdotes Sæculares poſsint in Eccleſijs Regularium officium facere circa cadauer.

REſpondeo negatiuè. Ratio eſt quia neque Parochi, neque Canonici, aut alij Sacerdotes Seculares ius habent celebrandi officium aliquod in Eccleſijs, vel Monaſterijs Regularium: vt docent communiter DD. Abbas *in Cap. Dilectus de Capell.* Calderinus *Conſil. 6. num.* 1. Rota Romana in *vna iurium Paroch. Venet.* 23. *Martij* 1629. *coram Card. Virile*, & alij plures, non obſtante quauis contraria conſuetudine, vt infra.

Confirmatur. Quia ita plures fuit expreſsè decisum à S. Congreg. vt referunt Lezana, Bordonus locis citatis Gauantus in *Enchir. verbo exequiæ num.* 26. alijque; Sed quia Parochi, & Sacerdotes Sæculares non acquieſcunt atteſtationibus auctorum Regularium; referam hic ad verbum ea, quę de hac controuerſia ſcribit auctor Sęcularis in hac materia verſatiſſimus, nempe Barboſa de *Poteſtate Parochi p. 3. cap. 26. nu.* 80. *& ſequentibus*, vbi ſic habet.

1. *Parochi, Defunctorum in Regularium Eccleſijs humadorum corpora; vſque ad eaſdem Eccleſias aſſociare, ac etiam in illis permanere poſſunt abſque tamen eo, quod in officio decantando vllatenus ſe intromittant S. Congreg. Epiſcop. & Reg. in Nicoteren. 6. Iulij 1615. Poſſunt quidem Parochi domi, & per viam officium facere; poſt quam vero Cadauer fuerit collocatum intus Eccleſiam Regularium, debet Parochus recedere: & officium facere debent ipſi Regulares S. Rit. Congreg. in Eugubina 12. Maij, & 5. Iulij. 1614. & in Placentina, & Licienſi 23. Maij 1619.*

2. *Subdit idem Barboſa n. 81. Nam Clerus Secularis, poſtquam Chriſti fidelium cadauera in fratrum Religioſorum Eccleſijs ſepelienda aſſociauerit, in eiſdem Eccleſijs ſuper huiuſmodi Cadaueribus officium defunctorum Pſalmos, & Reſponſoria, alia ſue praeces recitare non poteſt: Sed ab ipſis Religioſis dumtaxat hac omnia peragenda ſunt eadem S. Congreg.*

3. *Addit idem auctor n. 82. Officium enim intumulandis cadaueribus in Eccleſijs Regular. non per Parochum ſeu alios preſbiteres Seculares, ſed per eoſdemmet Regulares fieri debet, non obſtante quauis in contraria conſuetudine; vt cenſuit S. Rit. Congreg. in Eugubina 12. Martij 1612.* actenus Barboſa qui etiam videri poterit *in ſum. Apoſt. Deus Verbo defunctus.*

Porrò extra Eccleſias Regularium, quando defunctus ſepeliendus eſt, in alia Eccleſia Sacerdotum Secularium; officium facere pertinet ad Parochum.

rochum, intra cuius Parochiæ limites extat Eccleſia, non autem ad ſacerdotes talis Eccleſiæ, & ita reſponſum fuit à S.Rit. Congreg. apud Barboſam *Loco ſupra cit.n.* 80.

Colligitur ex ſupra dictis, ſi moriatur aliquis Secularis intra Clauſtra Regularium, non electa ibi ſepultura, tunc licet deferendum ſit cadauer ad Eccleſiam Parochialem; non tamen ſpectare ad Parochum leuare Corpus intra Clauſtra exiſtens, ſed ad ipſos Regulares vſque ad extremum ſuorum finium: & inde incipit Parochus exercere ſuum munus: ita Bordonus *Controu. Moral. controu.* 43.

QVARTO QVÆRITVR.

Ad quem pertinet dirigere proceſsiones Funerales.

Reſpondeo, & dico primo hoc munus (Congregata proceſſione) pertinet ad Parochum; Quarè poteſt Parochus ordinare per quam viam ſit incedendum, & deferendum corpus ad Eccleſiam ſepulturæ, etiam quando in Eccleſia Regularium tumulari debet; poteſt quæ omnia diſponere vſque ad ianuam Eccleſiæ Regularis, ad quam defertur corpus, & non vltra, ita deciſum fuiſſe à S. Congreg. referunt Barboſa *loco citato n.* 74.& in *Sum. Apoſt. Decіſ. Verbo funerale.* Nouarius *in lucerna verbo defunctus n.*4. Lezana *eodem ver. n.* 4. vbi notandum eſt ad inſtructi onem Parochorum ex alia declaratione S.Congreg. apud Gauantum in *Euchir verb. ex quia n.* 25.& apud Naldum *verb. ſepult. n.* 17. proceſſionem funeralem dirigi debere recto tramite, & breuiori via, e domo, vnde leuatur Corpus defuncti ad Eccleſiam, in qua tumulari debet.

Dixi congregata proceſſione: quia inuitare, & conuocare ad proceſſionem Sacerdotes Seculares, vel Regulares huius, vel illius ordinis, & eorum numerum determinare, ſicut, & numerum, & quantitatem ceræ de pertinet ad heredes defuncti. Si verò dicti hæredes non deſtinauerint, quinam ſint conuocandi ad aſſociandum funus; tunc in hoc caſu ius conuocandi aſſociaturos funus pertinet ad Parochum, prout ipſi placuerit: nec tenetur Parochus vocare viciniores &c. ſicut ex deciſ. Rotæ, & ex declaratione S. Congreg. docet Barboſa, *de Poteſt. Parochi p.3. cap.26. num.* 57. *& ſequent.* Nec vnquam Parochus poteſt excludi, vt notat idem Barboſa.

Dico Secundo. Parochus ratione muneris, que ex officio exercet in exequijs defunctorum, & proceſſionibus funeralibus, præcedit Canonicos collegiatarum: & alios præsbiteros: non vero canonicos Cathedralis ex decreto S.Congreg. apud Barboſam *ſum. Apoſt. Decіſ. verbo Parochus*, & apud Lezanam *ſum. verbo defunctus*.

QVINTO QVÆRITVR.

An Regulares teneantur ſoluere Parochis, vel alijs quartam funeralium, ſeu Canonicam portionem.

PRæmittendum eſt primo iure communi deberi Parochis, vel Eccleſiæ Cathedrali, aut Epiſcopis, iuxta locorum conſuetudinem, quartam funeralium ab Eccleſijs non Parochialibus, in quibus ſepeliuntur fideles, quæ etiam dicitur canonica portio; quia à Sacris Canonibus aſſignatur propter onus, quod ſubeunt Parochi in adminiſtrandis Sacramentis, & in alijs functionibus ad curam animarum ſpectantibus, in ipſorum Parochorum ſuſtentationem: vt conſtat ex Clem. *Dudum de Sepulturis, & ex cap.*1. *& cap. relatum de Sepulturis.*

Præmittendum ſecundo, Regulares communiter eſſe exemptos à prædicto onere ſoluendi quartam per priuilegia authentica Sedis Apoſtol. inſerta in Bullario, & ea referunt DD. communiter apud Barboſam *de Iure Eccleſia p.*3. *cap.*14. *& de Poteſtate Parochi p.*3. *cap.*25. & apud Lezanam *ſum verbo quarta*: atque exarata inueniuntur in varijs compendijs Priuilegiorum ipſorum Reg. præſertim Peregrinus *in compendio Priuilegiorum de Reg. tit. quarta fun.* ſic ait per Priuilegia Conceſſa à diuerſis Romanis Pontificibus, & à Paulo V. confirmata inhibetur omnibus Epiſcopis, & Parochis in virtute Sanctæ obedientiæ, ne à nobis quartam funer. exi ipere audeant, vel præſumant, vt conſtat ex Bullario Romano *tom.*3. *Bulla* 4. *ſub Paulo V. quæ incipit Decet &c.* Imo Epiſcopi, vel alij id præiumentes pænas quaſdam incurrunt, vt videri poteſt apud Lezanam *ſum. verbo quarta ſun. num.*11. quare non poſſunt cogi Regulares priuilegiati ad ſoluendam Quartam; niſi iuxta moderationem priuilegij factam per Conc. Trid. *ſeſſ.*25. *cap.*13. de qua mox dicemus.

Præmittendum tertio in Concil. Trid. *cit. ſeſſ.*25. *cap.*13. moderata fuiſſe priuilegia Reg. circa quartam his verbis; *Decernit S. Synodus, vt quibuſcumque in locis iam ante annos quadraginta, quarta, quæ funeralium dicitur, Cathedrali, vel Parochiali Eccleſiæ ſolita eſſet perſolui: ac poſtea fuerit ex quocumque priuilegio alijs Monaſterijs, ſeu quibuſcumque locis pijs conceſſa: eadem poſt hæc integro iure, & eadem portione, quæ ante ſolebat Cathedrali, ſeu Parochiali Eccleſ. perſoluatur: non obſtantibus quibuſcumque &c.*

Porrò hoc Trid. Decretum declaratum Poſtea fuit à Pio V. *in Bulla, quæ incipit, & ſi mendicantium,* in qua ſic habetur. *Quartam autem funeralium, de quæ in Trid. ſeſſ.* 25. *cap.*13. *nequaquam ſoluere teneantur Monaſteria Reg. quæ à quadraginta annis citra fundata exiſtunt: poſtquam concil. ipſum loquitur tantum de Monaſterijs ante annos quadraginta fundatis, quæ ipſam quartam ſoluere conſueuerant.* Hæc autem Bulla Pij V. quatenus eſt declaratiua decreti Concil. Trid. & non ei contraria, nunquam

nunquam fuit reuocata, vt falsò aliqui putarunt, & docent communiter alij, Barboſa *de Iure Eccleſ. p. 3. cap. 24. & de Poteſtate Parochi p. 3. cap. 25. num. 14.* Lezana *Sum. verbo Quarta fun.* Nouarius *in Lucerna eodem verbo*; Tambur. Caſarimbius, & alij apud Citat. DD. His poſitis.

Reſpondeo, & dico primo, Monaſteria Regularium fundata ante annos quadraginta à confirmatione, & publicatione Concil. Trid. quæ dictam Quartam ſolita fuerant perſoluere; teneri etiam hodie eandem ſoluere ex vi decreti Concilij, vt conſtat ex eius tenore: *non obſtantibus priuilegijs &c.* Requiritur tamen ad hanc obligationem inducendam vtraque conditio copulatiuè, videlicet fundatio Monaſterij ante annos 40. & conſuetudo ſoluendi, &c. vt conſtat ex declarat. Pij V. in Bulla citata. & tenent communiter DD. tum ſupra citati, tum alij de quibus vero ſolui debeat quarta, videri poteſt apud Barboſam loco citato *num. 36.*

Dico Secundo. Monaſteria, ſeu Conuentus Reg. fundata circa annos 40. à Concilio Trid. & à fortiori ſunt poſt Trid. non teneatur vllo modo ſoluere prædictam quartam; quia eximuntur ab hoc onere per priuileg. Sedis Apoſt. nec illis obſtat Decretum Trid. vt Conſtat ex declarat. Pij V. in Bulla citata, & aſſerunt DD. communiter, quos citat, & ſequitur Barboſa *de Poteſt. Parochi p. 3. cap. 25. num. 13. & ſequent.* & videri etiam poſſet apud Lezanam loc. cit. apud Nouarium in *Lucerna verbo quarta*, & Portellinum *in Dub. Reg. verbo Canonica portio.*

Colligitur Religionem Cler. Reg. Theatinorum eſſe omnino exemptam ab onere ſoluendi quartam fun: vel Canonicam portionem, ex Priuilegijs. Sed. Apoſt. ſupra relatis: & quia eidem Religioni nullo modo obſtat Decretum Tridentini, non enim ſolita fuit ſoluere vnquam prædictam quartam: neque eius fundatio præceſſit per integros 40. annos confirmationem Conc. Trid. Sicuti notauit Rota Romana in deciſione facta pro Monaſterio eiuſdem Religionis, quam placet hic referre in confirmationem prædictorum: & ſonet etiam alijs Religionibus, quæ gaudent ijſdem, vel ſimilibus priuilegijs.

DECISIO

Rotæ Romanæ

R. P. D. DECANO.

Liciens. quartæ Funer. Lunæ 15. Ianuarij 1618.

DOMINI cenſuerunt Monaſterium Cler. Reg. non teneri ad ſolutionem quartæ funeralium Reuerendiſſimo Epiſcopo. Nam, & ſi de iure communi iſta quarta ſpectet ad Epiſcopum, vel Parochum, Clem. *dudum de Sepult. cap. 1. & 4.* cum alijs eodem tit. attamen ſecus eſt, quando Monaſterium eximitur à dicta ſolutione, *ad tex. in cap. priuilegia diſtinc. 3. cap. in noſtra de ſepult.* in caſu autem, de quo agitur, nedum prædictum Monaſterium, ſed etiam tota Religio eſt exempta à dicta ſolutione quartæ funeralium, Cum Paulus IV. & Gregorius XIV. dictis Clericis Reg. communicauit, omnia priuilegia alijs Religionibus conceſſa: quare cenſentur etiam comunicata priuilegia eximentia à dicta ſolutione quartæ: inter, quæ eſt priuilegium Iulij II. conceſſum minimis de anno 1506. & aliud eiuſdem Pontificis conceſſum Minoribus de obſeruantia anno 1511. & aliud Pauli III. conceſſum Minoribus anno 1544. & poſtremo aliud Pauli IV. conceſſum ordini Prædicatorum anno 1556. quæ per extenſum refert Arcangelus Caratia *de quarta funeralium cap. 1.*

Neque obſtat Concil. Trid. *ſeſſ. 25. cap. 13. de reform.* quia cum illud Monaſterium ſit fundatum poſt publicationem Concilij, & quatenus eſſet fundatum ante: cum non eſſet ſolitum ſoluere dictam quartam; Concilium ei non obſtat, vt declarauit Sanctiſſimus Pontifex Pius V. in ſua Conſtit. de anno 1567. quam refert Arcangelus Caratia loco citato Gutierrez *de iurament confirm. 2. p. cap. 4. n. 3.* Emanuel Roderiquez *in 9. Regul. tom. 1. q. 41. ar. 2.* & ita etiam reſoluit Congreg. Illuſtriſſimorum Interpretum, vt Refert Roderiquez loco prædicto.

Quod autem hoc Monaſterium fuerit fundatum poſt confirmationem Concilij, ex eo probatur, quia Concilium fuit confirmatum die 27. Ianuarij 1564. Religio autem Cler. Reg. fuit confirmata à Clemente VII. die 14. Iunij 1524. vnde per neceſſe inferendum eſt: quod hoc Monaſterium ſit fundatum intra quadraginta annos, de quibus loquitur Concil. & quatenus eſſet fundatum extra dictos 40. annos, non probatur, quod eſſet ſolitum ſoluere quartam funeralium.

Neque eſt verum, quod prædicta conſtitutio Pij V. fuerit reuocata per Gregorium XIII. vt in eius Bulla, quam refert Nauar. *in Manuali cap. 27.* quia cum dicta Bulla Pij plura contineret; per

Grego-

Gregorium redacta fuit ad termiminos Concilij, vt cenſuit Congreg.Illuſtriſſimorum Interpretum, vt refert Caracia loco citato, qui etiam in fine trac.refert ipſam declarationem, vt benè aduertit Guttierez loco citato.

Et ita fuit reſolutum, vna parte tantum informante. Romæ ex Thypographia R. Cam. Apoſt. ſuperiorum permiſſu.

De obligatione Soluendi Quartam Ex vi conſuetudinis.

SVpereſt inquirendum. An Monaſteria Reg. etiam fundata poſt Tridentina, & priuilegiata, ſi conſueuerint ſolnere Quartam funeral.teneantur ex vi præciſa conſuetudinis eam ſoluere, non obſtantibus priuilegijs &c.

Pendet autem ſolutio ex alia quæſtione tractatus de legibus. An videlicet priuilegium alicui conceſſum ammitteatur pet nõ vſum, vel per vſum contrarium.

Reſpondeo, dico primo priuilegium eximens Regulares ab onere ſoluendi quartam ſun. poteſt perdi per vſum contrarium: atque adeo fieri poteſt, vt aliquod Monaſterium contrahat hanc obligationem ex vi precila conſuetudinis. Probatur primo *ex cap. cum acceſſiſſent de conſtit*; & ex *cap. accedent de Priuilig.*

Probatur Secundo Ratione. Quia operantes contra priuilegium in ſui fauorem conceſſum: & ſic in caſu noſtro priuilegiati, qui nihilominus ſoliti fuerunt ſoluere Quartam, cenſentur renuntiare priuilegio.

Probatur Tertio quia lex ceſſat, & abrogari poteſt per contrariam conſuetudinem legitimè præſcriptam: ergo parimodo ceſſare poteſt, & perdi priuilegium, ita docent Syluester *verbo priuileg.* Suarez *de legibus lib.*8.*cap.* 35. Bonacina *de legibus diſp.*1.*q.*3.*Punc.*8. alijque communiter.

Dico Secundo. Ad hoc, vt per contrarium vſum amittatur Priuilegium, & in caſu noſtro contrahatur prædicta obligatio ſolueudi quartam; tot conditiones requiruntur; vt difficillimè poſſit euenire caſus, quo ex hoc capite compelli poſſint Regulares ad talem ſolutionem: niſi inducentes conſuetudinem infeſti eſſent ſuæ Religioni.

Probatur. Quia requiritur primo, vt inducentes eam conſuetudinem contra priuilegium, habeant notitiam ſui priuilegij, & ſcienter veniant contra illud. Ratio eſt quia, vt dicebamus non amittitur priuilegium ex hoc capite, niſi quia priuilegiati cenſentur renunciare ſuo priuilegio: ſed ſine ſcientia, & notitia illius non poteſt ſubſiſtere, neque præſumi renuntiatio, & animus renuntiandi: quia voluntas non fertur in incognitum; ergo &c.

Secundo requiritur, vt inducentes conſuetudines contra priuilegium, ſint perſonæ habiles ad validè renunciandum illi priuilegio: Cum autem, neque Religioſi priuati, neque Superiores Monaſteriorum poſſint validè renunciare priuilegijs conceſſis communitati ſine conſenſu conuentus Capitulariter congregati, ſequitur ſine tali conſenſu, nec conſuetudinem contra priuilegium fore legitimam, neque renuntiationem ſubſiſtere; ac proinde nec ammitti priuilegium: poteritque ſucceſſor reclamare, & defendere indemnitatem Monaſterij, & priuilegij conſeruationem.

Tertio requiritur legitima præſcriptio Eccleſiæ Parochialis, vel Cathedralis &c.exigendi quartam à Regularibus; ad quam requiritur ſpatium tanti temporis, quantum eſt neceſſarium ad præſcriptionem bonorum Religionis, ſeu Monaſterij: ſi quidem priuilegia inter bona immobilia Religionis computantur: vnde ad minus requiritur tempus ſexaginta annorum ex priuilegio Eugeni IV. in Bulla, *quæ incipit. Et ſi ex debito*: & ex alia Bulla eiuſdem Pontificis probabiliter aliqui tenent requiri ſpatium centum, annorum: vt videri poteſt apud DD.Citatos in prima Concluſione, quibus adde Lezanam *ſum. verbo priuilegium*, & Caſſain. *de priuilegijs Regul. p.*2. *trac.*8. *cap.* 4. *propoſ.* 1. qui alios citant, & fuſius explicant.

Atque hic eſto finis huius tractatus de proceſſionibus Eccleſiaſticis ad laudem Dei O. M. B. V. Mariæ, & Beati Caetani Patris noſtri, & omnia in eo contenta ſubiecta eſſe volumus iudicio, & cenſuræ Sanctæ Matris Eccleſiæ.

APPENDIX
DE LITANIIS SANCTORVM
In Proceſsionibus cantari ſolitis, & de eorundem Sanctorum interceſsione.

SECTIO PRIMA
De Natura, Origine, Vtilitate, & Proprietatibus Litaniarum.

PVNCTVM PRIMVM,

Quid ſint Litaniæ, & quotuplices.

PRÆMITTENDVM eſt hoc nomen litaniæ eſſe gręcum, quod latinè vertitur, ſupplicationes, ſeu præces, non qualeſcumque, ſed ſeriæ deuotæ, & feruentes; vt tradunt communiter DD. agentes de litanijs. Suarez *tom. 2. de Relig. lib. 3. de oratione vocali cap. 9. fine* Lezana *ſum. verbo litaniæ*. Serrarius *opuſculo litaniæ lib. 1. cap. 2.* & alij. Dicuntur autem litaniæ Sanctorum hæ, de quibus nunc agimus: quia magna ex parte Conſtant. Sanctorum inuocationibus. Porrò cum in proceſſionibus, vt plurimum cantari ſoleant litaniæ; etiam Proceſſiones, litaniæ dici ſolent, vt conſtat ex ordine Romano *lib 1. de proceſſionibus cap. 1.* Cœterum ſæpe litaniæ propriè dictę ſine proceſſione recitantur: quamuis enim, nulla fiat proceſſio ſine litanijs, vel alij præcibus; ſæpe tamen ſine proceſſione recitantur litaniæ alienæ præces: his poſitis.

Reſpondeo, & dico. Primo litaniæ propriè dictæ poſsunt ſic deſcribi. Sunt præces, quibus inuocationem Dei, & Sanctorum, deſideratam nobis diuinæ propitiationis abundantiam, efficacius impetramus. Dicitur primo ſunt præces loco generis, in quo litaniæ conueniunt cum alijs orationibus, v. g. cum officio diuino, Roſario, &c. aliæ particulæ ponuntur loco differentiæ; multiplicatis enim interceſſoribus, noſtræ præces ad Deum ſunt magis efficaces, vt ex infra dicendis patebit.

Dico ſecundo. Litaniæ in communi diuiduntur in litanias Sanctorum, quas deſcripſimus, & in litanias B. V. MARIÆ, quæ Lauretanæ dicuntur: non addimus alias, quia communiter ſunt prohibitæ, vt inferius dicemus. Litaniæ B. V. ſunt Sacrę depræcationes ad Deum per inuocationem ſpecialem eiuſdem Virginis Dei Genetricis, eandem Virginem honore proſequendo varijs nominibus, & encomijs, vel proprijs, vel metaphoricis, vt conſideranti patet: quæ varietas reſultat in maiorem gloriam ipſius Virginis: & maiorem excitat deuotionem in recitantibus litanias: de his tamen modo non agimus: plures tamen de illis luculenter ſcripſerunt, apud quos videri poteſt eorum dignitas, & efficacia, præſertim apud P. noſtrum Iuſtinianum, qui Egregium volumen de Illis compoſuit ſub titulo Templum Lauretanum.

Deinde litaniæ Sanctorum, de quibus hic tractamus. Diuiduntur primo ratione finis, propter quem recitantur, in pœnitentiales, & puras, ſeu ſimplices. Pænitentiales dicuntur, quando

tec-

recitantur in ſatisfactionem pro peccatis, eorumque veniam impetrandam, & græcè dicuntur Exomologeſis, & id circo connexionem habent cum pſalmis pœnitentialibus: Vnde in Breuiario Romano deſcribuntur poſt eoſdem pſalmos. Quando verò ob alios fines recitantur, ſimpliciter litaniæ appellantur: quamuis hæc nominum diſtintio hodie ſit parum iu vſu, vt ex Rabano, & Iſidoro notat Serrarius loco citato.

Secundo, litaniæ Sanctorum diuiduntur in maiores, & minores, penes maiorem, vel minorem ſollemnitatem, qua celebrantur, vt ſupra diximus de proceſſionibus ſpeciatim *Sect.* 2. *Punc.* 9. videnda ſunt ibi dicta.

Dico tertio, aliæ litaniæ præter ſupradictas, non poſſunt publicè recitari abſque ſpeciali licentia S. Rit. Congreg. prout ſtatuit Clemens VIII. in bulla, quæ incipit *Sanctiſsimus*. promulgata anno 1601. in qua ſic habetur. *Quoniam multi prætextu alendæ deuotionis, nouas quotidie litanias euulgant, &c. Præcipimus, vt retentis communibus, quæ in Breuiarijs &c. continentur: nec non litanijs B. V. quæ in Sacra æde Lauretana decantari ſolent; quicumque alijs litanijs, ſiue in proceſſionibus, ſiue aliàs vti voluerint, eas ad S. Rit. Congreg. recognoſcendas, & ſi opus fuerit corrigendas mittere teneatur: neque ſine licentia, & approbatione prædicta S. Congreg. eas in publicum edere, aut publicè recitare præſumant, ſub pœnis vltra peccatum, arbitrio ordinarij, & inquiſitoris infligendis*. Quaranta *verbo litania*. Circa quam conſtitutionem aduertendum eſt primo per illam non prohiberi litanias aliquas pias, ſcripto, & non typis exaratas, apud ſe habere, & priuatim recitare.

Secundo aduertendum litanias Nominis Ieſu, quibus vtuntur Patres Carmelitæ, videri approbatas, & non comprehenſas ſubdicta prohibitione Clementis VIII. eo quia Sixtus V. in bulla, quæ incipit *redditum*, conceſſit 300. annos indulgentiæ eas recitantibus, ad inſtantiam PP. Carmelitarum diſcalciatorum: quare videntur approbatæ à Sede Apoſtolica, vt notat Lezana *ſum. verbo litania*.

PVNCTVM II.

De exquiſita perfectione precum, quæ in Litanijs funduntur.

PRæmittendum eſt, ad perfectam orationem ad Deum, requiri quatuor partes, & expreſſiones affectuum: ex Apoſt. 1. *Thim.* 2. vbi ſic ait, *obſecro fieri obſecrationes, orationes, poſtulationes, & gratiarum actiones pro omnibus hominibus &c.*

Hinc Theologi communiter cum D. Thoma 22. *q.* 83. *ar.* 17. eaſdem quatuor partes perfectæ orationi tribuunt, vt potè traditas à Doctore gentium.

Prima eſt obſecratio, eſt autem obſecrare aliquem, proponere notiuum valdè excitans, & inducens ad concedendum, quod petimos; vnde Deum obſecramus, cum dicimus V. g. *per te metipſum fac Deus: per viſcera miſericordiæ tuæ: Per Chriſtum Dominum noſtrum*, & ad Chriſtum; *per natiuitatem, per mortem tuam &c.*

Secunda pars dicitur oratio, ideſt Dei inuocatio: cum dicimus *Deus, Deus meus, ad te luce vigilo: Omnipotens ſempiterne Deus*, & in oratione Dominica *Pater noſter, qui es in Cœlis &c.* Huic autem parti tribuitur nomen commune orationis, quæ definitur aſcentio mentis ad Deum: quia per innocationem expreſſius mente aſcendimus ad ipſum Deum.

Tertia pars dicitur poſtulatio, ſeu petitio gratiarum, quibus indigemus, cum dicimus, *concede queſumus: præſta queſumus &c.*

Quarta, & vltima pars eſt gratiarum actio: qua recognoſcentes Deum, vt ſupremum auctorem omnium bonorum noſtrum obſequium, & famulatum ei offerimus in compenſationem, quantum pro noſtra imbecillitate poſſumus, ſicuti fuſius ſupra declarauimus: de proceſſionibus *Sect.* 2. *de proceſſione pro gratiarum actione*. Hiſpoſitis.

Reſpondeo litanias Sanctorum mira diſpoſitione perfectiſſimè componi ex quatuor prædictis partibus; atque adeo eſſe præces exquiſitas, Deo gratiſſimas, & ſummopere efficaces.

Probatur. Incipiunt enim litaniæ ab inuocatione Dei triplici exquiſito modo, in venerationem Supremi Sanctiſſimæ Trinitatis Myſterij. Primo enim dicitur *Kirie eleiſon* ad Patrem, ideſt Domine miſerere: *Chriſte eleiſon* ad Filium: *kirie eleiſon* ad Spiritum Sanctum. Additur bina innocatio Chriſti propter myſterium incarnationis, & duplicis naturæ in Filio, diuinæ, & humanæ in eadem perſona.

Deinde fit Secunda inuocatio Sanctiſſimæ Trinitatis proptijs nominibus ſingularum perſonarum. *Pater de Cœlis Deus &c.*

Tertia tandem inuocatione, *Sancta Trinitas vnus Deus*, confitemur vnitatem in Trinitate: ſeu conſubſtantialitatem diuinarum perſonarum.

Quo circa aduertendum tribus modis poſſe Deum inuocari, vt notat Serrarius *lib.* 1. *de litanijs cap.* 1. primo ſub eſſentiæ diuinæ, vel eſſentialis alicuius attributi nomine, & huic correſpondet prima inuocatio per *kirie* &c. Secundo ſub perſonæ, aut perſonalis alicuius proprietatis ratione: & huic correſpondet ſecunda inuocatio. *Pater de Cœlis Deus*, & Tertio vtroque modo ſimul; & huic correſpondet tertia inuocatio, *Sancta Trinitas vnus Deus &c.*

Porrò iure optimo ex inſtitutione Eccleſiæ, ſic incipiunt litaniarum præces: ſiquidem, vt notat Suarez *de Religione tom.* 2. *lib.* 3. *oratio de vocali cap.* 2. negari non poteſt, quin orationis optimum principium ſit ſubmiſſio noſtra coram Deo, ex cognitione propriæ miſeriæ, & indigentiæ ex vna parte: & Recognitione diuinæ Maieſtatis, & pietatis ex altera parte: ſic enim adimplemus illud Epiſt. Iacob. 4. *Humiliamini in conſpectu Dei: vt vos exaltet*. Meritò ergo incipimus litanias à *Kirie eleiſon* recognoſcentes per *kieric* ipſum Deum tanquam ſupremum omnium Dominum, & per *Eleiſon*. ideſt miſerere fatentes noſtram miſeriam: vt ſic mereamur a Deo exaltari.

Secunda pars orationis eſt poſtulatio, ſeu decentium à Deo petitio, quam fuſe proſequimur in litanijs, dum petimus à Deo liberari à malis, & periculis omnibus: atque cumulari bonis animæ, & corporis: inſuper oramus, & bona petimus pro viuis, & defunctis, pro præſentibus, & abſentibus &c. ſic adimplentes monitum Apoſt. l. c. *obſecro fieri poſtulationes pro omnibus hominibus*.

Tertia pars eſt obſecratio, quæ primo loco ponitur ab Apoſtolo, quia in hac poſita eſt vis precipua orationis, videlicet in meritis Chriſti, quæ Deo Patri repræſentamus, dum per Chriſtum exaudiri petimus: quæ etiam pars maximè fulget in litanijs: petimus enim per myſterium Sanctæ Incarnationis, per Natiuitatem Chriſti &c. decurrendo per omnia ferè Myſteria vitæ, & mortis ipſius Chriſti.

Vltima pars eſt gratiarum actio, quæ pariter mirificè elucet in litanijs, in quibus paſſim Deum recognoſcimus, vt ſupremum largitorem omnium bonorum, & fatemur obligationem, qua tenemur Deo ſeruire, & nos eius obſequio mancipare, dum petimus vt *nos metipſos in ſuo Sancto Seruitio confortare, & conſeruare dignetur &c.*

Ex quibus ſatis liquet litanias Sanctorum eſſe præces perfectiſſimas, & Deo gratiſſimas, vt egregiè notat noſter Pater Iuſtinianus in *ſuo Templo lauretano lect. 1. de litanijs in genere*, vbi diſcurrendo per partes ſupra explicatas, ex quibus litaniæ conſtat, mirificè exaltat earum excellentiam, & vtilitatem.

P V N C T V M III.

De Præſtanti ordine partium litaniarum, præſertim quo, ad varias Sanctorum Claſſes in eis deſcriptas.

QVo ad primum de ordine partium, ex quibus litaniæ componuntur. Reſpondeo, ſi attentè conſiderentur omnia, quæ in litanijs continentur; manifeſtum eſt, eas miro diſponi ordine, & aptiſſima ſerie. Siquidem ante omnia adoratur, & exoratur Deus, & Sanctiſſima Trinitas, tanquam ſupremus omnium Dominus, & primus auctor gratiarum, & donorum omnium.

Deinde fit recurſus ad Virginem Deiparam omnium gratiarum aquæductum.

Tertio inuocantur Cœleſtis Curiæ Spiritus, atque omnes Sancti, & Beati, vel nominatim, vel in generali.

Quarto exponuntur multæ petitiones, quibus Deo ſupplicamus poſtulantes liberari à malis, & bonis repleri.

Tandem pijs quibuſdam præcibus tota hæc forma orandi concluditur. Ergo ſeries, & ordo litaniarum eſt perfectiſſimus.

Probatur hæc conſequentia. Etenim ad has præces ſicut ad alias communiter, duo actus Religionis concurrunt, videlicet adoratio, & deprecatio. Quo ad primum actus adorationis, meritò ante omnes, & ſuper omnes Cœleſtes adoratur primo Deus: ſic enim recta ratio dictat, vt vbi adeſt ſupremus Princeps cum ſuis aulicis, & proceribus regni, ab intro euntibus, & de nouo aduenientibus prius fiat reuerentia Principi Supremo, & Regi, deinde proceribus, qui Regi aſſiſtunt: Ergo a fortiori comparentes ante Deum ſtipatum choris Angelorum, & Sanctorum, primo, & ante omnes debent ipſum Deum adorare cultu latryæ; Deinde Virginem Deiparam cultu hyperduliæ: poſtremo alios Sanctos cultu dulyæ.

Quo ad ſecundum actum orationis, & deprecationis: porrigi primo debet ſupplicatio Regi, & Deo, ad quem per ſe pertinet gratiam concedere; Deinde adhibentur interceſſores amici Regis, & Dei, vt suppleant defectus petentis ſuis meritis, & præcibus, & adiuuent cauſam, de qua agitur: meritò igitur talis ordo ſeruatur in litanijs, videri poteſt Suarez de *Relig. tom. 2. lib. 3. cap. 9.* fine vbi breuiter agit de litanijs.

De varijs Sanctorum claſſibus in litanijs deſcriptis, & de ordine, quo diſponantur.

QVoad ſecundum quæſitum initio propoſitum. Poſt inuocationem Dei, & Sanctiſſimæ Trinitatis, proſequitur Eccleſia litanias inuocatione Sanctorum, certo cum ordine: habito reſpectu ad dignitatem, vel ad antiquitatem eorumdem Sanctorum: digniores enim, & ſublimioris gradus præferuntur alijs inferioris gradus, & antiquiores eis, qui ſunt tempore poſteriores: niſi peculiaris ratio aliud poſtulet, vt ex dicendis patebit.

Primo ergo poſt Deum ſingulari modo per litanias recurrimus ad patrocinium B. V. Dei Matris, quæ dignitate, & potentia apud Deum ſupereminet Omnibus Angelis, & Sanctis, & thronum in Cœlo obtinet ſingularem ſuper omnes Choros Angelorum, tanquam omnium Regina.

Secundo loco inuocantur Angeli Cœleſtis Curiæ Spritus: quibus debetur præcedentia ante homines, tum ratione excellentioris naturæ, tum ratione antiquitatis, vt potè creatis ante homines. Inter ipſos verò Angelos primus locus tribuitur S. Michaeli Arcangelo, tanquam Principi Cœleſtis militiæ, & Paradiſi Præpoſito. Secundus S. Archangelo Grabrieli Incarnationis Nuntio ad Virginem, de quo D. Gregorius *homil. 34. in Euang.* ſic ait *ad hoc enim miniſterium ſummum Angelorum venire dignum fuit: quia ſummum omnium nuntiabat.* Tertio loco ponitur S. Raphael Dux peregrinorum, & cæcorum illuminator, nec fit in particulari aliorum mentio: quia in ſacris ſcripturis non habetur peculiare eorum nomen.

Tertio loco fit inuocatio S. Ioannis Baptiſtæ, quo inter natos mulierum non ſurrexit maior. Atque ſtatim inuocantur omnes Patriarchæ, & Prophetæ: quibus debetur præcedentia ratione anti-

quitatis:

quitatis: vel quia Patriarchæ fuerunt Chriſti progenitores, & patres fidei noſtræ.

Quarto inter Sanctos noui teſtamenti ſupremus, & honorantior locus meritò tribuitur Apoſtolis, qui primitias ſpiritus habentes conſtituti fuerunt à Chriſto Principes ſuper omnem terram. Item ſæculorum iudices, Belli triumphales duces, & vera mundi lumina.

Quinto poſt Apoſtolos inuocantur Martyres inuicti, & fortiſſimi Duces militantis Eccleſiæ, qui ob inſignes Victorias de tyrannis ſuo ſanguine reportatas, meritò præferuntur alijs, quorum triumphis Eccleſiæ Sancta coronatur: quorum confeſſio quanto in paſſione fortior, tanto eſt rarior in honore, vt ait Vener: Beda *ſermone 18. de Sanctis*.

Sexto ſequuntur Confeſſores, & Doctores, tum Pontifices, tum non Pontifices, qui doctrina, & exemplis Eccleſiam illuſtrarunt: Heroes incliti, qui ſpretis mundi illecebris, fallacijſque Dæmonum reiectis, & carne cum ſuis concupiſcentijs, edomita; de triplici humani generis hoſte glorioſè triumpharunt, in quibus verè Deus fuit mirabilis: ſi quidem ſtulti propter Chriſtum effecti, ad culmen veræ ſapientiæ peruenerunt, paupertate diuitias: humilitate ſublimitatem, abſtinentia, & ieiunijs ſpiritus pinguedinem adepti, fuerunt Sanctitate conſpicui, miraculis illuſtres, & dono prophetiæ inſignes.

Septimo Viris glorioſis adduntur in litanijs mulieres Sanctæ, ſexu quidem inferiores, ſed deuotione non impares: quæ geminata gloria cum ſæculo vicerunt, & ſexum, ex Beda loco citato. Inter quas ſuo candore clarius emicant virgines, quæ ob puritatis decorem ad ſponſalitium cum Chriſto ſpecialiter electæ naturam humanam in Angelicam tranſmutarunt; Et inter eas, tanquam inter lilia Paridiſi Cœleſtis, libenter pergit dicimus ſponſus: illuſtrior portio gregis Chriſti; ex quibus largiter floret Eccleſiæ matris glorioſa fecunditas, vt fuſè proſequitur S. Cyprianus *de diſciplina Virginum*.

Virginibus proximè accedunt Sanctæ viduæ, quibus ab Eccleſia tribuitur illud encomium, *Prouerb. 31. Mulierem fortem quis inueniet? procul, & de vltimis finibus pretium eius &c*, Quas honorari præcipit Apoſt. 1. *Timoth.* 5: cuius monita exquiſitè obſeruantur Sanctæ viduæ, quas inuocamus: Fuerunt enim pudicitiæ ſpeculum; accuratæ domorum inſtauratrices; Pietatis magiſtræ: adoleſcentularum in ſpiritu directrices, ieiunijs, & orationibus aſſiduæ, & omne opus bonum ſubſecutæ ſunt.

Tales fuerunt in veteri teſtamento Anna Prophetiſſa, Iudith, aliæque plures. Tales etiam in lege Euangelica fuerunt S. Monica, cuius virtutes enumerat D. Auguſt. *lib. 9. Confeſſ. cap. 9.* Sancta Paula Romana, Bletilla, Melania, de quibus meminit D. Hieronymus inuitis earum. Item Sancta Eliſabeth filia Regis Hungarorum, Brigida, Marcella Romana, & aliæ innumeræ: omniumque laudes in communi celebrant S. Ambroſius *lib. de viduis*, S. Auguſt. *de Bono viduitatis*, S. Epiphanius, alijque Sancti Patres.

Dubium hic emergit: cur de Sanctis coniugatis nulla fiat mentio in litanijs; cum tamen conſtet, in ſtatu coniugali plures Sanctitate floruiſse.

Reſpondeo rationem eſſe, quia in litanijs inuocantur Sancti, & Sanctæ, quæ in Cœlo ſunt, vbi ceſſat omnino ſtatus coniugalis, ſicuti declarauit Chriſtus *Matth. 22. in reſurrectione non nubent, neque nubentur: Sed erunt ſicut Angeli &c. in Cælo:* Ergo, quæ hic fuerunt coniugatæ, inter viduas computantur. Circa prædictas Sanctorum Claſſes, eorumque ordinem videri poteſt Caſſaneus in *Catalago gloriæ mundi p. 3. conſid. 27. & Sequentibus* fuſe de his, & ſimilibus diſſerens.

An ordo prædictus, quo Sancti in litanijs deſcribuntur, ſeruetur etiam in Cælo.

SEnſus quæſtionis eſt, an ſicut martyres in litanijs præferuntur Confeſſoribus, & Confeſſores Virginibus &c. Sic etiam præferantur in Cœlo, quoad ſedes ſublimiores, & gradus intenſiores maioris gloriæ, facilè enim poteſt hoc dubium menti alicuius occurrere, & non incongruè hic eum examinamus.

Reſpondeo, & dico. Primo certum eſt de fide Sanctos, ſeu Beatos non frui in Cœlo æquali gloria: neque collocari a Deo in paribus ſedibus, ſeu manſionibus: ſed alij ſūt alijs beatiores, & ſublimiores: quamuis omnes ſint feliciſſimi, & ſuo gradu cōtenti. Probatur manifeſtè ex Sacra Sriptura Ioannis 14. *in domo Patris mei manſiones multæ ſunt*, quem locum SS. PP. communiter exponunt de diuerſitate, & inæqualitate gloriæ eſſentialis inter Sanctos. Item Apoſt. 1. *Corinth. 15. ſicut differt Stella à Stella in claritate, ſic erit reſurrectio, &c.* Tandem Chriſtus in Euangelio non ſemel dixit eſſe maiores, & minores in Cœlo Matth. 11. *qui minor eſt in Regno Cælorum, maior eſt illo* & *cap. 18. qui humiliauerit ſe, ſicut paruulus maior eſt in Regno Cælorum; &c.* quare hæc veritas difinita fuit in Concil. Flor. *in literis vnionis*.

Dico ſecundo. Differentia, & inæqualitas maioris, vel minoris gloriæ eſſentialis inter Beatos, oritur ex diuerſitate meritorum eorundem; ſeu ex maiori, vel minori virtutum profectu, & vitæ perfectione ſingulorum in via, in qua vnus eſt alio iuſtior, vnus eſt alio Sanctior: non verò, ex dignitate, vel ſtatu, quem hic obtinuerunt, & profeſſi ſunt, quæ etiam concluſio videtur de fide.

Probatur primo ex Apoſt. 2. *Corint. 9. qui parce ſeminat, parce, & metet, &c.* & 1. *Corint. 13. vnuſquiſque propriam mercedem accipiet ſecundum ſuum laborem.*

Probatur Secundo. Ratione: quia gloria eſſentialis comunicantur Beatis, vt premium, & Corona laborum, & certaminum ex Apoſt. 2. *Thimoth. 4. Repoſita eſt mihi Corona iuſtitiæ, &c.* ergo communicatur ſecundum leges iuſtitiæ diſtributiuæ, ſeruata proportione meritorum cuiuſq; & habito reſpectu ad labores, & certamina Singulorum.

lorum.

lorum Sanctorum, ita vt illi, qui maiores ſuſtinuerunt labores, &c. ampliorem mercedem, & maiorem à Deo gloriam conſequantur, vt fuſius explicant DD. *in tractatu de Beatitudine.*

Dico tertio(reſpondendo directè ad quæſitum) ordo præcedentiæ, quo deſcribuntur Sancti in litanijs, non correſpondet ſimpliciter præhæminentiæ eorundem in Cœlo, quod ad gradus gloriæ eſſentialis, & ſublimitatem ſedium, ſeu manſionum.

Probatur, quia plures confeſſores fuerunt maioris meriti, & excellentioris virtutis, quam aliqui martyres: & Apoſtoli, quam Patriarchæ,&c. & ideo maiorem gloriam ſunt conſecuti.

Item non omnes martyres ſunt æqualis meriti, neque æqualem obtinent gloriam, & ſic de confeſſoribus, Virginibus, &c. aliqui enim Supremam Hyerarchiam inter Seraphin ſunt à Deo eleuati, aliqui ad mediam, alij ad poſtremam; & tamen in litanijs in eodem ordine diſcribuntur, ergo ex hoc ordine non benè infertur ſimilis ordo præeminentiæ Sanctorum in gloria Cœleſti.

Ratio autem huius diuerſitatis eſt, quia prædicta inæqualitas Sanctorum quoad merita varia,& conſequenter quoad varios gradus gloriæ, qua fruuntur in Cœlo, eſt ignota Eccleſiæ militanti, & ideo non potuit in litanijs ſeruari ordo præeminentiæ Sanctorum in patria: ſed ſolum in eis attenditur præeminentia, & diuerſitas dignitatum, & ſtatuum, quos in via profeſſi ſunt.

Dico Quarto ex hominibus prædeſtinatis non conſtituuntur in Cœlo nouæ Hyerarchiæ, aut noui ordines, & chori, diſtincti à nouem choris Angelorum: ſed aſſumuntur homines ad hyerarchias, & choros Angelorum ſublimiores, vel minus ſublimes pro varietate meritorum cuiuſque. Ratio eſt, quia licet homines ſint natura inferiores Angelis, nihilominus, quoad gratiam, & gloriam ſunt Angelis ſimiles: neque habetur ex ſcripturis ſufficiens fundamentum aſſerendi nouas Hyerarchias, vel nouos choros in Cœlo: atque ità cum D.Thoma 1.*p.q.* 108.*ar.*8.docent omnes Theologi.

Excipitur tamen ab hac regula Mater Dei Maria, quæ ſecundum omnes eleuata eſt à Deo ad ſingularem gloriæ thronum, & exaltata ob inexplicabilem Sanctitatem ſuper omnes Hyerarchias, & ordines, ſeu choros Angelorum, vt canit Eccleſia in officio Aſſump.ipſius Deiparæ.

E contra verò aliqui exiſtimant excipiendos eſſe etiam infantes, qui decedunt poſt Baptiſmum, & carent proprijs meritis: atque adeo quoad gloriam ſunt inferiores omnibus Angelis,etiam vltimi, & infimi Chori; quare videtur conſtitui ex illis nouus chorus inferior infimo Angelorum. Cæterum aſſerendum eſt infantes prædictos aſſumi ad infimum Chorum Angelorum poſt omnes Angelos: quia licet careant proprijs meritis; ſaluantur tamen ex meritis Chriſti, & fiunt ſimiles Angelis: nec tutum videtur multiplicare choros ſupra nouem, quos Eccleſia celebrat: quo circa videri poſſunt Caſſaneus in *Catalogo gloriæ p.*3. Suarez *de Angelis lib.*1.*cap.*14.alijque Theologi in eodem tract.de Angelis.

PVNCTVM IV.

De Antiquitate litaniarum.

Rerum antiquitas apud homines parit maiorem quamdam earum æſtimationem, & venerationem, præſertim in rebus ſacris, nec immeritò: ea enim, quæ plurium ſeculorum decurſu perdurarunt, & retenta fuerunt: plurium etiam ſapientum iudicio approbata fuerunt: atque adeò perfectiora cenſentur: vnde Baſilius Magnus *orat. de ieiunio* ait, *omne, quod vetuſtate præcedit, Venerabile eſt:* Vt ergo has præces, quas litanias vocamus in maiori æſtimatione, & veneratione habeantur, breuiter aliqua dicemus de antiqua illarum origine.

Et quidem fatentur omnes Catholici haſce litanias Sanctorum hac antiquitatis prerogatiua multis alijs excellere: quamuis hæretici, quibus odioſa eſt Sanctorum inuocatio in dubium id reuocent, Nonnulli opinati ſunt primum litaniarum auctorum fuiſſe Gregorium Magnum Summum Pontificem, qui floruit anno Chriſti 600. Et quidem non modica,eſſet litaniarum prerogatiua eas habere originem ab hoc celebri, & Sanctiſſimo Pontifice, & ante mille ab hinc annos in Eccleſia vniuerſali frequentatas fuiſſe. Cæterum litanias multo eſſe antiquiores D.Gregorio Maniſeſtè demoſtrant Baronius *in notis ad martyrologium Romanum ſub die* 25. *Aprilis*. Suarez *de Relig.tom.* 2.*lib.*3.*de oratione cap.* 9.*fine*, noſter P. Iuſtinianus *in ſuo templo lauretano lect.*1. & alij plures, qui ex Patribus, & Concilijs, quæ longè præceſſerunt D. Greg.id conuincunt, ad quos remittimus lectorem, ne in re clara immoremur.

Cum autem nemo ab hiſtoricis litaniarum auctor, quamuis vetuſtiſſimus aſſeratur, quin eo antiquor litaniarum vſus inueniatur; meritò ab Apoſtolis eas ducere originem cenſendum eſt: ſicuti in ſimili dictum eſt de antiquitate proceſſionum, quibus coæuæ ſunt litaniæ, vt videri poteſt in *ſuperiori tractatu de proceſſionibus ſect.*1.*punc.*3.

Fatemur tamen à principio litanias nouitas fuiſſe copioſas, vt inpreſenti; paulatim enim plures additi fuerunt Sancti, præſertim poſt conuerſum à D. Hieronymo in latinum Martyrologium Euſebij, & facilè fieri potuit, vt à D. Gregorio plures apponerētur cum nonnullis præcibus; abſolute tamē vſus litaniarum eſt longè antiquior D. Gregorio, vide Suarez loco citato.

PVNCTVM V.

De vtilitate litaniarum.

EX deuota recitatione litaniarum ſummam fidelibus prouenire vtilitatem probari poteſt, ex triplici capite; primo quia hæ præces continent perfectam orationis formam ex dictis *punc.* 2. Secundo ex copioſa tot Sanctorum inuocatione. Tertio ex effectibus pluries inde ſecutis, & donis à Deo collatis in vim harum præcum. Quo ad primum caput Probatur litaniarum vtilitas ex eo, quia omnis pia, & deuota oratio eſt valdè ſalutaris, & proficua, tum ipſis orantibus, tum alijs, pro quibus funditur; ergo à fortiori ea, quæ funditur à recitantibus litanias valdè ſalubris eſt, & ſummæ vtilitatis, ob ſummam perfectionem, quam continent, Antecedens probatur ex doctrina Sanctorum PP. qui mirificè extollunt vim, & potentiam orationis in genere: quorum nonnullas ſententias hic referemus, ex quibus manifeſtè colligi poteſt vtilitas, & vis impetrandi litaniarum, quæ cum contineant formam orandi perfectiorem multis alijs præcibus, conſequenter ſunt ſalubriores, & maiorem habent vim impetrandi, quam plures aliæ.

Primo ergo S. Auguſtinus *ſerm.* 226. *oratio inquit Iuſti clauis eſt Cæli, aſcendit oratio, & deſcendit Dei miſeratio.* Item oratio dicitur catena aurea è Cælo in terram protenſa, per quam dona Dei ad nos deſcenduut, & nos vice verſa ad Deum aſcendimus. Item oratio eſt ſimilis ſcalæ Iacob, per quam Angeli è Cælo ad terram deſcendunt, & iterum ad Cœlum aſcendunt tractantes negotium ſalutis hominum: vt ex Sanctis Patribus refert Rodriquez *in exercitio perfectionis tom.* 1. *trac.* 5. *cap.* 2.

Cum ergo litaniæ ſint præces perfectiſſimæ, in quibus veluti in faſciculo vnita, & colligata habentur omnia, quæ ſparſim in alijs orationibus continentur; dubitari non poteſt, quin prædicta orationis encomia maximè litanijs conueniant: conſequenter tuto affirmari poteſt litanias eſſe Claues Cœli, catenam auream, ac ſublimem ſcalam à terra ad Cœlum pertingentem, per quam Angeli aſcendunt, & deſcendunt, ſalutis noſtræ ſolliciti.

Secundo Caſſiodorus *in pſal.* 56. ſic ait *oratio eſt, per quam ira Dei ſuſpenditur, venia procuratur, pœna refugitur, præmiorum largitio impetratur. Oratio ſerenat cor, abſtrahit à terrenis, mundat à vitijs ſublevat ad cæleſtia &c.*

Conſequens eſt igitur, vt aſſeramus hæc omnia bona conferri nobis à Deo per litanias, quæ ne dum ſunt veræ præces, & orationes, de quibus Caſſiodorus loquitur; ſed longè alijs perfectiores, & veluti ſumma, & compendium ferè omnium orationum.

Tertio D. Gregorius Niſſenus *Homil. de Orat. Oratio inquit eſt corporum robur, abundantia domus, belli tropheum, pacis ſecuritas, viatoribus ſcutum, dormientium cuſtos, agricolarum fertilitas, nauigantium ſalus, mærentium conſolatio &c.* His addit D. Chryſoſt. *lib.* 2. *de orando Deum, Oratio eſt cauſa omnis virtutis, & iuſtitiæ, nec quicquam eorum, quæ conferunt ad pietatem, poteſt venire ad animam ſine oratione* ergo per litanias, quæ inter orationes ſunt potiſſimæ, & Deo gratiſſimæ, prædictis omnibus bonis ditamur, conſequenter ſunt vtiliſſimæ.

Quoad ſecundum caput: Probatur litanias valdè vtiles eſſe ratione copioſæ inuocationis Sanctorum. Quia ſi vnius Sancti inuocatio, & interceſſio plurimum nobis prodeſt: vt patet ex Epiſt. Iacobi *cap.* 5. *multum enim valet deprecatio iuſti &c.* Certè multò potentior erit oratio, ad quam concurrunt deprecationes, & Interceſſiones fere omnium Sanctorum, quos per litanias inuocamus: nec dubium, quod ſic inuocati pro nobis intercedant, qui ſincera, & feruenti charitate nos diligunt: ea ergo, quæ in litanijs à Deo petimus, facilius impetramus, iuxta ſenſum Eccleſiæ in oratione officij omnium Sanctorum, in qua hæc verba habeantur. *Vt deſideratam nobis tuæ propitiationis abundantiam multiplicatis intercesſoribus largiaris.*

Tertium caput vtilitatis litaniarum ſumitur ex proſperis effectibus re ipſa ſecutis in fauorem eas piè recitantium, quibus experimento conſtat, has præces eſſe valdè efficaces apud Deum. Habent enim vim placandi Deum: ac proinde Cœlos aperiunt, vt fluat pluuiam, tempeſtates ſerenant, ſedant teremotus, ignes Cœlitus demiſſos extinguunt: peſtem, famem, & bellum auertunt: monſtra compeſcunt, & Dæmones fugant; Quorum euentuum exempla fideliter narrant auctores, qui de litanijs ſcripſerunt, & præſertim Serrarius in ſuis opuſcul. *in litanentico lib.* 1. *cap.* 4. & noſter Iuſtinianus *in templo Lauret lect. prima de litanijs in genere*, alijque. Hinc accenta maxima litaniarum vtilitate, ſemper in Eccleſia mos viguit eas recitandi, tum priuatum, tum publicè, & plateatim.

PVNCTVM VI.

Explicantur complures partes, ſeu verſiculi litaniarum.

QVamuis Sacræ litaniæ maximam pietatem redoleant, & à Sanctiſſimis viris doctrina conſpicuis, imò, & ab vniuerſali Eccleſia ſint approbatæ, & à Deo ipſo plurium collatione bonorum confirmatæ, vt conſtat ex ſupradictis; nihilominus à Luthero, & ſuis ſequacibus, ac nouatoribus impia temeritate pluries reciſæ, & immutatæ fuerunt. Primo enim abſtulerunt à litanijs inuocationem Sanctiſſimæ Trinitatis; deinde etiam inuocationem Sanctorum; tertio reſecarunt præces pro ſummo Pontifice, & pro Defunctis; quarto reiecerunt præces pro vera pœnitentia impetranda; & alia quædam calumniantur. Quorum deteſtandæ inſaniæ non incongruum videtur hic breuiter occurrere, ne fortè aliquis illorum fallacijs decipiatur. Simul etiam explicabimus plures ver-

res verſiculos, quorum exacta intelligentia poſſet à deuotis Catholicis deſiderari.

Kirie Eleiſon.

Hoc litaniarum principium, ab hæreticis redarguitur, eo quia cum ſit græci idiomatis, noſtris Latinis ignoti, videtur impertinens ad finem intentum, qui eſt excitare populum ad pietatem, ſeu ad pios effectus erga Deum: non enim excitari poteſt verbis, quæ idem populus non intelligit.

Reſpondeo. Ab Eccleſia Latina meritò, & ſatis conuenienter retineri voces aliquas, tum græcas, tum hæbraicas, eiſque vti in Miſſa, in officio, in Litanijs, &c. præſertim *Kirie eleiſon*, id eſt Domine miſerere. Primo quia habent peculiarem quamdam emphaſim, & ob frequentem vſum æquè intelliguntur, ac voces Latinæ. Secundo retinentur ob venerationem antiquitatis. Tertio ad indicandam Eccleſiæ Catholicæ vnitatem, præſertim ex populis hæbreis, latinis, & grecis, quorum omnium literis conſcriptus fuit Titulus Crucis Chriſti.

Ad rationem contrariam. Reſpondeo Communes Eccleſiæ præces conuenientius recitari lingua latina, interpoſitis quandoque vocibus græcis, vel hebraicis maioris emphaſis: quia lingua doctrinalis, & grauis; qualis eſt latina magis excitat ad venerationem Sacrorum Myſteriorum: eſt que immutabilis, vel minus ſubiecta corruptioni, quam vulgaris, & plebea. Vt autem populus inde excitari poſſit ad pios affectus, imponitur parochis, vt idiotas inſtruant quo ad eius fieri poteſt. Sufficit etiam ſi in Sacris functionibus populus oret iuxta mentem Eccleſiæ; de qua re nos fuſius diximus in *comment. ac Rubr. Miſſalis p. 1. tit. 8. dub. 4.*

Chriſte audi nos.

Circa hunc verſiculum dubitari poteſt, quid eo petamus à Chriſto Sapientia Patris, cui omnia ſunt manifeſta, & aperta. Cum enim audire Dei ſit cognoſcere, & intelligere noſtras præces; videtur minus recta hæc petitio. Nemo enim cordatus quando Principem, Sapientem, & perſpicacem alloquitur, diceret illi audi et intellige, quæ dico, quaſi minus eſſet capax, vel rudis ingenij: Ergo multò minus fas eſſe videtur, hac phraſi vti. Loquentes cum Deo.

Reſpondetur. Hoc modo loquendi nos à Chriſto, non petere putam intelligentiam, & cognitionem noſtrarum præcum, quæ ex parte intellectus indubitanter in eo ſupponitur, ſed petere benignam attentionem, quæ ex eiuſdem Chriſti libera voluntate pendet. Petimus ergo, vt ex ſua benignitate applicet animum benignum noſtris præcibus; item vt eas examinet, & exploret ſcopum earum, fatentes noſtram inbecillitatem: cum enim neſciamus orare, ſicut oportet; petimus ab ipſo Chriſto dirigi, ita vt noſtræ orationes ſint dignæ Dei auditu, & conſpectu iuxta illud pſal. 85. *Inclina Deus meus aurem tuam, & exaudi me: quoniam inops, & pauper ſum &c.*

Vel etiam, & conformius ad literam dici poteſt, Per ly *audi nos*, nos petere admitti ad audientiam ante maieſtatem ſuam, & per ly *exaudi nos* ipſum Chriſtum oramus, vt dignetur poſtulata concedere. Sicut in humanis prius petimus admitti, & introduci ad Principis audientiam, & conſpectum: Deinde introducti petimus exaudiri, & voti compotes fieri. Hac forma præcandi vtitur etiam Eccleſia in Miſſa in Præfatione ante Canonem, his verbis; *cum quibus, & noſtras voces, vt admitti iubeas depræcamur &c.* Et in Pſalmis eiuſdem formæ orandi plura habemus exempla: ſic *pſalm. 5. Verba mea auribus percipe Domine: intellige clamorem meum, quoniam ad te orabo*; quibus verbis petitur audientia, deinde addit Propheta, & petit exaudiri dicens, *mane exaudies vocem meam*: Ita pariter in caſu noſtro, prius dicimus Chriſte audi nos, deinde Chriſte exaudi nos.

Pater de Cælis Deus: &c.

Hoc nomen Deus, quod in hac ſecunda inuocatione litaniarum tribuimus. Perſonis Sanctiſſimæ Trinitatis propriè, & per ſe ſignificat ipſam Dei naturam, & ſubſtantiam, ſeu eſſe Dei infinitè perfectum, & increatum: vt cum D.Thoma *1.p.q.13. ar.7.* docent communiter Theologi. Hinc oritur vulgatum dubium. An, & qualiter hoc Dei nomen poſſit tribui perſonis Creatis V.g. Angelis, & Sanctis.

Ratio dubitandi ex vna parte eſt, quia ſi ly *Deus* ſignificat Dei ſubſtantiam, & naturam, ſeu eſſentiam, quæ neceſſariò vna tantum eſt, & omnino ſingularis, vt fides Catholica docet (quamuis per errorem gentiles ſua idola Deos vocent) ergo ſi idem nomen Deus tribuatur perſonis creatis, falsò illis tribuitur, quia dicitur de re, quam non ſignificat. Ex altera verò parte in Sacris ſcripturis non ſemel Sancti dicuntur Dij ſic *pſalm. 81. ego dixi dij eſtis, & filij excelſi omnes*: & Chriſtus hunc locum expoſuit *Ioan. 10.* dicens, *illos dixit Deos, ad quos ſermo Dei factus eſt*: Item *exod. 7.* dictum fuit Moyſi, *conſtitui te Deum, Pharaonis &c.* & D.Hieronymus *lib.3.comm. in Mattheum cap. 16.* ex verbis illis Chriſti Domini: *quem dicunt homines eſſe filium hominis &c. vos autem, quem me eſſe dicitis?* colligit Apoſtolos Deos appellari: Quæritur ergo qualiter prædicta conciliari poſſint?

Reſpondemus cum D.Thoma *loco citato ar. 9.* hoc nomen Deus ſumi poſſe dupliciter, vel propriè in ſua rigoroſa ſignificatione, & ſic eſt terminus ſingularis ſignificans veram Dei naturam, ſeu eſſentiam, id eſt eſſe Dei increatum, infinitè perfectum, & incommunicabile pluribus Dijs, & hoc modo non poteſt tribui Sanctis, & perſonis creatis: male enim applicaretur illis tale nomen, & contra regulas fidei, vt per ſe patet.

Secundo idem nomen Deus ſumi poteſt impropriè, & translatè, ſeu analogicè, non quatenus eſt proprium nomen vnius veri Dei, ſed quatenus in lata ſignificatione extenditur ad eos, qui excellentias Dei particulari modo participant, & in hoc ſenſu analogo tribuitur Sanctis: de qua analogia videri poſſunt D.Greg. *lib.5. in primum Reg. cap. 4.* & S.Baſilius, *Epiſt.141.* & Theologi communiter cum D.Thoma loco citato, & fuſius de hoc agit Suarez *de Deo vno lib.2.cap.32.*

Hinc Nanzianzenus aliquando dixit, me Deum

per

per Baptiſma facit, & plures Catholici Virginem Deiparam vocant Deam cautè tamen meo iudicio, prædictum nomen tribuendum eſt Sanctis, ne idiotæ, qui huiuſmodi ſubtilitates, & analogias ignorant, in aliquem errorem labantur.

Quid autem dicendum ſit de adiectiuo diuus, vel diuinus? Reſpondeo rectè, & propriè Sanctos diuos, & diuinos dici poſſe: vt conſtat ex communi vſu Catholicorum: nullum enim in hoc vocabulo ſubeſt periculum, ſolum enim importat prerogatiuam, vel excellentiam à Deo creaturis indictam, & aliqnam participationem eſſe Dei: vnde apud Marcum Varronem *in Diuo &c.* etiam Cœlum diuum olim vocatum fuit, vide Serrarium *opuſcul. litaneuticho lib. 2. cap. 13.*

Sancta Trinitas vnus Deus &c.

Deteſtanda hic eſt impij Luthæri audacia, qui temerè ſibi vſurpare auctoritatem corriggendi litanias, manens ipſe incorigibilis deleuit in illis hanc Trinitatis inuocationem, qua Catholici confitentur conſubſtantialitatem diuinarum Perſonarum in vna, eademque natura, ſeu Trinitatem in vnitate: quia enim abyſſus abyſſum inuocat, ex abyſſo ſui Lutheraniſmi in Arianiſmum prolapſus eſt.

Cæterum Altiſſimum Sanctiſſimæ Trinitatis Myſterium, ac conſubſtantialitatem Perſonarum Diuinarum in eadem natura iudęis communè occultum, Chriſtus aperte manifeſtauit, & eandem veritatem prædicarunt Apoſtoli: Determinarunt Concilia; Sancti Patres, & verbis, & ſcriptis profeſſi ſunt, & de ea integra volumina adiderunt Dyoniſius Areopagita de *Diuinis nominibus, & de Myſtica Theologia* Auguſt. in *libris de Trinitate*. S. Ignatius apud Socratem *lib. 6. cap.* 8. Athanaſius, Nazianzenus, alijſque communiter. Denique tota per vniuerſum Orbem Eccleſia in Ligturgijs, in officio, & hyminis, alijſque præcibus hoc myſterium ineffabile docet, & celebrat. Nos igitur reiecta Lutheri inſania; in noſtris Litanijs ſemper inuocemus, & laudemus Beatiſſimam Trinitatem in vnitate, & vnitatem in Trinitate, & dicamus cum Eccleſia Catholica, *Sancta Trinitas vnus Deus miſerere nobis.*

Sancta Maria ora pro nobis,
Sancta Dei genetrix. ora.
Sancta Virgo Virginum. ora.

Tria hic occurrunt breuiter declaranda primo, à quo fuerit Virgini hoc nomen MARIÆ impoſitum, & quid ſignificet.

Secundo. Quam ſublimis, & ineffabilis ſit hęc dignitas Matris, & Genetricis Dei, tertio quam ſingularis, & eximia fuerit MARIÆ Virginitas ſuper omnes virgines, vt meritò dicatur virgo virginum.

Quo ad primum, Diceudum eſt hoc nomen MARIÆ diuinitus reuelatum fuiſſe eius parentibus, & diuina auctoritate Virgini impoſitum, ſicut nomen Iſaac reuelatum fuit Habrææ *Geneſ.* 17. & nomen Ioannis Baptiſtæ eius parentibus; *Luc.* 1. Atque ita aſſerunt D. Hieronymus *lib. de Natiu. MARIAE*; & D. Ambroſius *de Inſtit. Virg. cap.* 5. vbi ait, *Dominus hoc nomen inuenit, quod ſignificat Deus ex genere meo*. Ratio eſt manifeſta: Quia priuilegium hoc accipiendi nomen à Deo fuit aliquibus inſignibus perſonis conceſſum, vt ſupra dicebamus; ergo non debuit denegari Matri Dei: quippe eſt ſignum ſpecialis beneuolentię diuinæ, & ſingularis dignitatis eius, cui ſic nomen imponitur. conſtat autem Beatiſſimam Virginem fuiſſe à Deo ſuper omnes Creaturas dilectam, & ad ſingularem dignitatem maternitatis Dei electam, videri poteſt Suarez *tom. 2. in 3. p. diſp. 2. ſec. 1. circa finem.*

Quid autem ſignificet MARIÆ nomen, multipliciter interpretantur auctores ex proprietatibus linguæ hæbraicæ, vel Syriacæ. Primo enim interpetratur Stella Maris, ſeu Domina, ex D. Hieron. *lib. de nominibus hæbraicis*, ex Damaſceno, & alijs Patribus. Secundo interpretatur Illuminata, vel Illuminatrix; Tertio Magiſtra. Quarto Exaltata, Tandem ſingulariter S. Ambroſius ſupradicit hoc nomen MARIÆ importare Deus ex genere meo, videri poteſt Caniſius *lib. 1. de B.V. cap.* 1. vbi copioſè, & eleganter de hoc nomine diſſerit, & noſter P. Iuſtinianus *in Templo Lauret. lect.* 11.

Cum autem à Dei ſapientia fuerit hoc nomen excogitatum, qui non caſu, vt homines nomina imponit, ſed ad ſignificandas prerogatiuas, & dotes eius, cui hoc priuilegium concedir; non dubinm quin MARIA talis fuerit, qualis per nomen indicata fuit.

Quo ad ſecundum; *Sancta Dei genetrix.* Poſtulat hic verſiculus, vt explicemus, quanta ſit dignitas Maternitatis Dei; & breuiter Dicimus, neque Sermonibus hominum, neque Angelorum id explicari poſſe: cum enim eadem dignitas ſit infinita, conſequenter eſt ineffabilis. Quod autem ſit infinita, docet D. Thomas 1. *p. q.* 25. *ar.* 6. vbi ait, *dignitas hæc eſt infinita ex ſuo genere, quia eſt ſuprema quædam coniunctio, cum perſona infinita;* quod etiam manifeſtè colligitur ex ſententijs Sanctorum Patruum, quas congerit Suarez *tom.* 2 *in 3. p. diſp. 5. lect.* 2. ad quem remitto Lectorem. Et nos potius ſilentio, quam in paribus noſtræ imbecilitatis præconijs hanc infinitam MARIÆ dignitatem veneramur, & admiramur. Quo ad Tertium *Sancta Virgo Virginum*, Meritò ab Eccleſia tribuitur hoc Epitetum MARIÆ: eo quia in virtute puritatis, & candoris Virginei longè excelſuit, & præluxis omnibus virginibus, tanquam exemplar, & idea Virginalis puritatis, & veluti ipſa puritas, & Virginitas in abſtracto, ideſt ſummæ perfectionis, & excellentiæ poſt Deum. Sic enim Eccleſia loquens cum MARIA non contenta fuit appellare eam Virginem: Sed dicit *Sancta, & Immaculata Virginitas, quibus te laudibus efferam neſcio &c.* Virginalis ergo puritas MARIÆ longè ſupereminet, ne dum puritati omnium hominum ex carne compoſitorum, ſed etiam puritatem Stellarum, & Angelorum; quia Stellæ in conſpectu Dei non omnino ſunt mundæ *Iob.* 25. & etiam *in Angelis ſuis Deus reperit prauitatem Iob.* 4. & tamen in MARIA nullam idem Deus intuitus eſt Maculam: vnde *Cantic.* 4. ait *tota pulcra es amica mea, & macula non eſt in te*; Meritò ergo MA-

M RIA

RIA dicitur Virgo Virginum ſicut E. g. Chriſtus dicitur Rex Regum, ratione ſuper eminentis Maieſtatis ſupra omnes Reges, quam à ſe habet, ſed MARIA à Deo habuit ſingularem virginitatem ſuper omnes virgines. Quæ omnia confirmant Sancti Patres communiter, vt videri poteſt apud Suarez *loco cit. Diſp. 6. per totam*, & apud Iuſtinianum *in Templo Lauret. lect. 26. & ſequentibus.*

Ommiſſis autem (ad vitandam hic prolixitatem) innumeris Sanctorum Patrum ſententijs, quibus declarant ſupereminentem omnibus MARIÆ Virginitatem; libet ponderare ſolum Sancti Idelphonſi celebre dictum, quo ſic ait, *MARIA Sanctificationis vas eſt, æternitas Virginitatis, cur ita?*

Primo, quia in Conceptione, & partu Verbi incarnati aſſimillatur æterno Patri, cum quo communem habet Filium, & Filium æternitatis æternitati peperit, & eius virginitati partus tribuitur: Vnde Eccleſia in Canone Miſſe Natalis Chriſti, ſic ait, *diem ſacratiſſimum celebrantes, quo Beatæ MARIÆ intemerata Virginitas huic mundo edidit Saluatorem*. Addit Auguſt. *Serm. 18. de Natiuit.* *æternitatem virginitati dicens. in Patre impaſſibilitas; in Matre incorruptibilitas eſt: in Patre perpetua diuinitas; in Matre æterna Virginitas.*

Secundo, quia æternitas definitur à Theologis, interminabilis vitæ tota ſimul, & perfecta poſſeſſio: congruit ergo æternitas Virginitati MARIÆ, quia fuit, & eſt ſine termino, ſine limitartione. Alijs Virginibus à Deo conceditur integritas, ſed ſine fecunditate, item non exempta à fomite, & motibus concupiſcentiæ: MARIÆ conceſſa fuit Virginitas abſque his limitationibus; fuit enim fecunda, & abſque motibus concupiſcentiæ, eſtincto in ea prorſus fomitè. Deindè ſicut æternitas tota ſimul exiſtens, ſub ſe comprehendit omnes temporum differentias, præteriti, præſentis, & futuri, ſic Virginitas MARIÆ in ſe comprehendit omnes gradus candoris, & puritatis omnium virginum, quæ vel eam præceſſerant, vel ſuo tempore erant, vel in poſterum futuræ: fuit etiam Virgo ante partum, in partu, & poſt partum, & in æternum permanet Virgo.

Tertio, quia MARIA erigens vexillum Virginitatis prima, & ante omnes votum Virginitatis emittens; ſuo exemplo fuit cauſa, vt Virginitas perpetuò duraret in lege Euangelica, quæ perpetua, & immutabilis eſt, non ſicut lex vetus, quæ finem erat habitura: & ſic addidit Virginitati æternitatem.

Quarto, quia ſicut æternitas eſt perpetua, & immutabilis, ita propoſitum ſeruandæ Virginitatis fuit in MARIA perpetuum, & tam immutabile, vt niſi Gabriel eam certiorem feciſſet de permanſura virginitate cum fecunditate, non acceptaſſet Dei Maternitatem.

Quinto tandem, quia fuit adeo amans, & colens virginitatem, vt voluiſſet ab æterno illam Deo conſecrare.

Ratio autem huius præcelſæ, & Diuinæ MARIÆ Virginitatis eſt, quia fuit à Deo præordinata in finem Altiſſimum conceptionis, & partus Verbi Incarnati: Et ad conſecrandum filio Dei thalamum, ex quo factus homo Naſceretur, quo nihil poteſt perfectius, ac excellentius intelligi. Vnde Sanctus Bernardus *ſerm. 4. de Aſſump. quæ enim, ait, vel angelica puritas virginitati illi audeat comparari, quæ digna fuit Spiritus Sancti Sacrarium fieri, & habitaculum filij Dei?*

S. Michael ora &c.

S. Gabriel ora.

S. Raphael ora.

Omnes Sancti Angeli, & Arcangeli orate.

Omnes Sancti Beatorum Spirituum ordines &c.

Poſt Virginem Angelorum Reginam fit inuocatio Angelorum, & Cœleſtis Curiæ ſpirituum in aduitorium hominum triplici modo. Primo enim fit ſpecialis mentio de illis, quorum nomina ex ſacris ſcripturis nobis ſunt nota, vt ſupra dicebamus, Hi ſunt *Michael, Gabriel, & Raphael*; *Michael* vt notat S. Hieronymus *in cap. 8. Danielis præeſt precibus, & oblationibus fidelium, & id circo dicitur quis vt Deus? ideſt ſolius Dei eſt exaudire preces pœnitentium, eorumque peccata dimittere. Raphael præeſt ſanitati Corporum: ideoque Tobiæ viſum reſtituit, & interpetratur medicina Dei. Gabriel præeſt bellis, & prælijs fidelium, vt patet Danielis 12. & interpetratur fortitudo Dei. Vnde miſſus fuit Nuntius Incarnationis Chriſti, qui bellum acerrimum erat geſturus contra Dæmones*: hæc Hieronymus; meritò ergo in litanijs inuocantur in auxilium animarum noſtrarum, & corporum, & contra impetum inimicorum; Quamuis autem plures theologi aſſerant prædictos Cœleſtes ſpiritus eſſe ex tertia, & vltima Hierarchia, videlicet Michaelem ex Primi patribus, deeſt ex primo ordine ejuſdem tertiæ Hierarchiæ; Gabrielem verò, & Raphaelem eſſe ex ordine Archangelorum, vt videri poteſt apud Suarez *in tract. de Angelis*. Cæterum verius eſt, Michaelem eſſe primum inter Seraphinos ſupremæ Hierarchiæ, Gabrielem item eſſe ei proximum, & ſic Raphaelem, vt ex locis Sacræ ſcripturæ probat Cornelius à lapide *comment. in cap. 1. Lucæ verſ. 19.*

Secunda Angelorum inuocatio fit ſub diſtinctione Angelorum, & Archangelorum videlicet omnium Cœleſtium Spirituum inferiorum, & ſuperiorum ordinum: ſumuntur enim hæc nomina in ampliori ſignificatione magis nota populo, quia ly archi ſuperioritatem denotat; In tertia tandem inuocatione fit expreſſior mentio omnium ordinum in genere; & ſic Eccleſia orare, & venerari intendit omnes Curiæ Cœleſtis ſpiritus nemine relito.

Porrò, vt maiori fiducia, & feruore fiat à nobis hæc Angelorum inuocatio; duo præcipuè conſideranda ſunt. Primum certum eſſe ab Angelis Cœli ciuibus ſummoperè nos diligi, vt potè futuros cohæredes ipſorum in Cœleſti Regno: & ſic per homines iuſtificatos, & Sanctos ſciunt Angeli reparandam eſſe eorum ruinam, & reſtaurandas in

Cœlo ſedes, à quibus Lucifer cum ſuis cecidit. Deinde quia filius Dei humanam Naturam aſſumpſit, & ſimilis factus hominibus, adeo eos amauit, vt ingenti prærio ſui ſanguinis redemerit, & ſalutem animarum quæſierit: Cum autem Angeli feruentiſſimè filium Dei ament noſtræ ſalutis cupidum; omnibus modis procurant tale Chriſti deſiderium impleri, atque adeo ſunt etiam ipſi noſtræ æternæ ſalutis ſolliciti: compatiuntur fragilitatem, & imbecillitatem noſtram, libenter ſuſcipiunt noſtri patrocinium, & ſuper vno peccatore pænitentiam agente fit gaudium magnum in Cœlo. Lucę 15. quid ergo trepidamus ad ipſorum præſidium confugere? *fideles ſunt* inquit Bernardus *in pſal. Qui habitat, prudentes ſunt, potentes ſunt, & nos amantes*; plura legi poſſunt apud D. Bernardum loco citato apud Euthimium, & alios.

Secundo conſiderandum eſt, vnum ex miniſterijs, ſeu officijs à Deo Angelis de mandatum hoc eſſe, vt orationes noſtras offerant ipſi Deo, vt de Michaele ſupra ex D. Hieronymo inſinuauimus: quamuis enim hoc munus ſit magis proprium Angelorum cuſtodum; non dedignantur tamen alij ſuperiorum ordinum id ipſum exequi: imò & ambiunt, vt dixit S. Hilarius *in Matth. cap.* 18. his verbis, *ſaluatorum per Chriſtum deſideria, & poſtulationes ad æternum, & inuiſibilem Deum ambitioſo Angelorum famulatu, ac miniſteri peruehuntur, vtique, vt pro nobis intercedant ijdem Angeli, & noſtris præcibus, & efficacitatem præbeant*: Vnde Auguſt. *in ſoliloquijs cap.* 27. loquens cum Deo ait, *gemitus noſtros, atque ſuſpiria Angeli ad te referunt, vt impetrent nobis facilem tuæ benignitatis propitiationem, & referant ad nos deſideratam tuæ gratiæ benedictionem*; plura legi poſſunt apud Suarez *de Angelis lib. 6. cap.* 19. ſufficiunt enim hæc, quæ diximus ad noſtrum intentum de inuocatione Angelorum cum fide, & fiducia.

Sancte Ioannes Baptiſtæ ora. &c.

Interceſſiones Sanctorum eò ſunt magis efficaces, & impetratoriæ apud Deum, quò Sanctus, quem inuocamus, maiori eſt præditus Sanctitate, & eſt magis Deo charus, & illi propinquus; cum ergo Sanctus Ioannes Baptiſta fuerit eximiæ Sanctitatis, & virtutis vt ipſe Chriſtus in Euangelio teſtatus eſt; fuit enim eximius Angelus à Deo miſſus in miniſteriũ altiſſimum Præcurſoris incarnati Verbi, & excelſuit Sanctitate omnes retro Prophetas, & Patriarchas, vt potè plus quam propheta, & maximus vatum, & in gloria eſt Altiſſimus; Sequitur eius interceſſiones eſſe valdè potentes, & efficaces apud Deum. Vnde magna fiducia eſt inuocandus. Hoc poſito.

Examinanda occurrunt hic quædam dubia, de quibus eſt aliqua controuerſia circa ipſum Domini præcurſorem ad ſatisfaciendum pio lectorum deſiderio.

Primo dubitari poteſt. Vtrum Ioannes Baptiſta ſit computandus inter Sanctos noui teſtamenti, vel potius inter eos, qui floruerunt in lege veteri? Plures aſſerunt Ioannem in rigore loquendo pertinere ad teſtamentum vetus, & fuiſſe vltimum Prophetam veteris legis: eo quia mortuus eſt prius quam nouum teſtamentum eſſet confirmatum, quod factum eſt per Sanguinem, & mortem Chriſti: ergo non pertinet ad nouum, ſed ad vetus teſtamentum: eo, vel maximè, quod obnoxius fuit legibus veteris teſtamenti, eaſque ſeruauit, non autem legibus noui teſtamenti, quod non fuit promulgatum ante mortem Ioannis. Huic ſententiæ videtur accedere S. Epiphanius *in lib. de vitis Prophetarum*, vbi Ioannem vltimo loco ponit, indicans eum fuiſſe vltimum prophetam veteris teſtamenti.

E contra Alij exiſtimant eum pertinere ad nouum teſtamentum, inter quos eſt D. Thomas 2. 2. *q.* 174. Eo quia Io. Baptiſta fuit baptizatus à Chriſto, vt cenſet idem S. Doctor *3. p. q. 38. art. 6. ad. 3.* ſufficit autem baptiſmus fides Meſſiæ iam incarnati, vt aliquis de nouo teſtamento eſſe cenſeatur. Deindè quia præcipua ratio veteris teſtamenti conſiſtit in promiſſione, & expectatione futuri Miſſiæ: Ergo qui illum non ex peccactat, ſed præſentem intuetur, vt contigit Ioanni, non aduetus, ſed ad nouum teſtamentum meritò pertinere cenſetur.

Dicendum eſt, Ioannem pertinere ad vtrumque teſtamentum, & prærogatiuas vtriuſque participaſſe: quia plures e Sanctis Patribus illum vocant principium nouæ legis, & finem veteris; quia à Ioanne prædicari cæpit, & promitti regnum Cœlorum, quod proprium eſt legis Euangelicæ. Item à Ioanne cæpit teſtificatio, & demonſtratio Meſſiæ iam nati, & præſentis, atque noui teſtamenti conditoris: Et ideo dicitur Ioannes, quaſi principium, ſeu præuia diſpoſitio nouæ legis, & indicium finis propinqui legis veteris. Sicut Lucifer dicitur eſſe initium Diei, & finis noctis. Sic Tertullianus *lib. 4. in Marcio cap. 33. Agnoſcamus inquit Ioannem conſtitutum inter vetera, & noua; ad quem deſineret iudaiſmus, & à quo inciperet Chriſtianiſmus*; & ſimili modo loquuntur Nazianzenus, Auguſt. alijque Patres, vt videri poteſt apud Suarez in *3. p. tom. 2. diſp. 24. ſect. 2. fine*.

Secundo Dubitatur Cum Chriſtus dixerit *Matth. 11. inter natos mulierum non ſurrexit maior Ioanne Baptiſta*: & eum fuiſſe pluſquam Prophetam: & ideo communiter affirmant expoſitores, Ioannem in perfectione Sanctitatis, & dignitatis maiorem eſſe omnibus Prophetis antiquæ legis, etiam Moisè; dubium ſupereſt. An Ioannes ſit maior Apoſtolis, vel illis æqualis, & quid de Ioanne ſentiendum in comparatione Apoſtolorum?

Dicendum eſt primo. Apoſtolos quo ad officium, & munus Apoſtolicum, fuiſſe ſuperiores Ioanne. Ratio eſt, quia Apoſtoli fuerunt fundamenta Eccleſiæ, ac Paſtores, & Principes ſuper omnem terram, ſeu propagatores fidei Chriſti per totum orbem, quod Ioannes in vno ſolum populo Iudęorum præſtitit: munus Apoſtolicum fuit maius & excellentius, tum poteſtate, tum dignitate tum rerum agendarum pondere, & magnitudine. Ita D. Anſelmus, & D. Thomas, quos citat, & ſequitur Suarez *ſupra Sect.* 3. Nec obſtat teſtimonium Chriſti in fauorem Ioannis: Chriſtus enim dixit, quod actenus non ſurrexerit maior Ioanne, loquens de tempore præterito, & de Prophetis

antiquæ legis; vnde non ſequitur tiemlnem deinde poſt Ioannem ſurrecturum eo maiorem.

Dicendum ſecundo. Quoad vitæ perfectionem, & Sanctitatem. An Ioannes præponendus ſit Apoſtolis, vel è contra; dubia res eſt, & nihil certi affirmari poteſt. Quamuis enim Deus communiter det gratiam, & Sanctitatem muneri cuiuſquæ accommodatam: vnde ſequi videtur, quod ſicut Apoſtoli fuerunt munere Superiores Ioanne; ita pariter fuerint Sanctitate, & gratia; Nihilominus ſæpe ipſe Deus non ſolum dat gratiam neceſſariam ad obeundem munus cuique impoſitum, ſed tribuit nonnullis gratiam, & Sanctitatem multo maiorem ex ſingulari beneuolentia. Quamuis ergo miniſterium Ioannis fuerit inferius officio, & munere Apoſtolorum; fieri tamen facile potuit, vt Ioannes propter Coniunctionem, & Spiritualem quandam familiaritatem cum Chriſto, abundantiorem gratiam fuerit conſecutus. Vide Suarez loco ſupra citato.

Tertio dubitatur, An Ioannes fuerit illuſtria gratia miraculorum, ſicuti fuerunt pleriq; Sancti, etiam veteris teſtamenti, vt ex Sacra Scriptura conſtat de Moyſe, Eliſeo, Elia, & alijs quibus, vt diximus maior fuit Ioannes, Ad quod.

Dicendum breuiter eſt Sanctiſſimum præcurſorem in vita nullum feciſſe miraculum, vt conſtat *Io. 10.* quod tamen nihil derogat dignitati, & Sanctitati illius: Ita enim diuinitus ordinatum eſt teſte D. Thoma *3. p. q. 38. ar. 2.* Quia Ioannis doctrina, & operatio ordinabatur ad Chriſtum, vt homines principaliter in Chriſtum intenderent, & differentiam agnoſcerent inter Chriſtum, & Ioannem: ne ipſe Ioannes crederetur Meſſias: vnde expediens fuit, vt ſolum vitæ exemplo, & ſententijs Scripturarum teſtimonium Chriſto preberet, præſertim tempore ſuæ prædicationis.

Dixi præſertim tempore prædicationis ob rationem allatam a D. Thoma: quia alias Ioannes fuit, quaſi continum miraculum. Miraculo enim ex parentibus ſterilibus conceptus fuit, miraculó Chriſtum in vtero agnouit, & adorauit: miraculo naſcens commune omnibus gaudium attulit: miraculo in Circunciſione muto patri loquelam reddidit: miraculo puer abijt in deſertum, ibique maximam vitæ partem vixit quaſi Angelus. Atque hæc ſatis de Ioanne.

Omnes Sancti Patriarchæ, & Prophetæ. Orate.

Muſſitant hic heretici nouatores, & improperant, quod in litanijs ſolum in genere Patriarchas veteris teſtamenti inuocemus; neminem vero in particulari, & nominatim: cum tamen conſtet multos fuiſſe eximiæ Sanctitatis, & nunc in Cœlis potentis apud Deum Abraham, Iſac, Moyſem, &c. cur hoc?

Reſpondemus ab Eccleſia Catholica etiam coli & in honore haberi Sanctiſſimos Patriarchas, quos in litanijs generatim inuocat, & in Martyrologio nominatim exprimit. Quia vero Sancti noui teſtamenti ſunt nobis coniuntiores, & eorum fides in Chriſtum illuſtrior eſt, geſta quoque, & facta magis apta, quæ nobis admittenda proponantur, id circo nominatim inuocantur, & feſtis particularibus celebrantur.

Sancte Petre Ora.

Sancte Paule Ora.

Apoſtolorum inuocatio incipit à SS. Petro, & Paulo, tanquam à digniotibus, quos Eccleſia ſupra alios veneratur, ac coniunctim ſemper orat, & inuocat, in commemorationibus, ſeu ſuffragijs Sanctorum, in Miſſa, & officio: Semper enim in feſtis D. Petri fit commemoratio S. Pauli, & è contra. Sicut enim hi duo glorioſi Principes ſpecialiter ſe dilexerunt in vita, nec in morte ſeparati ſunt; ita Eccleſia eos non ſeparat in cultu, quem eis exhibet. Cur autem Paulus, qui poſt alios fuit nouiſſimè electus ad Apoſtolatum, quique humiliter fatetur ſe eſſe minimum Apoſtolorum, & indignum, qui vocetur Apoſtolus; nihilominus præferratur alijs, & comparetur Petro totius Eccleſiæ capiti, & ſupremo in terris Chriſti Vicarios? Dic, quia ſuperauit omnes in ſapientia, & doctrina, in gratia, & ſanctitate, in efficacia, & fructu prædicationis, in laboribus, & ærumnis, in carceribus abundantius, in plagis ſupra modum, vt liquet ex eius epiſtolis, in quibus Spiritu Sancto motus manifeſtat gratias, & prærogatiuas ſibi a Criſto collatas. Præſertim veró per anthonomaſiam dicitur Apoſtolus, & coapoſtolus Petri; quia ſicut Petrus conſtitutus fuit Paſtor, & Summus Pontifex totius Orbis, ita Paulus totius orbis magiſter, & Doctor gentium omnium, de quibus loquens. S. Leo Papa, *Sermo 1. in Natali Apoſt.* ſic ait: *de quorum merit s nihil diuerſum nihil debemus ſentire diſcretum: quia illos, & electio pares, & labor ſimiles, & finis fecit æquales.*

Portó notandum eſt D. Leonem loqui de æqualitate, & paritate horum Sanctorum in meritis, & virtutibus, non veró in dignitate, aut in Culmine Pontificatus; ſolus enim Petrus hunc primatum á Chriſto obtinuit, & hac ratione Paulus fuit eius ſubditus, ſicut etiam cœteri Apoſtoli, & omnes, qui oues ſunt Chriſti: Adeo tribuere Paulo æqualitatem cum Petro in Summo Pontificatu, eſſet error, & manifeſta hæreſis, nouiſſimè damnata ab Innocentio X. occaſione controuerſiæ ſuper hoc puncto exortæ in Gallia: hac ergo ſuprema dignitate excepta, currit puritas Pauli cum Petro, de qua loquitur D. Leo, & ſimilia legi poſſunt apud Chryſoſtomum, & alios Patres. Pulchrè etiam Venans Fortunatus *lib. 3. Carm.*

Paulum cum Petro ita comparat, & combinat

Coelorum portæ, lati duo lumina mundi
Ore tonat Paulus, fulgurat arce Petrus
Inter Apoſtolicas radiantı luce coronas
Doctior hic mon tis celſior ille gradu
Corda per hunc hominum reſerantur, & aſtra per illum
Quos docet hic ſtylo ſuſcipit ille polo

Pandit

Pandit iter Coeli hic dogmate, clauibus alter
Eſt via, cui Paulus, Ianua fida Petrus
A facie hoſtili duo propugnacula præſunt
Quos fidei turres Vrbs, caput orbis habet.

Omnes Sancti Innocentes. Orate.

Inter Martyres primo loco innocantur infantes ab Herode in odium Chriſti occiſi; & vt verè martyres ab Eccleſia coluntur, & à SS. PP. celebrantur: vt eſt videre in officio feſti eorumdem Innocentium. Item fuerunt primitiæ, & flores martyrum, ac prima Chriſti Victima, vt canit Eccleſia in hymnis eiuſdem officij: Chriſtus enim amat infantes innocentiæ typos, vnde Auguſt. *Deus*, inquit, *eſt qui natus eſt, innocentes illi debentur victima, & id circo à Chriſto infante infantes, & innocentes ad Gloriam martyrij euecti fuerunt.*

Statim verò hic ſuboritur difficultas. Qui fieri poteſt vt infantes ratione, & vſu liberi arbitrij carentes poſſint eſſe veri martyres: cum ad martyrium requiratur voluntaria mortis acceptatio à tyranno, & acceptatio in teſtimonium Chriſti, & fidei Catholicæ, eſtque actus virtutis fortitudinis, vt docet D. Thomas 22. *q.* 124. *ar.* 2. & expoſitores communiter: talis autem actus infantes vſu rationis carentes ſunt incapaces.

Confirmatur: quia ſi chriſtianus adultus dormiens ſeu in ſomnis in odium Chriſti occideretur, quando nihil de morte ante cogitauerat, non eſſet martyr: quia defuit conſenſus, vt docent expoſitores citati, & videri poteſt Leſſius *lib. 3. de fortitudine cap.* 1. *dub.* 3. ergo nec infantes ſic occiſi propter Chriſtum videntur veri martyres ob defectum conſenſus, & voluntariæ acceptationis mortis in teſtimonium veræ fidei.

Reſpondetur mortem infantium occiſorum propter Chriſtum acceptari à Deo adinſtar formalis martyrij: quia ſupplent Chriſti merita defectum voluntatis eorum: vt ſicut voluntas, & peccatum Adami illis obfuit, quatenus naſcendo ex ipſo, contrahunt peccatum originale; ita voluntas, & meritum Chriſti illis prodeſt, vt renaſcendo per ipſum conſequantur iuſtitiam: renaſcuntur autem ſicut per Sacramentum Baptiſmi, ita, & per martyrium, quod Baptiſmo æquiparatur, & dicitur Baptiſmus Sanguinis. Non eſt autem eadem ratio de Adultis, qui ſicut non poſſunt abſque ſuo expreſſo conſenſu contaminari peccato, ita neque conſequi iuſtitiam. Vnde nec Baptiſmus, nec martyrium ſeu mors illata propter Chriſtum adultis proſunt ſine proprio conſenſu, & voluntaria acceptatione.

Ex quibus colligitur primo, ſi inter prædictos infantes aliqui nondum fuiſſent circumciſi, nec mundati a peccato originali fuiſſe nihilominus ablutos, & iuſtificatos per martyrium: ſicut modo iuſtificantur paruuli per Baptiſmum: hæc enim duo per omnia æquiparantur: vnde Auguſt. *ſerm. de Innocent. ò paruuli ait de veſtra corona dubitet, qui paruulis Baptiſmum prodeſſe non putat.*

Colligitur Secundo Martyres recte diuidi communiter à DD. in tres Claſſes. Prima eſt eorum, qui tum opere, tum voluntate ſunt martyres, quales ſunt adulti, qui voluntariè mortem à tyranno pro Chriſto illatam ſuſcipiunt, & acceptant; & hoc eſt perfectius martyrium, quod etiam formale vocatur: quia ſequitur ex intentione teſtificandi veram fidem. Secunda Claſſis eſt eorum, qui ſolo opere ſunt martyres, quales ſunt innocentes ex ſupra dictis, quorum martyrium à quibuſdam appellatur materiale, non quia careat vera ratione martyrij, ſed quia oberat intelligentia, & voluntas teſtificandæ veritatis; nihilominus teſtimonium, quod non poterant ſermone, perihibuerunt paſſione: vnde Eccleſia in oratione. *Deus cuius præconium Innocentes martyres non loquendo, ſed moriendo confeſſi ſunt &c.* Tertia Claſſis eſt eorum, qui ſola voluntate, & efficaci martyrii deſiderio dicuntur martyres: ſed ad eius gloriam non perueniunt: quia mors illis non infertur, vti contigit Seraphico Patri Franciſco, qui ex deſiderio martyrij profectus eſt ad Soldanum Ægipti, ſed hic videns eum virum Sanctum noluit eum occidere. Poteſt autem contingere, vt alicui a tyranno inflicta ſint vulnera lethalia naturaliter ſufficientia, & efficacia ad cauſandam mortem: vel ſimilis cauſa ei fuerit applicata, ſed diuinitus impeuit, vnde re ipſa mors ſecuta non fuit, vt V. G. contigit Ioanni Euangeliſtæ immerſo in feruentis olei dolium hoc enim cenſendum eſt verum martyrium videri poteſt Leſſius ſupra citatus.

Omnes Sancti Martyres. orate.

Omnes Sancti Doctores. orate.

Omnes Sanctæ Virgines. orate.

Triplex ordo Sanctorum hic prænotatus vltra gloriam Eſſentialem viſionis Dei, qua omnes Beati fruuntur; decorantur à Chriſto ſpecialibus inſignibus, & prærogatiuis, quibus alijs Sanctis prælucet: & dicuntur aureolæ, ſeu laureæ, ſiue martyrij, ſiue doctoratus, ſiue Virginitatis: qua ratione Sancti prædictorum ordinum, ſunt ſpeciali veneratione digni. De his ergo aureolis breuiter hic diſſerendum eſt in gloriam eorumdem Sanctorum, & ædificationem legentium, vt magis deuotè eos inuocent in litanijs. Primo ſupponendum eſt, vt certum conſtitutas eſſe à Deo tres aureolas, vnam martyribus, alteram doctoribus, tertiam Virginibus. Prima Sanctorum Martyrum colligitur ex *apoc. 7. amicti ſtolis albis, & palmæ in manibus eorum.* Secunda Doctorum ex *Danielis 12. qui ad iuſtitiam erudiunt multos fulgebunt, vt ſtellæ firmamenti &c.* & *Matth. 5. qui fecerit, & docuerit magnus vocabitur in Regno Cælorum.* Tertia Virginum ex *Apoc. 14.* vbi de Virginibus dicitur, *cantabunt canticum, quaſi nouum: quod nemo alius poterat dicere*: vnde ab Eccleſia ſpeciali quadam ratione Chriſtus dicitur corona Virginum in hymno pro Virginibus. Vnde communiter à Theologis, & Doctoribus, tres prædictæ aureolæ ſtatuuntur ex communi ſenſu Eccleſiæ. Dicuntur autem aureolæ, quaſi paruæ coronæ aureæ, paruæ inquam reſpectu coronæ primariæ, & eſſentialis viſionis Beatificæ, ſed aureæ, quia pretioſe, & excellentes.

Cur

Cur autem tres ſtatuantur Aureolæ non plures nec pauciores; rationem reddit D. Thomas in 4. *diſ.49.q.5.* Quia Aureola, cum ſit corona, eſt præmium inſignis victoriæ. Tres autem ſunt victoriæ inſignes contra tres vulgatos inimicos noſtræ ſalutis, Carnem videlicet, mundum, & Diabolum. De carne triumphat Virgo; de mundo, & tyrannis triumphat martyr; de Diabolo patre mendacij, & fallaciarum triumphat doctor explicatione veræ doctrinæ, & ſalutarium documentorum: ergo hiſce tribus debentur Aureolæ.

Confirmatur quia in rebus publicis rectè inſtitutis lumine naturali dictante, conſtitua fuerunt præmia quædam peculiaria tribus generibus perſonarum. Primo militibus, & ducibus ob præclara in bellis facinora, quibus dabantur, præſertim apud Romanos, coronæ, vel triumphales, vel obſidionales, vel murales, &c. Secundo Doctoribus, ſeu iuris conſultis togæ. Tertio Virginibus coronæ roſarum, & florum: nil ergo mirum, ſi Deus luminis naturalis primus auctor, & liberaliſſimus remunerator operum inſignum, tribus præfactis Sanctorum ordinibus Aureolas conſtituerit. Supereſt explicare quid nam ſint hæ Aureolæ, & quid peculiare habeant in Cœlo Sancti triplicis huius ordinis ſupra alios. Certum autem videtur Aureolis tribui his Sanctis. Specialem quandam dignitatem, & peculiarem honorem, quo omnibus elucet inſignis earum victoria contra Mundum, Diabolum, & Carnem: & in particulari quidam exiſtimãt in animis eorundem Sanctorum imprimi à Deo qualitates quaſdem ſpirituales, vel Characteres repreſentates illorum victorias, & poſt reſurrectionem in die nouiſſimo etiam in eorum corporibus glorioſis, eaſdem Victorias ornamento ſpeciali fore ſignandas. Cœterum, quia de modo particulari, quo Deus in tali remuneratione vtitur nihil certi habetur, neque ex ſcripturis colligi poteſt; non eſt de hac re vlterius inquirendum: non enim de eſſe Deo poſſunt innumera præmiorum genera, plurima ornamentorum, & dignitatum inſignia, quæ nos omnino latent in præſenti vita, & manifeſta nobis erunt in patria.

S. Maria Magdalena. Ora.

Maria Magdalena, quæ fuerat in Ciuitate peccatrix, quia profluа lacrymarum, & celebri pęnitentia lauit ſua crimina; anteponitur omnibus Sanctis Mulieribus, & primo loco inuocatur ante Virgines: vt oſtendatur magna vis pœnitentię, & ingentis doloris de peccatis, quò ita reſtaurantur virtutes deperditæ, & vigi lacrymarum imbre, ita fœcundatur anima; vt mirificè augeantur, & reddantur pœnitentes ſanctiores Virginibus, de qua re videri poteſt D. Thomas *3. p. q.89. per totum:* cum ergo Magdalena inſignis peccatrix, inſignem egerit pœnitantiam, meritò præfertur omnibus, etiam eximiæ Sanctitatis Virginibus: vnde canit Eccleſia.

Summi Parentis vnice
Vultu pio nos reſpice
Vocans ad arcem gloria
Cor Magdalenæ pænitens
Et gemma deterſo luto
Nitore vincit Sidera.

Quamuis enim per pœnitentiam, neque innocentia, nec Virginitas recuperari poſſint, vt idem D. Thomas declarat, eò quia innocentia conſiſtit, in hoc, vt nunquam amiſſa ſit gratia per peccatum; & Virginitas, vt nunquam voluntariè ſe quis inquinauerit luxuria, fieri autem non poteſt, vt peccatum ſemel commiſſum perpetratum non fuerit, quia ad præteritum non datur potentia, Nihilominus cum per pœnitentiam recuperentur virtutes, & inſuper vigi profuſione lacrymarum ſemper augeantur; tam perfecta agi poteſt, pęnitentia, vt pęnitentis virtutes, & merita ſuperent merita iuſtorum, Virginum, vt contigit in Magdalena.

Ab omni peccato libera.
Ab ira tua libera.
A morte perpetua libera.

Omne peccatum eſt, vel dictum, vel factum, vel conceptum contra legem Dei æternam, quo Deum ſummè bonum offendimus, & eius iram in nos prouocamus: Ira Dei Omnipotentis Summi terroris eſt: quæ auerti non poteſt, niſi pœnitentia, & conuerſione ad ipſum Deum. Tandem perſeuerantibus in peccato imminet ex ira Dei mors perpetua, & cruciatus æternus, à quibus omnibus pia mater Eccleſia ſaluti proſpiciens ſuorum fidelium, petit eos liberari, ſi ipſi vellint, & reſipiſcant: vt autem velint, & ad pænitentiam diſponantur; tria monita hic breuiter ſubijcimus, quibus melius cognoſcatur, tum peccatorum acerbitas, tum iræ Dei terribilitas, tum mortis perpetuæ calamitas.

Primum monitum ſit Apoſtoli Ad *Hebr.* 10. *Horrendum eſt incidere in manus Dei viuentis:* quod eſt dicere, Deus noſter non eſt, ſicut Dij gentium, qui oculos habent, & non vident, manus habent, & non palpabunt: Sed eſt Deus viuens, & verus, cuius oculi lucidiores ſunt ſuper ſolem, & omnia rimatur arcana, & abſcondita, cuius manus omnipotentis ſunt manus, & vſquequaque protenſæ ſi enim gentilis pœta verè dixit.

An neſcis longas regibus eſſe manus.

Quid dicendum de Deo immenſo, & omnipotente, cuius iudicia abbyſſus multa: horendum certè eſt incidere in manus Dei: quia nuſquam poteris illas effugere, etiam ſi pennas haberes: *quò ibo à ſpiritu tuo* ait pſalmiſta, *aut quò à facie tua fugiam, ſi ſumpſero pennas meas diculo, & habitauero in extrema maris, illic tenebit me dextera tua.* Horrendum eſt incidere in manus Dei, qui ſolo tactu montes redigit in fauillam, *qui tangit montes, & fumigant pſal.* 103. quid de te erit homuncio, ſi in has manus incidas? concludo ſic. Nemo fugit iram Dei, niſi qui ad ipſum iratum confugit per conuerſionem, & pœnitentiam *pſal.* 84. *conuerte nos Deus Salutaris noſter, & auerte iram tuam à nobis:* nemo poteſt nos liberare ab ira

Dei,

Dei, niſi ipſemet Deus; id circo orat Eccleſia *ab ira tua libera nos Domine*, vide Theophilactum in cit. locum Apoſt.

Secundum monitum eiuſdem Apoſt. ad *Rom.* 2. *Secundum Duritiam tuam, & impœnitens cor theſaurizas tibi iram in die iræ, & reuelationis iuſti iudicij Dei.* Peccatum ſemel commiſſum iram Dei meretur: ſed perſeuerantia, & obduratio in peccato cauſa eſt vt vltio diuina more theſauri collecta depromatur, & vniuerſa in peccatorem effundatur. Quid ergo tardas conuerti ad Deum? audi Prophetam *pſal.* 7. *niſi* inquit *conuerſi fueritis gladium ſuum vibrabit, parauit vaſa mortis* id eſt receptacula inferni, vbi mors perpetua, & cruciatus æternus, vbi damnati moriuntur morte immortali: quia iugiter ſunt in tormentis mortiferis: vitam moribundam viuunt, & in morte æterna in æternum perdurant. *A morte perpetua libera nos Domine.*

Tertium monitum ſit Chriſti Domini *Matth.* 19. vbi ait, *nolite timere eos, qui occidunt corpus &c. ſed potius timete eum, qui poteſt, & animam, & corpus perdere in gehennam.* Quid poſſunt facere inimici, & tyranni? corpus poſſunt occidere, non animam: ſed corporis interitus parui momenti eſt, quando ſupereſt anima viuens, & immortalis, qua etiam corpus in reſurrectione viuificabitur ad vitam immortalem: animæ ſolum mors eſt pertimeſcenda, quam conſequitur mors æterna, & animæ, & corporis: Deum potius time, qui poteſt, & animam, & corpus perdere in gehennam: caue à te ipſo, qui potes per peccata animam tuam occidere, & pete cum Eccleſia à peccatis liberari. *Ad omni peccato libera nos Domine.*

A ſubitanea, & improuiſa morte libera.

Subitanea, & improuiſa mors, eſt aditus ad mortem perpetuam, de qua ſupra diximus: fit autem hæc petitio in ſenſu copulatiuo ad vitandam mortem, quæ ſimul eſt ſubitanea, & improuiſa, quæ incautos, & imparatos inuadit, quando non ſupereſt pœnitentiæ tempus: vt monet Eccleſia in die cinerum. *Ne ſubito præoccupati die mortis quæramus ſpatium pœnitentiæ, & inuenire non poſſimus*: vigilantibus enim, & bene diſpoſitis, qui iugiter parati ſunt ad mortem, non nocet mors repentina, & ſubitanea. *Paratos igitur eſſe nos conuenit*, ait S. Hilarius *in cap.* 26. *Matth. quia diei ignoratio intentam ſollicitudinem ſuſpenſæ expectationis exagitat*, & D. Hieronymus ſuper illa verba *Matth.* 25. *vigilate itaque, quia neſcitis diem, neque horam* ſic ait; *quia ignoratis diem mortis, & iudicij; lumen bonorum operum præparate: nam qui pœnitenti veniam ſpopondit, peccanti diem craſtinum non promiſit: vt quid ergo pœnitentiam differs in craſtinum, qui fortè craſtinum non videbis repentina morte abſortus?*

Nititur impenſe Diabolus ſuadere ſuis ſequacibus ſupereſſe illis adminus vnius anni vitam, & hoc completo alterum annum eis promittit, & ſic deinceps: quo fit, vt miſeri peccatores ſingulis annis pœnitentiam differant in annum ſequentem: ſicque eo ipſo anno, qui morti ſingulorum à Deo decretus eſt, certè ſperantes alterum ſupereſſe, mors certa inuadat, & imparatos obruat, & ſemper illis fit mors improuiſa, & repentina.

Huic dæmonis aſtutiæ, & fallaciæ occurrendum eſt ſalutari monitu S. Antonij, qui mille eius nocendi artes optimè nouerat, & teſte Athanaſio in eius vita frequenter dicere ſolebat ſuis alumnis; *ſic viuite, quaſi hodie morituri.*

Ab Inſidijs diaboli libera.

Requirit hæc petitio, vt explicemus cur Deus, qui eſt ſumma bonitas, & ſalutis hominum amantiſſimus, concedat nihilominus, vel permittat Diabolo, vt nos tentet, & ad peccata prouocet, inſidias, & tendicula paret: cum tamen nouerit plures ſuccumbere, & à tentationibus victos damnationis pœnam incurrere?

Reſpondeo, & dico primo. Hæc tentationum permiſſio, & conflictus hominum cum diabolo, ne dum aliena non eſt à diuina bonitate, & ſapientia, ſed illi maximè congruit. Probatur primo quia, ſic fit illuſtrior, & magis emicat excellentia, & efficacia diuinæ gratiæ: ſiquidem dum homines ex ſe valde ſint debiles, & imbeciles; quoties ſuperbum, & arrogantem hoſtem vincunt, & ſuperant, maximè elucet in eis ſupernaturalis gratiæ robur, & efficacia, cuius virtute homines ſunt dæmonibus fortiores: Cum autem auxilia diuinæ gratiæ nulli deſint, omnes ſi velint, & faciant, quod in ſe eſt, poſſunt dæmones vincere, & fugare; vnde Bernardus *ſerm.* 5. *Quadrag. in nobis eſt* inquit *ſi vinci nolumus: nemo noſtrum in hoc certamine deijcitur inuitus.*

Probatur Secundo. Quia ex tentationibus, & certaminibus huiuſmodi cum diabolo pendet magna ex parte gloria, & corona iuſtorum, ſiquidem ex Apoſt. 1. *Thim.* 2. *non coronabitur, niſi qui legitimè certauerit*: quomodo autem certabit, qui impugnatorem non habet? vt rectè Bernardus *ſerm.* 64. *in cant.* alijque Sancti Patres paſſim docent.

Probatur Tertio. Quia id eſt neceſſarium, vt homines contineantur in humilitate, & timore, vt neceſſitatem diuinæ gratiæ agnoſcant, & ad orandum frequenter excitentur; videri poteſt Suarez de *Angelis lib.* 8. *cap.* 18.

Dico Secundo. Qui tentationibus ſuccumbunt, & ſuperantur à diabolo in perniciem animæ propriæ non poſſunt queri de Deo, ſed ſuæ negligentiæ, & malitiæ adſcribere debent infelicem belli exitum. Probatur, quia Deus fidelis eſt, & non patitur nos tentari ſupra id quod poſſumus, teſte Apoſt. 1. *Corinth.* 10. & definitur in *Trid. ſeſ.* 24. *can.* 9. ergo qui ſuccumbit, & cadit, vitio ſuo cadit, non defectu Dei: cum ſcriptum ſit *Oſeæ* 13. *perditio tua ex te, tantum in me auxilium tuum.*

Confirmatur primo ex eodem Concil. Trid. *ſeſſ.* 6. *cap.* 11. vbi habetur, *Deus impoſſibilia non iubet, ſed iubendo monet, & facere, quod poſſis, & petere quod non poſſis, & adiuuat vt poſſis*; qui ergo ſuccumbit vitio ſuo ſuccumbit, quia vel voluntariè dat locum diabolo, vel non recurrit ad Deum per orationem vt eius imploret auxilium.

Confirmatur Secundo ex dicto S. Ephrem *Trac. de patientia*: *ſi enim* inquit, *homines ſuis iumentis*

non

non plus oneris imponunt, quam ferre poſſint; multo minus hominibus plus tentationum imponet Deus, quam ferre queant perditio ergo tua ex te eſt: Chriſti enim iugum ſuaue eſt, & onus leue, *Matth.* 11. non te opprimit iugum, ſed tu illud reijcis, & te ſubtrahis à iugo Chriſti.

Ab ira, & odio, & omni mala voluntate libera.

A ſpiritu fornicationis libera.

Peccatum eſt malum ſuper omne malum, & peſtis animarum, à quo impensè cupit Eccleſia ſuos fideles liberari: cum autem ſupra à Deo petierit liberationem ab omni peccato in genere, & rurſus hic ab omni mala voluntate: quia non eſt peccatum niſi voluntarium; deſcendit modo ad particularia delicta, vt non regnet in nobis, neque ira, neque odium, neque fornicatio, aut immunditia carnis. Ab ira quidem, & odio cauendum, quia maximè opponuntur charitati, & paci; quas virtutes in primis commendauit Chriſtus in Euangelio: ſicut enim plenitudo legis eſt charitas, & dilectio, teſte Apoſt. *ad Rom.* 13. ita odium, & ira, & charitatis defectus totius legis ſunt diſſolutio. A ſpiritu etiam fornicationis maximè cauendum eſt, quia amor laſciuus faſcinum quoddam eſt hominem dementans, & peruertens cor: ac vehemens puſillorum ſcandalum, qui prauo exemplo ad laſciuiam pertrahuntur; Veh. autem mundo à ſcandalis, & Veh. homini illi per quem ſcandalum venit. Vide dicta *in trac. de proceſſionibus ſect.* 1. *punc.* 9. *myſterio* 4.

A fulgure, & tempeſtate libera.

Mirum hic videri poteſt, cur Eccleſia, quæ non admodum eſt anxia de auertendis flagelis, & damnis temporalibus: ſed tota eius intentio dirigitur ad vitandos cruciatus æternos ſuorum filiorum, & ad eliminandas cauſas æternæ damnationis, vt conſtat ex ſupradictis; nihilominus hic ſolum a Deo petit nos liberare à fulgure, &c. cur non etiam à peſte, à fame, à bello, quæ multò maiorem ſtragem inducunt, ac prouincias, & regna exterminant?

Reſpondent communiter, cauſam talis petitionis eſſe, quia fulmina, & tempeſtates, inter arma furoris iræ Dei ſunt terribiliſſima: vnde Deutor. 32. dicitur, *ſi acuero vt fulgur gladium meum &c. reddam vltionem hoſtibus meis*, & Apoc. 4. dicitur, *de throno Dei procedebant fulgura, & tonitrua ad demoſtrandum, quam ſit Deus terribilis.*

Fulmina enim ingenti tonitruorum fragore valdè exterrent, & ſuo impetu, & ictu, vrendo, liquando, diruendo ſtragem horribilem cauſant: ſæpe etiam ſolo afflatu homines ita interrimunt, vt ſpecie corporis exterius illæſa apparente, interius eorum oſſa comminuat, imo, & incineret. Rectè Ouidius ea vocat inſida, ſeu inſulca: quaſi tres habeant acies, videlicet vim tenendi ſuo ſtrepitu, vim diruendi vehementia, & vim vrendi, & incinerandi voraci flamma, Metamorph. 2.

Ille pater rectorque Deum, cui dextra triſulcis

Ignibus armata eſt, qui nutu concutit orbem

Vnde nil mirum, ſi ſapientiſſimi, & Sanctiſſimi viri, tonitruorum auditu, & fulminis vibrantis metu perterrefacti, pænè exanimes redderentur, inter quos numeratur D. Tomas Aquinas, qui ad vocem tonitrui in orationem procumbens, ſolitus erat recitare illum verſiculum, *Te ergo quæſumus tuis famulis ſubueni, quos pretioſo ſanguine redemiſti*, & ſimilia de alijs narrat Beda *lib.* 4. *hiſtor. Anglican.* Non eſt ergo mirum, quod ſingulariter a fulgure, & tempeſtate nos liberari petat Eccleſia. Ita cum alijs hunc verſiculum explicat noſter P. Iuſtinianus *in Templo lauretano lec.* 1. *de litanijs in genere*, & quidem in ſenſu literali ſatis appoſite.

Cœterum non euacuatur difficultas initio poſita: quia fulmen, quamuis terribile, computatur tamen inter flagella temporalia, quæ reſpectu æternorum, de quibus Eccleſia in his præcibus eſt modo anxia, nullius momenti ſunt: & quia multo maiorem ſtragem cauſant peſtilentia, bellum, fames &c.

Recurrendum eſt ergo ad ſenſum myſticum, atque dicendum fulmen, & tempeſtatem hic ab Eccleſia vſurpari in ſenſu myſtico, quo ſignificant extremum Chriſti iudicium, eiuſque ſententiam contra reprobos: *ite maledicti in ignem æternum &c.* qua velut horribili fulmine illos eijciet à facie ſua, & velut tempeſtate validiſſima demerget in infernum.

Quod autem hoc intendat Eccleſia non leue ſignum eſt, quod ſtatim, & conſequenter ſubdit, *A morte perpetua libera. &c.*

Hac autem fulminis comparatione vtitur ad exprimendum terribile iudicium diei extremæ: quoniam ea vſus eſt ipſe Chriſtus *Matth.* 24. *ſicut fulgur* inquit *exit ab oriente, & paret vſque in occidentem ita erit aduentus filij hominis.*

Confirmatur quia D. Thomas tonitruorum, & fulminum timidiſſimus, vt ſupra dictum eſt, non tam credendus eſt expauiſſe caſum materialis fulminis, quàm diſtrictionem diuini, & extremi iudicij per fulmen ſignificati: eo, quia auditis tonitruis fundebat eam orationem, quam proponit Eccleſia ſtatim facta mentione iudicij in cantico *Te Deum*, videlicet *Iudex crederis eſſe venturus*, ſtatimque ſubdit, *te ergo quæſumus tuis famulis ſubueni &c.* ergo D. Thomas in hoc ſenſu fulmina metuebat.

Per Myſterium Sanctæ Incarnationis tuæ libera.

Per aduentum tuum libera.

Vtraque hæc obſecratio videtur reddere eundem ſenſum, conſequenter altera videtur ſuperflua: ſi quidem filius Dei non alia ratione dicitur mundum ingreſſus, ſe venisse in mundum, niſi quia carnem humanam aſſumpſit è Virgine: ergo incarnatio, & aduentus in mundum idem omnino important, ergo vna, & eadem eſt obſecratio.

Reſpon-

Reſpondetur vtrumque myſterium habere connexionem ad inuicem, & ſimul peractum fuiſſe à Verbo; differre tamen formaliter vnum ab altero: quia incarnatio importat vnionem hypoſtaticam carnis, ſeu, naturæ humanæ cum perſonalitate Verbi, & vtramque Chriſti naturam diuinam, & humanam in vnam conueniſſe perſonam: Cæterum aduentus filij Dei in mundum ſignificat eius deſcenſum de cœlis ad terram, in qua tunc erat B. Virgo. Poterat autem verbum transferre Virginem ad Empireum, & ibi incarnari, & naſci; deinde in mundum venire: vnde apparet incarnationem, & aduentum non eſſe idem, neque habere neceſſariam connexionem ad inuicem: quamuis de facto connexa fuerint.

Sicut V.g. aliud eſt Chriſtum naſci, & egredi è Virginis vtero, aliud eſt naſci in ſtabulo: poterat enim naſci in aula Regia cum pompa, & delitijs: eligit tamen ſtabulum in exemplum humilitatis, & contemptus delitiarum huius ſæculi: Sic etiam pro incarnatione eligit terram, & mundum: quia pro mundo carnem aſſumere decreuerat: merito ergo ab Eccleſia duplex fit deprecatio per incarnationem, & per aduentum, & manifeſtæ etiam in ſymbolo Miſſæ diſtinguuntur, dum dicitur *Qui propter nos homines, & propter noſtram ſalutem deſcendit de cœlis*: & ſubditur. *Et incarnatus eſt de Spiritu Sancto ex Maria Virgine*.

Sed hic emergit noua difficultas, quid ſignificet deſcenſus Verbi de cœlis ad terram, cum enim Verbum diuinum ſit verus Deus; atque adeo immenſus, & ſemper vbique locorum exiſtens, ei repugnat motus localis, & deſcenſus.

Reſpondetur. Deſcenſum hunc filij Dei de cœlis ad terram non eſſe intelligendum materialiter de deſcenſu per motum localem, ſed metphoricè: quatenus filius Dei, qui ante incarnationem ſolummodo in cœlis mani feſtabatur ſublimis, & altiſſimus; poſt modum dignatus eſt noua præſentia corporali apparere in terris exinanitus, & humilis, atque hæc humiliatio dicitur deſcenſus, ita D. Thomas 3.p.q.57.ar.2.& Theologi communiter.

Per Baptiſmum, & Sanctum ieiunium tuum libera.

Duplex Baptiſmus diſtinguendus hic eſt; Alter, qui dicitur Baptiſmus Ioannis: non quod à Ioanne fuerit immediatè inſtitutus, ſed à Deo: ſiquidem iuſſu Dei, & ex ſpeciali Dei reuelatione conferebatur à Ioanne: vt conſtat ex eius verbis Ioan. 1. qui *miſit me baptizare, ille mihi dixit &c.* cur autem fuerit inſtitutus? Dic quod fuerit inſtitutus tanquam præludium, & diſpoſitio ad verum Sacramentum Baptiſmi nouæ legis à Chriſto inſtituendi: præcipuè vero vt Chriſti manifeſtationi, & cognitioni ſeruiret: Confluentibus enim ad hunc baptiſmum Ioannes annuntiabat Chriſtum, ac iam veniſſe verum Meſſiam, & euidentius quando Chriſtus acceſſit, vt baptizaretur à Ioanne, manifeſtatus eſt à Patre, quia tunc aperti ſunt cœli, & vox Patris intonuit &c. Item, & à Spiritu Sancto, qui ſicut Columba ſuper Chriſtum manſit. Cæterum hic Baptiſmus Ioannis neque fuit verum Sacramentum, neque conferebat gratiam ex opere operato, vel alium effectum ſupernaturalem: neque erat neceſſarium ad ſalutem, ſed nudum ſignum in fines prædictos.

Alter Baptiſmus longè altioris ordinis, qui eſt primum nouæ legis Sacramentum, quo regenerantur ſpiritualiter credentes in Chriſtum, eſtque neceſſarium ad ſalutem, fuit immediatè à Chriſto inſtitutum, diciturque Baptiſmus Chriſti: non quod Chriſtus illum ſuſceperit, ſed quia fuit illius auctor, & iuſſit ab omnibus eſſe ſuſcipiendum. Cur autem idem Chriſtus non ſuſceperit ſuum Baptiſmum, ſed Baptiſmum Ioannis, & plura, quę ad differentiam vtriuſq; baptiſmi pertinent, non eſt noſtrum modò explicare, videri poſſunt apud D. Thomam 3.p. q.38. & 39. & apud expoſitores, his poſitis, deueniendo ad rem noſtram.

Dubitari poteſt, per quem baptiſmum fiat obſecratio in litanijs, vtrum per baptiſmum, quem Chriſtus à Ioanne ſuſcepit, an per baptiſmum, quem ipſe Chriſtus pro omnibus inſtituit?

Reſpondeo probabilius videri hanc obſecrationem fieri per baptiſmum, quo voluit ipſe in Iordane à Ioanne baptizari; quia in eadem obſecratione Eccleſia coniungit baptiſmum cum Ieiunio; volens repræſentare inſignem Chriſti humilitatem cum eius vitæ auſteritate, & mortificatione quadraginta dierum ieiunio in deſerto: inſignis autem Chriſti humilitas reſulſit in ſuſceptione baptiſmi a Ioanne, non verò in inſtitutione Sacramenti noſtri baptiſmatis: ergo &c.

Probabile eſt etiam fieri hanc obſecrationem per vtrumque baptiſmum; quia iuxta communem opinionem, tunc etiam in Iordane inſtituit Chriſtus Sacramentum noſtri baptiſmi Sanctificando aquas ſuo contactu, & deſtinando eas pro materia eiuſdem Sacramenti: facta eſt etiam expreſſa Trinitatis repræſentatio, ac manifeſtatio: quia in Chriſto erat Perſona Filij, in Columba repræſentatus fuit Spiritus Sanctus, & in voce, quæ audita fuit, hic eſt filius meus, &c. manifeſtè Pater innotuit: forma autem baptiſmi in Trinitatis profeſſione, & confeſſione perficitur; vtrumque ergo probabiliter dici poteſt.

Vt ad veram pœnitentiam nos perducere digneris te rogamus &c.

Pro intelligentia huius verſiculi operæ pretium eſt explicare, in quo conſiſtat vera pœnitentia, ad quam perduci à Deo poſtulamus: & qualiter differat ab inani, & falſa pœnitentia? Porrò extat inter opera D. Auguſt. *tom.4.* inſignis liber de vera, & falſa pœnitentia: vbi fusè hoc argumentum proſequitur. Nos breuiter hic ad rem noſtram, quæ magis neceſſaria ſunt adnotabimus.

Pœnitentia eſt deteſtatio, ſeu diſplicentia, & dolor de peccatis commiſſis, quatenus ſunt Dei offenſa; diſtinguitur verò in pœnitentiam perfectam, quæ dicitur contritio, & alteram imperfectam, quæ dicitur attritio. Prima eſt deteſtatio peccatorum, quatenus ſunt offenſa Dei ſummè dilecti, cum propoſito, emendationis: Secunda, ſeu attritio eſt deteſtatio, & dolor de peccatis commiſſis ex motiuo timoris gehennæ, & pœnarum: vel ob fœditatem eorum, cum propoſito &c.

Contritio, ſeu pœnitentia perfecta vim habet iuſtificandi pœnitentem incontinenti etiam extra Sacramentum, ſeu ante realem ſuſceptionem Sacramentialis abſolutionis, cum voto tamen eiuſdem Sacramenti: eo quia procedit ex motiuo charitatis, qua Deus ſuper omnia diligitur. Per attritionem vero non conſequitur peccator veniam, ſeu non iuſtificatur. niſi cum reali ſuſceptione Sacramenti, quo ex attrito fit contritus: ſicuti conſtat ex Trident.*ſeſſ.14.c.1.& ſequentibus* his poſitis, explicandum eſt ad rem noſtram, quas conditiones requirat vera pœnitentia, & qualiter diſtinguatur a falſa.

Reſpondeo ad veram pœnitentiam, qua peccator iuſtificatur, & reconciliatur cum Deo, ſiue extra Sacramentum, ſiue in ipſa reali Sacramenti ſuſceptione, requiruntur omnino tres conditiones.

Primo vt ſit ſupernaturalis, & propter Deum, ſeu ex motiuo ſupernaturali tendenti ſuo modo in Deum, vel immediatè, vel mediatè: quare pœnitentia ex motiuo, mere humano non eſt vera, ſed falſa pœnitentia V.g. pœnitentia elicita ex timore pœnæ infligendæ à Iudice humano. &c.

Secundo requiritur, vt ſit integra, & vniuerſalis omnium peccatorum mortalium: non enim poteſt remitti vnum ſine alio: cum gratia iuſtificans opponatur ſingulis: nec vllum remitti poſſit abſq; pœnitentia.

Tertio requiritur, vt ſit efficax excludens voluntatem peccandi in poſterum: non enim poteſt fieri Dei amicus, aut verè reconciliari cum Deo, qui habet animum eum offendendi: quæ omnia ſatis conſtant ex Concil. Trident. ſupra cit. & fusè explicantur à DD. *in trac. de pœnitentia*.

Colligitur, ſi pœnitentiæ deſit aliqua ex prædictis conditionibus etiam vna ſola, eam non fore veram, ſed falſam pœnitentiam: quia ad veram requiruntur collectiuè omnes explicatæ conditiones ſimul: vt in dicto *trac. de pœnitentia* tradunt DD. communiter. Quando ergo in litanijs petimus à Deo, vt adueram pœnitentiam nos perducere dignetur, petimus perduci ad pœnitentiam, quæ ſimul ſit ſupernaturalis, integra, & efficax, aliter enim eſt omnino inutilis.

Huic veritati totis viribus ſe opponunt nouatores hæretici, & hanc deprecationem abſtulerunt è litanijs: ne dum enim veræ pœnitentiæ ſunt inimici, ſed ipſum nomen pœnitentiæ abhorrent: cum tamen conſtet ex ſacris, ſcripturis, tum veteris, tum noui teſtamenti, pœnitentiam eſſe abſolutè neceſſariam lapſis poſt baptiſmum: vnde contra hæreticorum inſaniam legendus præſertim eſt D. Auguſt. *lib. cit. de vera, & falſa pœnitentia vbi cap. 1 initio* ſic habet.

Quantum ſit appetenda gratia veræ pœnitentiæ omnis auctoritas declarat; omnis bonorum vita conatur oſtendere: languores enim ſanat, mortuos ſuſcitat, vitia fugat, & virtutes exortat. Hæc eſt quæ homines ad Angelos ducit, & creaturam reddit creatori: iſta ouem perditam monſtrauit quærenti, hæc diſſipatorem filium ad patrem reduxit &c. Nos ergo exploſis hæreticis, oremus cum Eccleſia Catholica, vt ad veram pœnitentiam à Deo perducamur

Vt Eccleſiam tuam Sanctam regere, & conſeruare &c. Te rogamus.

Vt Domnum Apoſtolicum &c. in Sancta Religione conſeruare digneris. Te rogamus.

Opere pretium eſt hic explicare, quid ſignificet ly *Domnum*, vel *Domnus*, & qualiter differat à voce dominus. Reſpondetur Domnum, & Domnus eſſe vocabulum diminutiuum, ſeu diminutum per ſyncophen, quod ſignificat dominum inferioris ordinis, habentem Dominium non a ſe, ſed per participationem, & dependens ab alio: quare abſolutè, & per ſe loquendo, hoc nomen Dominus ſoli Deo competit: & ſic in hymno Angelico habetur de Deo, *tu ſolus Sanctus, tu ſolus Dominus*: idemque explicatur vulgato illo verſu.

Cæleſtem Dominum terreſtrem dicite Domnum.

Perſonæ ergo creatæ homines, & alij proprius dicuntur domni, quam domini: quippe eorum dominium, eſt diminutum, & limitatum, temporaneum, & pendens à Deo: e contra Deus à ſe habet ſupremum, & illimitatum dominium rerum omnium, & omnino inde pendens, ideo ſolus Deus eſt per ſe, & abſolutè Dominus.

Hinc viri cordati, & præſertim Eccleſiaſtici, qui frequentius cum Deo tractant, ne videantur ſibi vſurpare titulum, qui per ſe Deo competit, non Domini communiter, ſed Domni appellare conſueuerunt voce per ſyncophem diminuta: quod ad modeſtiam pertinet, & ad reuerentiam Deo debitam.

Quamuis autem facta comparatione inter homines, ac poſito communi, toleratoque vſu loquendi, Prælati Eccleſiaſtici, potiori ratione, quam ſeculares Principes, domini appellentur: in rigore tamen, & per ſe loquendo ſolus Deus eſt abſolutè Dominus, Cœteri vero non Domini, ſed domicelli, & domni appellari deberent. Tandem quando orantes loquimur cum Deo (vt in caſu huius deprecationis litaniarum) neminem præter ipſum Deum appellare debemus Dominum.

In hac ergo deprecatione poſtulat Eccleſia primo, vt Deus in Sancta Religione, id eſt in Eccleſia Catholica, quæ vera, & ſincera religione Deum colit: conſeruare dignetur Domnum Apoſtolicum, videlicet primatum, & dignitatem Romani Pontificis ſupremi in terris Chriſti Vicarij, & ſucceſſoris Petri. Secundo præeminentias, & dignitates Epiſcoporum, Sacerdotum, & aliorum ordinum, quatenus videlicet opus eſt ad conſeruationem, & bonum Eccleſiæ regimen: hæc enim petitio correſpondet præcedenti: & hæc ſatis de ſenſu vtriuſque deprecationis. De ſenſu autem vocis domni videri poſſunt Durandus in *Rationali lib. 5. cap. 2. n. 44.* & Serrarius *opuſculò de litanijs cap. 13.* alijque interpretes diuinorum officiorum.

Vt fructus terræ dare, & conſeruare digneris Te rogamus.

Bona temporalia ad vitæ conſeruationem neceſſaria, ne dum poſſunt rectè à Deo peti, ſed etiam debent, quatenus tenemur vitam in Dei obſequium conſeruare: ea enim omnino pendent ex Dei prouidentia: conſequenter à Deo ſperanda, & petenda ſunt pſal. 144. *oculi omnium in te ſperant Domine, & tu das eſcam illorum in tempore opportuno.* Omnes nos mendici Dei ſumus, ait Auguſt. *ſerm. 15. de verbis Domini*; & Chriſtus in oratione Dominica panem noſtrum quotidianum, à Deo petendum eſſe nos docuit: meritò ergo Eccleſia in hac deprææcatione petit à Deo fructus terræ, quibus nutrimur: Duo autem obſeruanda ſunt vt rectè, & iuxta mentem Eccleſiæ hæc à Deo petamus.

Primum eſt, vt ſecundario, & poſt bona ſpiritualia, & æterna, quæ debent eſſe primo intenta, illa etiam petamus, vt hic facit Eccleſia: etenim Chriſtus *Matth. 6. Nolite* inquit *ſolliciti eſſe dicentes, quid man ucabimus &c. querite primum Regnum Dei, & iuſtitiam eius, & hac omnia adycientur vobis:* non quod alimenta, & victum à Deo petendo non ſint, ſed Chriſtus prohibuit ſollicitudinem, & nimiam anxietatem in illis procurandis, vt fuſius explicauimus de *Proceſs. ſec. 3. punc. 3. cir. 5.*

Secundum eſt, vt alimenta neceſſaria petamus cum debita moderatione: vnde Apoſt. *ad Thimot. 6.* habentes alimenta, & quibus tegamur his contenti ſimus: nam qui volunt diuites fieri, incidunt in tentationem, & laqueum diaboli. Audi Nyſſenum *trac. de orationem. Panem* inquit *dà, non luxum, non dilitias, non quicquam, quo anima à diuina, & potiori cura diſtrahatur*, & infra. *Exiguum eſt, quod natura debes: cur aduerſus temetipſum multiplicas tributa; eſt autem venter perpetuus tributorum exactor. Dic ei qui educit panem de terra à te mihi vita eſt, à te quoque mihi vitæ ſubſidium contingat:* hæc Niſſenus.

Vt omnibus fidelibus Defunctis &c. Te rogamus.

Pro defunctis in purgatorio exiſtentibus orare, & eis ſuffragia impendere, opus inſignis pietatis, & meriti eſſe, conſtat 2. *Machab. 12. Sancta, & ſalubris eſt cogitatio pro defunctis exorare &c.* eo quia ait S. Auguſt. *ſerm. 44. ad fratres, eſt Deo, & Angelis ſuauis, & gratia*; & S. Vincentius Ferrerus: *quia eſt vtilis animæ, pro qua fit, & illi, qui eam facit &c.*

Quo circa dubium occurrit. An ſuffragari defunctis, vt liberentur à purgatorio, ſit opus excellentius, & maioris meriti, quam procurare conuerſionem peccatoris, & liberationem animæ à peccato mortali. Ratio dubitandi eſt: quia animæ purgatorij non poſſunt ſibi ipſis ſubuenire: neque pro ſe ſatisfacere, alleuiando ſuas pænas: ſed ſolum ſatis pati; peccatores vero poſſunt, ſi vellint, Dei gratia, quæ nulli deeſt, à peccatis reſurgere, & ad Deum conuerti: ſubuenire autem impotentibus videtur opus maioris miſericordiæ, & meriti.

Cœterum dicendum eſt eſſe opus excellentius magis Deo gratum, & conſequenter maioris meriti cooperari Deo ad conuerſionem peccatoris atque diuinum opus eſſe.

Probatur quia opus miſericordiæ eò excellentius eſt, quò malum à quo proximus liberatur, eſt deterius, & maioris periculi. At deterius eſt malum culpæ, à quo liberatur peccator, quam malum pœnæ, à quo per ſuffragia liberantur animæ defunctorum; ergo &c. Minor eſt manifeſta, quia per peccatum mortale homo fit inimicus Dei, ſeruus, & captiuus Diaboli, reus æternæ mortis.

Hinc conuerſio peccatoris meritò cenſetur ſummum Dei opus, & conſequenter ſummum eſſe opus illius, qui Deo cooperatur in idem, quo circa docent Theologi, quod iuſtificatio peccatoris ſit maius Dei opus: quam creatio cœli, & terræ: tum quia peccatum magis diſtat à Deo, quam nihil ab ente: tum quia nihil eſt tam Deo contrarium, & exoſum ac peccatum: tum quia per gratiam iuſtificatem peccator ex abyſſo profundiſſimo ſuorum ſcelerum eleuatur veluti ad cœlum empyreum, dum fit amicus Dei, & conſors diuinæ naturæ: atque ita docent D. Augu. *trac. 72. in Ioanne*, & fuſe D. Thomas 1. 2. *q.* 113. *ar.* 9. Tandem hanc veritatem docet Eccleſia in quadam Oratione dum ait. *Deus qui omnipotentiam tuam parcendo maximè, & miſerando manifeſtas &c.*

Neque obſtat ratio dubitandi in contrarium: quia maius malum eſt velle perſiſtere in peccato eum, qui poſſet reſurgere, ſi vellet, quam inuitum in eo ſtatu detineri: Item maius malum eſt per momentum eſſe in peccato mortali: quam per multos annos in purgatorio.

Addo tamen in fauorem animarum purgatorij, huic operi conuerſionis peccatorum eſſe proximum, aut valde affine liberare defunctos à purgatorio, & conſequenter inſignis meriti: quia eleuantur animæ à profundo lacu tormentorum ad gloriam empyrei. Poſſunt etiam deuoti animarum Purgatorij, tum hoc opere inſigni conuerſionis peccatorum, tum omnibus operibus meritorijs ſuffragari animabus prædictis applicando ſatisfationem illis correſpondentem pro defunctis, & ſic vnum facere, & aliud non omitere. Nec dubium quin ſibi hac ratione immenſum ſperare poſſint à Deo præmium, & Sanctarum illarum animarum efficax patrocinium in Cœlo: atque copioſam recompenſationem illatum ſatisfactionum, quibus ſe priuant, vt fuſè probant auctores tractantes de purgatorio, deque ſuffragijs pro defunctis.

Agnus Dei, qui tollis peccata mundi Miſerere.

Quærunt ſemper hæretici nouatores occaſionem calumniandi Catholicos, quos hic redarguunt ſolecismi; non enim inquiunt, boni latini, vti poſſunt caſu recto nominatiui in inuocationibus, ſed vocatiuo, conſequenter Agne Dei dici deberet, non Agnus Dei. Cœterum meminiſſe eos opporteret Illuſtrium grammaticorum, ſeu latinorum vſus quorum auctoritate vterque caſus admitti poteſt in inuocatione, atque adeo in re noſtra, & Agnus, & Agne Dei rectè dicitur, ſic Lucanus *lib. 2.* dixit,

Degener ò populus &c.

Et Virgilius Æneid.8.

Corniger Heſperidum fluuius, regnator aquarum

Adſis ò tandem &c.

Videri poſſunt commentatores Virgilij in locum citatum, vbi teſtantur de vſu peritorum, qui in huiuſmodi loqutionibus vtrumque caſum vſurparunt, & in ſuper notant ſubintelligi poſſe vocatiuum; tu, videlicet, tu, qui es fluuius regnator &c.& ſic in re noſtra,tu,qui es Agnus Dei, miſerere nobis. Arguant igitur hæretici ſe ipſos imperitiæ, non catholicos ſolœciſmi.

Oremus pro Pontifice noſtro N.

Dominus conſeruet eum, & beatum faciat &c.

Hanc deprecationem abſtulerunt Lutherani à litanijs, omnemque aliam reſecant, in qua Deo ſupplicatur pro ſummo Pontifice ſupremo Chriſti Vicario in terris, quem ſummo proſequuntur, & perſequuntur odio, inſanientes in medicum, qui inuigilat curationi eorum.

Nec mirum: ſunt enim ſuæ mortiferæ libertatis amatores, & tanquam oues errantes; quia fugiunt Chriſti ouile, terrentur voce paſtoris.

Facilè autem poſſunt conuinci ſuæ impietatis hæretici, quia hæc pia Eccleſiæ Catholicæ deprecatio pro ſummo Protifice originem ducit ab exordio naſcentis Eccleſiæ: ſi quidem pro D. Petro ab Herode in carcerem recluſo, oratio fiebat ſine intermiſſione ab Eccleſia, vt habetur *Actor.*12. & Apoſt.*ad Hebr.* 13.*mementote* inquit *præpoſitorum veſtrorum*, &c. conſtat etiam de conſuetudine orãdi pro ſummo Pontifice ex concilijs, & SS.PP.ſicuti erudite demonſtrat Stephanus Durantus *de Ritibus Eccleſ.lib.*2.*cap.*33.*n.*14 ſed omiſſis hæreticis.

Videamus pro intelligentia huius deprecationis, qualem beatitudinem petat Eccleſia pro ſummo Pontifice in hac terra. Si quidem in hac vita, & in terra, vbi innumeris miſerijs opprimimur, non poteſt eſſe beatitudo, quæ omne malum excludit, & pugnat cum miſeria.

Reſpondeo. Beatitudinem diuidi in imperfectam, & perfectam: Hæc perfecta dari non poteſt in hac vita, vt notum eſt, conſiſtit enim in Clara Dei viſione. Altera imperfecta, de qua loquitur Pſalmiſta dicens; *Beati immaculati in via, qui ambulant in lege Domini*; poteſt vtique in terra haberi: ſumus enim in via, qua ad patriam pergimus tanquam ad vltimum terminum, & finem perfectæ, & propriæ dictæ beatitudinis: vnde maior propinquitas ad hunc terminum,& maior communio cum Deo, qualis hic haberi poteſt per Sanctitatem, & charitatem, dici poteſt beatitudo inchoata propter ſpem, & ad proximationem ad beatitudinem perfectam: ſicuti egregiè docet D. Thomas 1.2.*q.*5.*ar.*3. *& ſupra q.*2. *per totam* benè probat beatitudinem huius vitæ non conſiſtere, neque in diuitijs,neque in honoribus,aut voluptatibus: nec in ſimilibus, ſed in Sanctitate, & veris virtutibus, quæ perficiunt animam, & ad Deum ducunt.

Quando ergo præcatur Eccleſia; vt à Deo concedatur Summo Pontifici beatitudo in terra, veram Sanctitatem illi præcatur, vt ſicut ratione dignitatis dicitur Sanctiſſimus ita, & operibus: ſicuti patet ex collecta ſequenti, videlicet, *dirige eum in viam ſalutis æternæ: vt te donante, tibi placita cupiat, & tota virtute perficiat.* Secundatio vero orat etiam pro eius vitæ temporalis conſeruatione, pro incolumitate,&c.quatenus expediunt in ſalutem animæ.

Tandem aduertendum totam hanc depræcationem deſumptam eſſe ex pſalmo 40.vbi propheta fauſta ominatur viris iuſtis piè operantibus, & præſertim deditis operibus miſericordiæ,& ab Eccleſia accomodati ſummo Pontifici ſupremo patri egenorum, & pauperum, & vniuerſali animarum paſtori, qui in primis fulgere debet operibus miſericordiæ: ſicut etiam Epiſcopi, qui poſt Papam ſuorum ſubditorum paſtores ſunt, & miſericordiæ viſcera erga pauperes oſtendere debent., vt conſtat ex Trid.*ſeſſ.*23.*cap.* 1 *de reform.* & alibi ſæpè Atque hæc dicta ſufficiant de precibus litaniarum,quarum explanatio à deuotè eas recitantibus deſiderari poterat omiſſis alijs, in quibus non occurrit, peculiaris ratio dubitandi.

SECTIO II.

De Interceſſione Sanctorum.

PVNCTVM I.

An Sancti in Cœlis pro nobis orent, Et quam efficaces ſint eorum interceſſiones.

Ratio dubitandi eſt: quia vel Sancti præ noſcunt euentum ſuarum orationum: vel minime. Si prænoſcunt, & vident ſe non eſſe exaudiendos; quia non vult Deus concedere id, quod pro nobis petunt; in hoc caſu non orarent, ſeu non peterent id, quod nón placet Deo concedere: ſi quidem habent voluntatem omnino conformem voluntati Diuinæ. Item ſi prænoſcunt effectum illum eſſe futurum, tunc etiam non orarent; quia fruſtra peterent, quod ex decreto Dei infallibiliter euenturum eſt, eſſetque petitio ſuperflua.

Si vero dicatur ſecundum, videlicet Sanctos ignorare ſuarum orationum euentum; incidunus in aliud inconueniens, ſic enim non eſſent perfectè beati: ſi quidem ea incertitudo, vel ignorantia,quædam eſt imperfectio repugnans beatitudini, quæ omnem imperfectionem excludit.

Reſpondeo, & dico primo certum eſt de fide, Sanctis, & Beatis competere hoc munus intercedendi pro nobis ad Deum.

Probatur primo ex ſacris ſcripturis, ex quibus habetur

habetur etiam ante Chriſti aduentum, quando animæ Sanctæ non erant in gloria, ſed in ſinu Habrahæ, orabant pro viuentibus, & refertur 2. *Machab.* vltimo de Ieremia, & Onia. & Ierem. 15. de Samuele, & Moyſe, & de alijs Daniel. 13. &c. ergo à fortiori id verum eſt in præſenti de Sanctis, qui ſunt in gloria.

Probatur. Secundo ex vſu Eccleſiæ recurrentis paſſim ad ſuffragia, & interceſſiones Sanctorum; fruſtra enim id fieret, ſi Sanctis deeſſet hæc facultas orandi pro nobis.

Tandem hæc veritas definita eſt, cum in alijs concilijs, tum nouiſſimè in Trid. *ſeſſ.* 25. & conſtat experientia innumerabilium gratiarum, quæ paſſim à Deo conceduntur recurrentibus adipſum inuocatione Sanctorum.

Ad rationem dubitandi. Reſpondetur ſiue Sancti præſnoſcant euentum ſuarum interceſſionum, ſiue minime (de qua re nihil certi à nobis affirmari poteſt) nulla ratione eos retardari, ab hoc charitatis officio orandi pro nobis, præſertim quando à fidelibus inuocantur; Poſito enim quod præuideant fore, vt à Deo non concedatur id, quod poſtulatur.

Nihilominus fundunt apud Deum ſuas orationes pro nobis ex ſimplici affectu, & beneuolentia, quam erga nos profitentur, vt latè probat D. Auguſt. *lib.* 21. *de Ciuit. Dei cap.* 18. quod confirmari poteſt exemplo Chriſti, quando orauit in horto, *tranſeat à me calix iſte*: & tamen optimè nouerat Patrem decreuiſſe, vt calicem biberet; orauit tamen ad oſtendendum inſtinctum naturæ humanæ, quam aſſumpſerat, quæ oſtenſio cedebat in cultum Dei, poſita ſimul omnimoda conformitate cum voluntate diuina; non *mea voluntas, ſed tua fiat*. Ita pariter dicimus de Sanctis in caſu noſtro.

Quod ſi Sancti norunt ſuas interceſſiones futuras eſſe efficaces, & concedendum eſſe à Deo id, quod petunt in gratiam noſtri; tunc libentius orant: quia ſimul etiam cognoſcunt Deum diſpoſuiſſe talem gratiam concedere mediantibus eorum interceſſionibus: adeoque adhibent medium à Deo præordinatum in eum effectum.

Tandem poſito, quod Sancti quandoque ignorent, quem effectum ſint habituræ ipſorum interceſſiones; inde tamen non ſequitur non eſſe perfectè beatos: quia ad ſtatum beatitudinis non requiritur, vt Beati videant omnes diſpoſitiones diuinæ prouidentiæ, vt fuſius probant Theologi in *trac. de Beatitudine*, & in caſu noſtro videri poteſt Caetanus 2. 2. *q.* 83. *ar.* 4. & 3. *p. q.* 10. *ar.* 2.

Dico Secundo orationes Sanctorum pro nobis uſæ plurimum valent ad obtinendum à Deo, quod ſpetitur.

Probatur, quia ſi iuſtorum orationes hic in via ſunt efficaces ad impetrandam, & multum valent apud Deum: ergò multo maiorem efficaciam habent orationes Sanctorum in cœlo exiſtentium: tum quia ſunt magis Deo coniuncti, & ipſi Deo gratiſſimi: tum quia eorum præces ſunt puriores & perfectiores; tum quia ſinceriori charitate erga nos ardent, & ſunt ad miſerandum promptiores: quò enim ſunt de ſua ſalute magis ſecuri, eò de noſtra ſunt magis ſolliciti, vt dixit Cyprianus *lib. de mortal.* & latius Auguſt. *de Ciuit. Dei loco ſupra citato*.

Dico tertio valde piè, & vtiliter à nobis orantur, & inuocantur Santi, & Beati, vt apud Deum nos adiuuent.

Probatur quia ſæpe orationes noſtræ ad Deum ſunt imperfectæ, & defectibus contaminatæ, quibus ſupplent puriſſimæ Sanctorum præces: vnde quod fragilitas noſtra non obtinet, eorum nobis interceſſione donatur.

Inſuper Recurſus ad Sanctos eſt quædam communicatio cum illis: vnde mouentur Sancti ad compatiendum nobis, & opem nobis ferendam, & nos excitamur ad eorum amorem, & imitationem, vt fusè probant ſcriptores catholici contra hæreticos nouatores, qui hanc veritatem negant, & videri poſſunt Sotus in 4. *diſt.* 45. *q.* 3. Echius in *Enchir. cap.* 15. Caniſius *in Cathechiſ.* aliique plures.

Colligitur optimum eſſe conſilium, vt quilibet fidelis eligat ſibi in ſpeciales patronos, & aduocatos, in primis Beatiſſimam Virginem Dei Matrem, vt potè apud Deum omnium Sanctorum potentiſſimam, & vniuerſalem diſpenſatricem gratiarum. Deinde vnum, vel plures ex alijs Sanctis pro deuotione cuiuſque; Si enim ad vitandam mortem corporalem ab humano iudice comminatam, vel iacturam bonorum temporalium; Solliciti eligimus aduocatos, & defenſores; quantò maiori cura, patronos, & defenſores eligere debemus apud ſupremum iudicem ad vitandam æternam mortem, & iacturam bonorum ſpiritualium, & quidem viri Sanctiſſimi, qui minus indigebant, hoc Sanctorum præſidio ſe munire non neglexerunt, quanto magis id curare debent qui peccatorum pondere pertrahi poſſunt ad infernum: de qua re legi poſſunt Nazianzenus *orat.* 14. Hieron. *epiſt. ad Paulam de obitu Blaſillæ* Auguſt. contra Donatiſtam, aliique Patres.

PVNCTVM II.

Qualiter Sancti in Coelo exiſtentes Cognoſcant orationes noſtras, quibus eos inuocamus.

HÆretici negantes interceſſiones Sanctorum, hoc friuolo vtuntur argumento: quia cum Sancti à Viatoribus ſint longiſſimè diſsiti, quantum diſtat cœlum Empyreum a terra; videtur illis impoſſibile, quod nos audiant: quo argumento ſatis indicant hæretici ſe eſſe homines animales, ſpiritu Dei carentes, vt de illis pronunciauit Apoſt. 1. *cor.* 2. qui omnia iudicant ſecundum ſenſum, & captum ſenſibilem, non ſecundum ſpiritum Dei.

E contra nullus catholicorum de hoc nunquam dubitauit: Deus enim, qui prophetis indidit lumen, quo ne dum res longiſſimè diſtantes agnoſcerent, ſed etiam futura preuiderent; denegabit

forte

forte Sanctis in cœlo exiſtentibus, lumen, & modum cognoſcendi præces mortalium ad eos fuſas?

Reſpondemus ergo, à Sanctis, & Beatis dupliciter cognoſci orationes noſtras. Primo Naturaliter, relatione videlicet Angelorum, qui hic in terris nobiſcum degunt, vel deputati ad noſtram cuſtodiam, vel ad regimen, & tutelam Eccleſiarum, regnorum &c. qui etiam ſæpiſſime, & in ictu oculi hinc aſcendunt ad Cœlum, & ad nos iterum redeunt. Hi ergo Spiritus cœleſtes nunciant Sanctis præces noſtras ad ipſos, & nobis inſpirant deuotionem in Sanctos: vt colligitur ex Auguſt. *lib. de cura pro mortuis cap.* 15.

Secundo, & melius cognoſcuntur ſupernaturaliter à Sanctis noſtræ orationes, & inuocationes: vel quia Deus extraordinario quodam lumine eas reuelat ipſis Sanctis; vel potius ijdem Sancti vident eas in verbo, ideſt eadem viſione, qua Deum intuentur: eo quia in Deo, tanquam in ſpeculo omnia elucent, & manifeſta ſunt Beatis, præſertim ea, quæ pertinent ad ſtatum ſingulorum Sanctorum: vnde eſt illud celebre dictum D. Gregorij relatum à D. Thoma 1. *p. q.* 12. *ar.* 8. *Quid non vident, qui videntem omnia vident?* Cum enim viſione Beatifica complete Deus impleat omne deſiderium Beatorum, & appetitum ſatiet, quod non niſi rationabile eſſe poteſt; & rationabiliter appetant ipſi Beati cognoſcere orationes ad ſe fuſas: id enim pertinet ad eorum ſtatum, item ad mutuam communicationem inter comprehenſores, & viatores ex apoſt. *ad Gal.* 4. manifeſtè ſequitur ex vi ſtatus Beatifici illis competere cognitionem noſtrarum orationem, & nunquam à Deo illis denegari: de qua re fusè agitur à Theologis in *trac. de Beatitudine*.

Nec ſequitur ex ſecundo capite: quia licet ſit nobis neceſſarius mediator, per quem habeamus acceſſum ad Deum, vt probant Theologi in *trac. de incarnatione*. Nihilominus, cum ſolus Chriſtus ſit mediator noſter abſolutè neceſſarius, in cuius meritis fundatur vis omnis noſtrarum orationum; conſequenter ſola Chriſti inuocatio, & obſecratio per eius merita eſt neceſſaria, quando vrget præceptum orandi: & etiam quoties Deum oramus per Ieſum Chriſtum Deum obſecramus: vt conſtat ex orationibus, & collectis Eccleſiæ, quarum concluſio ſemper fit per Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum.

Quare cum oramus, & inuocamus Sanctos, non recurrimus ad illos, tanquam ad redemptores noſtros, vel abſolutè mediatores: ſed ſolum tanquam ad interpellatores, & aduocatos ſupra numerarios, & ex conſilio.

Diximus in reſponſione, vniuerſaliter, & per ſe loquendo non obligari fideles orare, vel inuocare Sanctos: quia ratione peculiaris ſtatus, quem quis profitetur: vel per accidens poteſt quis obligari ad hanc inuocationem V. g. Eccleſiaſtici obligati ad recitandum diuinum officium tenentur conſequenter orare, & inuocare Sanctos, quorum ſuffragia in ipſo diuino officio præſcribuntur: vel ſi totum officium ordinetur in venerationem Sanctorum: vel quando litaniæ Sanctorum cadunt ſub præcepto &c. Item ſi Regulares ex ſuis regulis obligentur ad commemorationes aliquas, & ad petenda ſuffragia Sanctorum ſui ordinis &c. vel tandem alij ex voto facto tenentur certas præces ad Sanctos fundere. Cæterum vniuerſaliter loquendo non eſt latum præceptum inuocandi Sanctos.

PVNCTVM III.

An inuocatio Sanctorum ſit de præcepto.

Reſpondeo negatiuè vniuerſaliter, & per ſe loquendo: quare Sanctorum inuocatio pertinet ad conſilium.

Probatur primo, quia nullibi id præcipitur: neque extat lex obligans vniuerſaliter fideles ad inuocationem Sanctorum.

Probatur Secundo, quia ex duplici capite poſſet naſci obligatio orandi, & inuocandi Sanctos, in auxilium. Primo ex eo, quia oratio eſt medium neceſſarium ad ſalutem, vt probat D. Thomas 2. 2. *q.* 83. *ar.* 3. Secundo, quia indigemus mediatore apud Deum; ſed ex neutro capite ſequitur obligatio inuocandi Sanctos; ergo &c. Probatur minor: Non enim ſequitur ex primo capite: quia præcepto orationis ad ſalutem neceſſario ſatisfit orando immediate ad Deum, tanquam ad fontem omnium gratiarum, & ad quem per ſe pertinet gratias concedere independenter à quibuſcumque.

PVNCTVM IV.

An ſit melius orare Deum immediatè per nos ipſos, vel potius mediatè per Sanctos.

Reſpondeo, & dico primo per ſe loquendo, & cæteris paribus melior, & perfectior eſt oratio immediatè facta ad Deum, quam tantummodo mediate per Sanctos.

Probatur quia oratio immediatè fuſa ad Deum continet cultum latryæ: quæ autem immediatè funditur ad Sanctos continet cultum dulyæ quo ad terminum proximum, qui eſt longè inferioris ordinis; ergo &c.

Probatur Secundo: quia oratio immediata ad Deum nititur argumentis, ſeu motiuis ſublimioribus; recurrimus enim ad Deum, quatenus eſt infinitè bonus, & miſericors, quatenus eſt ſupremus largitor bonorum immenſæ liberalitatis, & pietatis: ergo &c.

Probatur Tertio, quia hic modus orandi immediatè ad Deum præſcriptus fuit nobis a Chriſto in oratione Dominica *Matth.* 6. *Pater noſter qui es in Cœlis &c.* conſtat autem eandem Dominicam orātio-

orationem eſſe omnium perfectiſſimam; ergo &c.

Dixi per ſe loquendo, vt cæteris paribus: quia cum ad perfectam orationem plures requirantur conditiones V.g. feruor deuotionis, firma in Deum fiducia, ſedula attentio, perſeuerantia &c. de quibus videri poteſt D.Thomas 2.2. *q.* 83. *ar.*15. fieri poteſt, vt quis non audens Deum adire, eius territus maieſtate; recurrat fiducialius ad aliquem Sanctum, vt pro ſe intercedat, & ſic feruentius, & attentius oret: ſicut olim Iſraelitæ dicebant ad Moyſen Exod.20. *loquere tu nobis, non loquatur nobis Deus, ne fortè moriamur*: in hoc, & ſimilibus caſibus fortè perfectior erit oratio, & magis efficax ſupplentibus Sanctis noſtros defectus.

Dico Secundo, oratio fuſa immediatè ad Sanctos: quamuis non ſit adeo perfecta, ac præcedens; eſt tamen valde pia, & commendabilis, multarumque virtutum præſefert inſignia.

Probatur, quia in hoc modo orandi elucet humilitas, qua minus dignos nos eſſe agnoſcentes, qui ore ad os Deum alloquamur; Sanctos Dei amicos interponimus, vt à noſtris miſerijs liberemur.

Secundo communicando cum Sanctis ipſa oratione confitemur, & profitemur fidei articulum communionis Sanctorum: præcamur enim Sanctos, vt legationem ad communem Dominum pro nobis obeant, & ſua nobiſcum dona communicent. Item agnoſcimus, & fatemur ſtatum gloriæ, quo Sancti fruuntur, & quem nos ſperamus, eorumdemque Sanctorum potentiam, ac familiaritatem cum Deo, ac charitatem, qua impenſe nos diligunt.

Tertio deteſtamur errorem hæreticorum negantium Sanctorum interceſſiones.

Tandem hic modus orandi cedit etiam in gloriam Dei; quo enim plures ante diuinam ipſius Maieſtatem ſe ſe proſternunt, & ſupplicabundi Deum orant, & adorant; eo plus honoris, & gloriæ ei defertur: Cum autem Sanctos oramus, & inuocamus, vt pro nobis ad Deum intercedant, hoc petimus ab eis, vt ſupplicabundi Deum pro nobis orent, & tanquam noſtri aduocati adorent, quod libentiſſimè fit à Beatis.

Dico Tertio ille modus orandi eſt omnium perfectiſſimus, quo, & Deum per nos ipſos immediatè oramus, & ſimul etiam mediatè per Sanctos, quos in auxilium inuocamus, vt apud Deum ſuppleant defectus noſtrarum orationum.

Probatur: quia ſic oratio complectitur perfectiones, & vtilitates explicatas in prima, & ſecunda aſſertione.

Confirmatur ex vſu Eccleſiæ, quæ frequentiſſimè in collectis, & Deum primo immediatè præcatur, & ſtatim adiungit interceſſiones Sanctorum V.g. *adeſto Domine ſupplicationibus noſtris: vt qui noſtræ iuſtitiæ fiduciam non habemus, eorum, qui tibi placuerat præcibus adiuuemur* Porrò, & facilè, & conuenientiſſimè: vterque modus orandi connecti poteſt; Eo quia conſociantur naturali ſequela, tum omnium virtutum actus, tum præcipue earum, quæ ad inuicem cognatæ ſunt, & affines; Modo oratio ad Deum continens ſupremum latryæ cultum, & oratio ad Sanctos Dei amicos continens cultum dulyæ cognatæ ſunt ad inuicem, & ſecundum nonnullos doctores ab eadem virtute Religionis promuntur: vel ſi à diuerſis virtutibus eliciantur, juxta communiorem ſententiam; eæ ſunt inter ſe affines, cum vterque actus ſit cultus religioſus, ergo &c. ſic enim in humanis porrecta ſupplicatione ad Regem, ſtatim rogamus Regis aulicos, & amicos, vt pro nobis apud Regem intercedant.

PVNCTVM V.

Vtrum animæ purgatorij rectè inuocentur, vt intercedant pro nobis ad Deum.

RESpondeo animæ iuſtæ, quæ ſunt in purgatorio, quam vis non ſint in ſtatu merendi, ſunt tamen in ſtatu orandi, & pro ſe ipſis, & pro nobis: quare piè, & rectè poſſunt à nobis inuocari, vt orent pro nobis. Hæc ſententia eſt modo communis inter Theologos, vt nos probauimus in *comment. ad Rubricas Miſſalis p.1. Tit.7. dub.6.* & ad ibi dicta remittimus lectorem, nec eadem repetamus, videri poteſt Layman *lib. 4. trac.1. cap.1. n.5.*

Quia tamen vt rectè notauit D.Thomas Animæ Purgatorij pœnis addictæ magis ſunt in ſtatu, vt oretur pro illis, quam vt ipſæ orent pro alijs; magis quoque nos debemus eſſe ſolliciti ad conferendum illis ſubſidium noſtris ſuffragijs Miſſarum, præcum &c. vt ſolutæ à pœnis, citius ad cœlum euolent: vbi pro ſuis benefactoribus, melius, & feruentius orabunt. Vnde deuoti animarum Purgatorij ſuffragiorum copia illis opem ferentibus, tot aduocatos ſibi acquirunt apud Deum in Cœlo, quot animas liberant à Purgatorio, vel earum exitum accelerant. Hinc D. Antoninus *p.3. tit.32. n.2.* §.4. ſic ait, *mortuus, cui ſuffragium præſtatur, tenetur orare pro faciente ſuffragium, aliàs eſſet ingratus*. Et S.Vincentius Ferrerius *ſerm. 2. Dom. II. poſt Trinit. Quando* inquit *anima exit è purgatorio, & in Paradiſum intrat, duo facit; primo gratias agit Deo; Secundo orat pro illis, qui miſerunt ſibi ſuffragia;* & alia plura in confirmationem huius veritatis legi poſſunt apud auctores tractantes de Purgatorio, & præſertim egregiè de hac re ſcripſit noſter Piſtacchius *tom.1. ſerm.28.*

PVNCTVM VI.

De ſpeciali prærogatiua quorundam Sanctorum, & vi impetrandi pro alijs peculiares gratias.

SOlent fideles ad auertendum aliquod peculiare malum, vel ad ſpecialem gratiam impetrandam certum aliquem Sanctum præ alijs inuocare, V.g. contra dolorem dentium maiori fiducia inuocant in auxilium S. Apolloniam, contra malum oculorum S. Luciam: contra Calculos S. Florentium: contra peſtem SS. Sebaſtianum, & Rochum, contra tempeſtates S. Nicolaum; contra fulmina, & mortem improuiſam S. Barbaram &c.

Quæritur an rectè, & piè hoc fiat. An verè à Deo ſint præpoſiti aliqui particulares Sancti tali bono procurando, & tali morbo auertendo? Damnant nouatores hæretici ſequaces Lutheri, & Caluini hunc vſum catholicorum: & tanquam inuentum ſimplicium vetularum irrident: omnes enim Sancti æqualem habent acceſſum ad Deum: nec eſt, cur hoc diſcrimen inter eos conſtituatur.

Reſpondeo. Hunc vſum fidelium eſſe rationabilem, & pium: quia rectè, & piè communiter credimus his potius Sanctis, quam alijs demandatam eſſe à Deo curam, & patrocinium viatorum, quo ad has potius functiones, quam alias.

Probatur primo tum experientia ex effectibus ſecutis, tum ex antiqua SS. PP. traditione: vt prætortim videri poteſt apud D. Auguſt. *Epiſt.* 137. *ad Clerum, & populum Hipponenſem*.

Probatur Secundo a pari ex proportione, quam omes agnoſcunt inter Hierarchiam Eccleſiaſticam, & Cœleſtem, ſi quidem in Eccleſia militante varius eſt, & conuenientiſſimus functionum ordo, & numerum diſtributio pro vt conſtat, ex Apoſt. *ad Rom.* 12. *Habentes* inquit *donationes ſecundum gratiam differentes, ſiue miniſterium in miniſtrando, ſiue qui docet in doctrina, qui miſeretur in hilaritate &c.* & 1. *cor.* 12. *quoſdam* ait, *poſuit Deus in Eccleſia, primum Apoſtolos, deinde virtutes, ex inde gratias curationum &c.* & ſubdit, *nunquid omnes virtutes, nunquid omnes gratiam habent curationum?* Pariter ergo dicendum eſt in Hierarchia Cœleſti non omnes Sanctos eſſe pares, neque eiſdem prærogatiuis decoratos, ſed ad varia munera, & diuerſas functiones eſſe a Deo deſtinatos: & ſic nobis diuerſimodè ſuccurrunt pro varijs indigentijs.

Probatur Secundo ex eodem Apoſt. 1. *cor.* 15. *ſicut ait Stella differt à ſtella in claritate, ſic, & reſurrectio mortuorum &c.* Sicut ergo Stellarum claritas non id tantum efficit, vt luceant ipſæ, ſed etiam vt terris calor, frigus, humor, ſalubritas, aliaque id genus effundantur pro diuerſis earum proprietatibus; ita pariter claritas, & potentia Sanctorum nedum prodeſt eiſdem Sanctis; ſed in nos etiam per ipſos gratiæ, & dona effunduntur pro varietate prærogatiuarum, & numerum, ad quæ ſunt ex Dei prouidentia deſtinati.

Confirmatur à pari ex varijs muneribus Angelorum, quibus Sancti in gloria ſunt pares Lucæ 20. vnde Ambroſius *lib.* 8. *in Lucam ſub finem*. *ſicut* inquit *Angeli præſunt, ita, & hi, qui vitam meruerunt Angelorum*: ſicut ergo à Deo delegantur Angelis varia munera, vt patet, *Matth.* 18. *Daniel* 7. *& pſal.* 81. & ex dictis ſupra *ſec.* 1. *punc. vltimo* de Michaele, Raphaele, & Gabriele; ita pariter Sanctis peculiares prærogatiuæ gratiarum datæ ſunt.

Tandem probatur ab oppoſito, quia contrariorum par, eſt ratio. Sicut ergo damnatis, vltra communes cruciatus ſpecialis pœna infligitur in inferno, correſpondens ſpecialibus ſingulorum delictis. *Sap.* 11. *per quæ quis peccat, per hæc, & torquetur*: vnde diues ille epulis aſſueto cruciatur in lingua; ita è contrario Beati vltra gloriam eſſentialem omnibus communem, ſpecialibus decorantur prærogatiuis iuxta ſpecialia obſequia ab illis Deo præſtita. Nil ergo mirum ſi S. Apollonia V.g. gaudeat ſpeciali prærogatiua contra dolores dentium, eo quia propter Chriſtum eidem Virgini omnes contuſi, & euulſi fuerunt dentes. & ſic de alijs.

Poſſunt quidem alij Sancti quandoque etiam prædictas ſpeciales gratias à Deo impetrare, ſed non ita frequenter, & facilè, quemadmodum illi, qui peculiari modo ad id muneris deſtinantur ab ipſo Deo.

Tandem aduertimus Beatiſſimam Virginem Dei Matrem eſſe omnium Sanctorum potentiſſimam ad impetrandas à Deo quaſcumque gratias; ſicut enim gratia, & gloria, & Dei beneuolentia ſupereminet omnibus Sanctis, ne dum ſingulis diſtributiuè, ſed etiam omnibus collectiuè ſumptis, ita etiam vi impetrandi; ac gaudet ſuper abbundanter prærogatiuis, & priuilegijs omnium Sanctorum, & Angelorum De qua re videri poteſt Suarez *tom.* 2. *in* 3. *p. diſp.* 18. *ſect.* 4. *§. dico ſecundo*.

PVNCTVM VII.

De Sanctis locorum Patronis De que ſpeciali eorum patrocinio Vrbiũ &c.

PEr vniuerſum ferè Chriſtianum orbem introducta eſt conſuetudo eligendi, & adoptandi Sanctos, vnum, vel plures in Patronos, & præſides Ciuitatum, Prouinciarum, Regnorum, vt ſuo patrocinio eiuſque præcibus ad Deum fuſis, a locis ſibi commiſſis noxia cunta repellant, & omnia bona, quæ magis expediunt, illis conſerre dignentur.

Meritò autem, & iure optimo id fit: etenim ſi ciuitates, & Prouinciæ Regi terreno ſubditæ, omni ſtudio ſatagunt ex aulicis, & amicis Regis aliquem ſibi deligere, qui in Regali curia eis patrocinetur; cur ſatagendum non erit, vt in Cœleſti curia apud Regem regum aliquis ſit ex Dei familiaribus, & amicis, qui cauſas noſtras defendit, & nobis ex ſpeciali commiſſione patrocinetur.

Apud Romanum etiam Pontificem ſupremum Chriſti Vicarium in terris omnes ferè chriſtianæ gentes, & nationes eligūt ſibi in ſpecialem protectorem aliquem ex cordinalibus ſummo Pontifici aſſiſtentibus: cur deligendus non erit ex Sanctis Chriſto aſſiſtentibus Pontifici Supremo, & æterno, protector aliquis, qui nos defendat? his poſitis.

Dico primo vſus eligendi Sanctos in Patronos, & tutores noſtros, valde pius eſt, & laude digniſſimus.

Probatur primo, quia ſic imitamur ipſum Deum, & ordinem admirabilem diuinæ prouidentiæ erga nos homines: ſi quidem Deus non ſolum Angelos cuſtodes in præſidium, & tutelam ſingulorum hominum deſignat, & deſtinat: ſed etiam cuique genti, & regno ſuum præficit Angelum ex Daniele *cap. 10. Princeps Regni Perſarum reſtitit mihi &c.* id eſt Angelus à Deo præfectus regno Perſiæ, vt exponunt communiter cum D. Thoma *p. 1. q. 113. ar. 7.*

Notat autem Cornelius à Lapide in prædictum locum Daniel Principatus deſtinari in præſides, & tutelares Regum, & Regnorum: inde enim dictus creditur prædictus Angelus Princeps Perſarum. Deinde Archangelos eſſe tutelares Prouinciarum, & tandem Angelos vltimæ Hierarchiæ eſſe cuſtodes, & tutores ſingulorum hominum.

Hinc fideles nedum ſinguli eligentes priuatim in ſuum Patronum, & tutorem aliquem Sanctum: ſed etiam communiter congregari adoptantes nouum Sanctum in Patronum, & Præſidem Ciuitatis, Prouinciæ, vel Regni, diuinæ prouidentiæ ordinem imitantur: Inſuper hæc deuotio adeo excreuit, vt etiam Cœnobitæ in præſidium ſuorum Cœnobiorum aliquem peculiarem Sanctum deligere ſoleant: & pariter milites in præſidium atcium; Nautæ in præſidium ſuarum nauium &c.

Probatur Secundo cum enim commune bonum melius, & præſtantius ſit bono priuato cuiuſque, & merito huic præferendum; ſequitur hanc deuotionem eligendi Sanctos in Patronos ciuitatum &c. meliorem, & Sanctiorem eſſe ea, qua priuatim quiſque eligit Sanctum aliquem in peculiarem ſuum protectorem, & tutorem.

Tandem probatur probitas, & pietas huius deuotionis auctoritate Sanctæ Matris Eccleſiæ, quæ valde ei fauet concedendo in honorem Sanctorum in Patronos electorum officium ſollemnius, quam vis Sanctus ſic electus non ſit deſcriptus in Kalendario communis Breuiarij: & quidem in honorem principalis Patroni conceditur officium duplex primæ Claſſis cum octaua, vt conſtat ex *Rubricis Breuiarij Tit. 7. de octauis*: de alijs vero ſit officium duplex maius.

Dico Secundo Electio prædicta Sanctorum in Patronos locorum, nedum eſt pia, & Sancta, ſed etiam Saluberrima, & ingentis vtilitatis.

Probatur primo auctoritate D. Leonis Papæ *ſerm. 1. in Natali Apoſt.* vbi ſic ait. *Sicut, & nos experti ſumus, & noſtri probauere maiores, credimus atque confidimus inter omnes labores huius Vitæ ad obtinendam miſericordiam Dei ſuper nos ſpecialium Patronorum orationibus adiuuandos &c.*

Probatur Secundo ipſamet experientia, de qua loquitur D. Leo, ſeu ex effectibus ſecutis Patrocinio Sanctorum in locis, in quibus facta fuit electio. Ex innumeris vero exemplis, quæ adduci poſſent, referam hic non nulla magis authentica.

EXEMPLVM I.

SS. Apoſtolorum Petri, & Pauli Almæ Vrbis Patronorum.

CVm Attila Rex Hunnorum cognomento flagellum Dei Romam ingenti furore raperetur, vt eandem Vrbem deuaſtaret; occurrit ei S. Leo ſupra citatus Romanus Pontifex, quo ſuadente dicto Tyranno, ne tantum ſcelus committere auderet; apparuerunt deſuper SS. Apoſt. Petrus, & Paulus diſtrictis gladijs minantes Attilæ mortem, niſi Leoni obtemperaret: quare territus Rex obediuit Pontifici, & receſſit. Interrogatus verò à ſuis cur præter conſuetudinem Romani Pontificis imperata faceret, cauſam expoſuit, & viſionem illis narrauit. Hoc exemplum indicat ipſe S. Leo ſupra citatus, cum dicit ſicut nos experti ſumus &c. & fuſius explicatum legi poteſt in annalibus Eccleſiaſticis.

EXEMPLVM II.

Don Iacobi Apoſtoli Hiſpaniarum Patroni.

HIc Sanctiſſimus Apoſtolus dictus à Chriſto filius tonitrui, talem ſe eſſe monſtrauit, id eſt validum Belli fulmen contra Saracenos in fauorem hiſpanorum, & regnorum Hiſpaniæ, quibus præſidet, tanquam verus, & Principalis Patronus.

Hunc glorioſum Apoſtolum equo albo inſidentem, atque album quoque vexillum præferentem, armiſque fulgentibus inſtructum ducem triumphalem habuit Ramirus Rex in primo bello contra Saracenos: quando idem Ramirus victis, & ad internicionem deletis Saracenis, Hiſpaniam liberauit ab infami tributo centum puellarum: ex quo tempore hiſpani milites in ſuis prælijs inuocato nomine Sancti Iacobi ſæpe Victoriam de inimicis reportarunt.

Magnus etiam Ferdinandus Rex Caſtellæ, ac legionis, eiuſdem Apoſtoli opem præſentiſſimam expertus eſt, quando Vrbem Conimbricenſem diu obſeſſam, tandem in dedicationem à mauris accepit: quæ, & plura ſimilia fuſius narrata legi poſſunt apud Villegam. & Ribadineram in vita eiuſdem Apoſtoli, in cuius laudem, ſic canit Maſculus in *Encomijs Cælitum Encom. 237.*

Tam eximiæ virtutis heroem
Iure ſibi depoſcebat Hiſpania
Nempe grauidam hanc fulminibus belli
Is ſibi propriam debuit facere
Qui dictus eſt tonitrui filius
Coruſcauit vbique prodigijs
In mauros tonuit ingenti fragore
Telis palantes oppreſſit igneis
Deiijt Caſtores ſuos Roma iactare
Cum hic hiſpanis equitauit in caſtris.

EXEMPLVM III.

Sancti Ianuarij Regni Neapolis Patroni.

DE patrocinio impenſo huius Sancti erga Ciuitatem Neapolitanam aſſerimus celebre teſtimonium ex breuiario Romano in officio eiuſdem Sancti ſub die 19. Settembris, vbi ſic legitur illud in primis memorandum, quod erumpentes olim è monte Veſuuio flammarum globos, nec vicinis modo, ſed etiam longiquis regionibus vaſtitatis metum afferentes, extinxit: quod pluries experti ſunt Neapolitani, reuerenter circum latis, & contra flammas obiectis ſacris reliquijs eiuſdem martyris, præſertim celebris eius miracoloſo Sanguine, qui in ampulla vitrea concretus aſſeruatur: ſed cum incoſpectu capitis eiuſdem martyris ponitur, admirandum in modum colliquefieri, & ebullire perinde, ac recens effuſus ad hæc vſque tempora iugi miraculo cernitur.

Graſſante etiam Neapoli ſeuiſſima peſte circa annum Domini 1656. præſentaneum fuit remedium patrocinium Sancti Ianuarij: etnim voto facto à Ciuitate Virgini Deiparæ ſine peccato originali conceptæ, & S. Ianuario Patrono, mirabiliter peſtilentialis morbus euanuit.

Hic autem non eſt Silentio prætermittendum poſt Virginem, & S. Ianuarium ad impetrandam hanc gratiam, ſuas quoque exhibuiſſe partes Beatum Caietanum Thienæum Clericorum Regularium fundatorem in ea calamitate communiter à populo inuocatum. Inoleuerat enim tunc mos apud Neapolitanos contra omnes aduerſitates auxilium Beati Caietani implorare ob experimentum innumerabilium gratiarum, quas tali ope impetrauerant. Quod autem ob peſtem depulſam inter ſuos liberatores Neapolis agnouerit, & recognouerit hunc noſtrum Beatum, teſtes ſunt manifeſti, tum complura vexillo à populo allata ad capellam eiuſdem Beati in gratiarum actionem: tum ſtatuæ erectæ ſuper ſingulas portas ciuitatis, iuſſu, & Decreto Illuſtriſſimorum Senatorum, ſeu Electorum Ciuitatis, vt modo extant, & patentia ſunt omnibus. Merito autem S. Ianuarius in hoc ſibi adſciuit ſocium Beatum Caietanum, quem, & in terris degentem, & nunc regnantem in Cœlis ſemper agnouit ardentiſſimum zelo animarum ſuæ dilectæ Ciuitatis Parthenopæ.

EXEMPLVM IV.

S. Nicolai Ciuitatis Barij, & Prouinciæ Barienſis Patroni.

SAncti Nicolai prætioſum corpus Barij in Apulia requieſcit, e cuius aridis oſſibus perenniter manet cœleſtis liquor, ſeu ros ſaluberrimus, qui manna communiter appellatur contra omnes infermitates anthidotum validiſſimum (vt notum eſt omnibus): eo enim ad medalam infirmorum, nedum Barienſes, & prouinciales vtuntur, ſed etiam exteri vbique terrarum. Inſignis hic Sanctus viuens effudit aurum in ſolamen pauperum, & pudicitiæ munimen; mortuus dat nectar in ſolamen ægrorum, & vitæ conſeruationem, de quo liquorè pulchre cecinit quidam eruditus.

Non vlla terris prodigioſior
Erupit vnda; nulla ſalubrior
Nonquos redonauit ſepulto
In atime latices Typheo
Si pulſet aſper calculus ilia
Si febris ardor noxius æſtuet
Morbique turmatim ruentes
Perniciem meditentur orbi
Aſperſa roris guttula nobilis
Mundo ſalutem protinus affert &c.

EXEMPLVM V.

S. Ioannis Baptiſtæ Patroni Vrbis Genuæ.

ASſeruantur Genuæ ſumma Veneratione ſacri cineres Sancti Ioannis Baptiſtæ: ſed in his cineribus virtus, & vigor latet vitæ, & ſalutis, præſertim Genuenſium. Inter innumera verò beneficia, quæ his conferuntur per ſuos cineres à Præcurſore Chriſti, illud eſt celebre, quod aduerſus maris fluctus, ac lybicorum ventorum conſpirationem cineres prædicti ſunt ſingulare præſidium: cum enim maximè vrget ma-

-tis, & fluctuum ſeua tempeſtas: è templi ſacra-rio exportantur ad litus, iiſque obiectis contra mare, nonnè mare iniectis (ne fiat cœleſtis theſauri iactura) ſedatur mirabiliter tempeſtas, quieſcunt venti, & fit tranquillitas magna: quod pluries factum eſt mira virtute eiuſdem Sancti, qui imperat ventis, & mari. Hinc in bello prætuel. typis excuſſo auctoritate Cardinalis Duratij Archiepiſcopi Genuenſis, ſic legitur. Pro gratiarum actione ob innumera beneficia à Deo O. M. Ciuitati Genuenſi S. Præcurſoris patrocinio collata, præcipue ob maris ſeuiſſimam tempeſtatem mirabiliter ſedatam anno 1640.

EXEMPLVM VI.

S. Aghatæ Patronæ Ciuitatis Catanæ.

Ciuitas Catanenſis in Sicilia pluris voragine ignivoma montis Æthnæ deuaſtata fuiſſet, & ſuis ſepulta cineribus, niſi meritis, & patrocinio S. Agathæ Virginis, & martyris inclitæ eius Patronæ ab incendijs erepta fuiſſet: aliquoties enim, e monte predicto iugiter ſpirante flammas ex aperta voragine, aliquoties inquam, defluunt veluti flumina liquefacti ignis ineuitabile exitium minantia ciuitati prædictæ, terri'que vicinis. Tunc catanenſes ad ſepulchum Virginis conſuginnt, & accepto Sacro eins velo, & hoc obiecto contra impetum ignis, mirabiliter ab incendio liberantur: Munire etiam ſolent fines suorum agrorum goſſipio arundinibus aſſixo, contactu reliquiarum eiuſdem Sanctæ Virginis, & martyris expiato, & Sacraro: nec vnqnam audent flammæ graſſari in agros ita cuſtoditos. Mirum certè videtur tenui velo, goſſipioque incedentia ſuperari: ſed inſignis hæc eſt prærogatiua congruens meritis Sanctæ Virginis: velum enim, quod ipſa adhibuit genis pudore accenſis, & turpes Quintiani concupiſcentiæ flammas vitauit, & vicit; nunc ætnheas flammas vincit, & extinguit. Diſcant Chriſtianæ Virgines velo pudoris ſuas genas contegere, vt liberentur ab incendijs turpis amotis.

EXEMPLVM VII.

S. Caſimiri Regni Poloniæ Patroni.

Fvit hic Sanctus, dum vixit inermis, & imbellis, poſt mortem verò, dum putabatur extinctus, armatus apparuit in bellis ad inſtar fulminis; iacens in tumulo viſus eſt pugnare in campo; retulit ſuis opima ſpolia barbarorum ſpoliatus ipſe temporali hac vita; ſed immortalis in Cœlo, à morte ſuos eripuit. Affero ex multis vnum exemplum, quod in eius officio legitur in Breuiario Romano ſub die 4. Martij, his verbis: Lithuanis exiguo numero ad potentiſſimi hoſtis inſperatam irruptionem trepidantibus, in aere apparens S. Caſimirus inſignem tribuit Victoriam, alia legi poſſunt in eius vita.

EXEMPLVM VIII.

S. Viti Martyris Patroni Ciuitatis Polonianæ.

Requieſcit Corpus Sancti Viti martyris Poliniani in Apulia vulgo Polignano, atque ex eius bracchio extillant guctulæ quaſi olei: eoque inuncti quoquot à canibus rabidis morſu leduntur, domitis veneni viribus, ſaluti reſtituuntur. Circumdatus fuit hic Martyr in ſua paſſione à Satellitibus tyrannorum tanquam à canibus rabidis, & tormentorum morſibus crudeliter dilaceratus: hinc à Deo eſt præditus virtute medendi morſibus canum rabidorum.

Hæc pauca ſatis ſit hic enarraſſe ex innumeris exemplis, quæ addnci poſſent: qui plura deſiderat videre poterit D. Auguſt. *lib. de cura pro mortuis*, Euſebium *lib. 6. hiſtor. cap.* 5. Niſſenum *in Vita S. Gregorij Thaumaturgi* D. Ambroſium *de SS. Geruaſio, & Protaſio*, & Annales Eccleſiaſticos profectò conijcier, quàm ſit Deus mirabilis in Sanctis ſuis, quos præſertim in Patronos deligimus.

Tandem aduertendum, quo ad electionem Sanctorum in Patronos, ad hoc vt electio ritè, & valdè fiat, opus eſſe, vt ſeruentur ſequentes conditiones ex decreto ſuper hoc ædito à S. Rit. Congreg. de mandato Sanctiſſimi ſub die 23. Maij 1630. apud Barboſam in *deciſ. ſed. Apoſt. verbo Patroni Sancti.*

Prima quod eligi non poſſunt in Patronos niſi ij, qui ab Eccleſia vniuerſali titulo Sanctorum coluntur: non autem Beatificati dumtaxat.

Secundo de Patrono Ciuitatis electio fieri debet per ſecreta ſuffragia à Populo mediante conſilio generali eiuſdem Ciuitatis, vel loci: non autem ab officialibus ſolum. Et inſuper accedere debet conſenſus Epiſcopi, & Cleri eiuſdem loci.

Idemque ſeruari debet in Patrono Regni, qui pariter eligi debet per ſecreta ſuffragia à Populo ſingularum Ciuitatum Prouinciæ. Repræſentantibus verò Regnum, Prouinciam, & Ciuitates nulla competit facultas eligendi Patronos, niſi ad hoc habeant ſpeciale mandatum, & vlterius interueniat conſenſus Epiſcopi, & Cleri dictarum Ciuitatum.

Tertio

Tertio Cauſæ electionis nouorum Patronorum debent in Sacra Congreg. deduci, & ab ea examiuari: ac demum cauſa cognita, ab eadem S. Congreg. approbari, & confirmari. Quia omnia meritò ſtatuta fuerunt, vt electio ſpontaneè, & liberè fiat, & rationabiliter: alias non eſſet acceptabilis: neque forſan acceptaretur à Sanctis, ſi coactè, & ex humano timore fieret; ſicut enim hilarem datorem diligit Deus, ita enim diligunt Sancti.

Atque hic eſto finis huius primi tractatus de processionibus, ac litanijs Sanctorum, ad laudem Dei O.M. Beatiſſimæ V. Deiparæ, & Beati Caetani; omniaque ſubmittimus correctioni S. Matris Eccleſiæ.

FINIS

INDEX
RERVM NOTABILIVM.

A

Abuſus aliquando committitur in Proceſſione, qualis, & quomodo ſit euitandus. Sect. 1.p.12.p.19.

Animæ Purgatorij an rectè inuocentur, vt intercedant pro nobis Deum. Sect. 2. in appendice Litaniarum p. 5.p. 103.

Animæ an ducantur in Purgatorium per Angelos bonos, ſiue malos. Sect. 2. p. 2. p. 50.

Aſperſio aquæ benedictæ in die Paſchæ quid ſignificet. Sect. 2. p. 7. p. 33.

Aureola Sanctorum, cur triplex, vide Laureola Sanctorum.

Auxilium Diuinum in celebrandis Proceſſionibus, an ſit neceſſarium Sect. 3. p. 3. p. 63. Quæritur in 4. circumſtantia.

Auxilium Diuinum quomodo conſequamur ib.

B

Baptiſmus duplex alter Ioannis, alter nouæ Legis, & qualis ſit. Sect. 1. in appen. Lit. p. 6. p. 97.

Baptiſmus cur nominetur regeneratio Spiritualis. Sect. 2. p. 6. p. 29. effectus primus.

Baptiſmus cur dicat Ius ad Gloriam. Sect. 2. p. 6. p. 30. effectus ſecundus.

Baptiſmus cur dicat libertatem ibid. eff. 3.

Baptiſmus quomodo nos mundat à lepra peccati, & cur id faciat ibid. p. 31. eff. 4.

Baptiſmus quomodo decorat, atque ornat animam ibid. eff. 5.

Per Baptiſmum quomodo vniamur Chriſto ibid. eff. 6.

Per Baptiſmum ſignantur Chriſtiani in anima, quale ſit hoc ſignum, & quomodo per hoc ſecernentur ab infidelibus. ibid. p. 32. eff. 7.

Beatitudo duplex. Sect. 1. in app. Lit. p. 6. p. 100.

C

Character Babtiſmale quale ſit vide Baptiſmus.

Choreæ dum celebrantur proceſsiones, an permittendæ ſint, vide ſaltationes.

Circumſtantiæ quantæ, & quales ſint videlicet de modo, loco, tempore, &c. celebrandi Proceſſiones. Sect. 3. p. 3. p. 60.

Comeſſationes, cur ſint abuſus in Proceſſionibus, Sect. 1. p. 12. Abuſus 6. p. 22.

Communio Paſcalis qua de cauſa in tali tempore celebretur. Sect. 2. p. 7. p. 33.

Contētio euitada eſt in Proceſsione. Sect 1. p. 12. Abuſus 5. p. 21.

Crux quid ſignificat in Proceſſione, Sect. 1. *p.* 9. *p.* 14. *Myſterium* 2.

Cur deferatur Crux in Proceſsione, Sect. 1. *p.* 6. *p.* 7. *conſideratio* 2.

Cultus debitus Deo, an differat cultui Deiparæ, & Sanctis, & quales ſint cultus. Sect. 3. *p.* 3. *p.* 65. *in quæritur primo, in quinta Circumſtantia.*

Cur Circumſtantia in Proceſsione, vide Circumſtantiæ.

D.

DEcciſiones Apoſtolicæ, ac ſacræ Rit. Congr. circa præcedentiam inter Regulares in Proceſsione. Sect. 3. *p.* 4. *p.* 6.

Deciſio Rotæ Romanæ R. P. D. Decano circa ſoluendam quartam, Sect. 3. *p.* 5. *p.* 80.

Deus quoad nomen, quot modis ſummi poſsit, Sect. 1. *in app. Lit. p.* 6. *p.* 88. *vbi explicatur Pater de Cælis Deus.*

Deus cur permittat nos tentari à Diabolo. Sect. 1. *in app. Lit. p.* 6. *p.* 95.

Digniores cur ſequantur minus Dignos in Proceſsione. Sect. 1. *p.* 6. *p.* 9. *conſideratio quarta.*

Documenta, ſiue Myſteria abſcondita in Proceſsionibus, Sect. 1. *p.* 9. *p.* 13. 14. 15. & 16.

Domnum, vel Domnus, quid ſibi velit, & cur ita in recitatione Litaniarum dicatur, Sect. 1. *in app. Lit. p.* 6. *p.* 98.

E

ECcleſia cur orat liberationem à fulgore, & tempeſtate pro ſuis fidelibus, & quid ſignificant fulgura, Sect. 1. *in app. Lit. p.* 6. *p.* 96.

Eccleſiaſtici quid canere debeant in Proceſſione, vel quales preces, Sect. tertia p. 3. *p.* 62. *quæritur in* 2. *circumſtantia.*

Effectus Baptiſmi quales ſint, vide Battiſmus.

Epiſcopus an poſsit compellere Regulares ad Proceſsiones per cenſuras. Sect. 2. *p.* 1. *p.* 52. *quæritur* 3.

Epiſcopus an debeant curare, vt celebrentur Proceſsiones ordinariæ, Sect. tertia, p. 2. *p.* 56. *quæritur* 1.

Epiſcopus an debeat indicere Proceſsionem tempore Iubilæi ibid.

Excellentia Proceſsionum quanta ſit, Sect. 1. *p.* 11. *p.* 18.

Exẽpla diuerſorum Sanctorum, ſub quibus, vt Protectoribus proteguntur Ciuitates; vide Sancti.

Exemptio à Proceſsionibus in quibus perſonis, & en detur ex' Priuilegio, Sect. 3. *p* 2. *p.* 58. *quæritur* 4.

Exequiæ Deffunctorum, vide funus.

Explicatio complurium partium, ſeu verſiculorum Litaniarum. Sect. prima in app. Lit. p. 6. *p.* 87. *vſq: ad* 100.

F

FÆminis, an liceat intereſſe Proceſsionibus. Sect. 3. *p.* 3. *p.* 60. *quæritur in prima circumſtantia.*

Feſtum Corporis Chriſti, cur celebretur, vide Proceſsio Corporis Chriſti.

Feſtum Palmarum, ſiue Dominicæ Palmarum, vide Proceſsio in Dominica Palmarum.

Feſtum Paſcha, vide communio Paſcalis.

Feſtum Purificationis Deiparæ, cur celebretur cum Proceſsione, & quomodo eam celebrari debeat. Sect. 2. *p.* 1. *p.* 25.

Fructus pendentes à Roſarij recitatione quales ſint. Sect. 2. *p.* 12. *p.* 49.

Fulgura quid ſignificant, vide Eccleſia, cur orat pro fidelibus.

Funus

Funus in quo loco debeat celebrari etiam ſi adſint Regulares inuitati ad id. Sect. 3. p. 5. p. 77. quæritur 1.

An ſi ad funus accendant Canonici cum Capitulo Cathedrali, omnes inuitati debeant congregari in Chathedrali, ommiſſa Parochiali ibid. p. 78. quæritur 2.

An Parochi, vel alij Sæculares Sacerdotes poſſint in Eccleſijs Regularium facere officium circa Cadauer, ib. quærit. 3.

Funerales Proceſsiones, ad quem pertineant dirigere, ibid. p. 79. quæritur 4.

An Regulares teneantur ſoluere quartam funeralium, ſeu portionem Canonicam ibid. quæritur 5. & vide Deciſio Rotæ p. 91.

An ipſemet Sanctus ſit Maior Apoſtolis, vel illis æqualis. ibid.

An ipſemet fuit illuſtris gratia miraculorum, ibid.

G

IN gratiarum actione cur fiat Proceſsio. Sect 2. p. 13. p. 41.

H

HAbitus, ſiue veſtis, qua vti debeat in proceſsione, qualis, vide Abuſus.

I

IEntacula in Proceſsione, vide Commeſſatio.

Imodeſtia in Proceſsione, vide Abuſus.

Incarnatio, & Aduentus Christi quomodo differant inter ſe, Sect. 1. in app. Lit. p. 6. p. 97.

Instructio ſalutifera habeatur per Proceſsiones. Sect. 1. p. 10. p. 17.

Sancti Innocentes an fuerunt veri Martyres. Sect. 1. p. 6. p. 93.

S. Ioannes Baptiſta vtrum ſit computandus inter Sanctos noui, vel veteris teſtamenti. Sect. 1. in app. Lit. p. 6.

Interdictum quale ſit, & quando per illud prohibentur Proceſsiones. Sect. 3. p. 3. p. 72. quæritur 2. in vltima circumſtantia.

Iubilæum quid ſit, quomodo lucretur, & an omnibus neceſſarium intereſſe Proceſsioni. Sect. 2. p. 14 p. 42.

Inuocatio Sanctorum an ſit de præcepto. Sectio 2. p. 3. p. 102.

Inuocari Deum quot modis poſsimus. Sect. 3. p. 11. p. 83.

Ius ad Gloriam cur per Baptiſmum habeamus, vide Baptiſmus.

K

KIrie eleiſon cur Hæreticis redarguatur, vide explicatio complurium partium Litaniarum.

L

LAurea, ſiue Aureola Sanctorum cur triplex, Sect. 1. in app. Lit. p. 6. p. 94.

Libertas qualis in Baptiſmo, vide Baptiſmus.

Litaniæ quid ſint, & quotuplices. Sect. prima in append. Litan. p. 1. p. 82.

Litaniæ quando inuentæ ſint. Sect. 1. in app. Lit. p. 4. p. 86.

Litaniæ quales vtilitates nobis afferant. Sectio prima in app. Litaniarum. p. 5. p. 87.

Litaniæ Maiores in Die Sancti Marci, cur celebrentur Proceſsionaliter. Sect. 2. p. 9. p. 34.

Litaniæ minores in Rogationibus, vide Rogationes.
Litanijs an poſſit aliquid addi. Sect. 3. p. 3. p. 70.
Locus honoratior in Proceſſione, qualis ſit. Sect. 3 p. 4. p. 71.
Qualis locus ſit obtinendus à Clero Sæculari. Sect. 3. p. 4. p. 75. quæritur 1.
Qualis locus ſit obtinendus à Regularibus. ibid. quæritur 2.
Qualis locus ſit obtinendus à confraternitatibus Laicorum. Ibidem p. 76. quæritur 3.
Locus, in quo ponendum ſit corpus Chriſti, qualis eſſe debeat, vbi, & quomodo ire debeamus ad eum in feria 5. Cœnæ Domini. Sect. 2. p. 3. p. 26.

M

S. Marcellus monitu Cæleſti proceſſionem celebrauit. Sect. 1. p. 3. p. 3.
Maria, quid ſibi velit hoc nomen. Sect. 1. in app. Lit. p. 6. p. 89.
S. Maria Magdalena cur prima nominetur inter Sanctas. Sect. 1. in app. Lit. p. 6. p. 97.
Martyrium quid ſit. Sect. 1. in app. Lit. p. 6. p. 97.
Media adhibenda qualia ſint ad celebrandas Proceſſiones, Sanctè, & optimè. Sect. 1. p. 13. p. 23.
Modeſtia neceſſaria in Proceſſione, & qualis, Sect. 1. p. 6. p. 9. conſ. 5.
Modus procedendi ad celebrandam Miſſam ſolemnem qualis ſit, & cur talis. Sect. 2. p. 8. p. 33.
Myſteria in Proceſſionibus, vide Documenta.
Myſteria Roſarij cur in tali numero ſint diſtincta. Sect. 2. p. 12. p. 39. & vide Roſarium.

N

NVgæ in Proceſſionibus, vide Abuſus, 3. p. 20.

O

OBligatio ſeruandi ritus proceſſionum præſcriptos ab Eccleſia qualis ſit. Sectio 3. p. 3 p. 67. quæritur in Sexta circumſtantia.
Officium in occaſione exequiarum, an poſſit Sæculares facere in Eccleſia Regularium, circa corpus, vide funus.
Oratio Dominicalis qualis ſit, & quantum alijs eminentior. Sect. 2. p. 12. p. 38. in partibus componentibus Roſarium
Orare Deum, an ſit melius per nos ipſos immediatè, vel potius mediatè per Sanctos. Sect. 2. in app. Litaniarum p. 4. p. 102.
Ordo præſtans qualis ſit obſeruandus in Litanijs, Sect. prima in app. Lit. p. 3. p. 84.
An ordo ſeruatus in Litanijs, quo Sancti deſcribuntur, ſeruetur etiam in Cælo. ibid. p. 85.
Quali ordine Claſſes variæ Sanctorum in Litanijs ſint diſponendæ ibidem.
Ordo Præcedentiæ inter Regulares, qui Romæ obſeruatur in Proceſſionibus, Sect. 3. p. 4. p. 76.

P

PAter de Cælis Deus, quid ſibi velit, vide explicatio complurium.
Patriarchæ, vel Prophetæ alicuius, cur non ſpecificetur nomen in Litanijs. Sectio 1. in app. Litan p. 6. p. 92.
S. Paulus, cur præferatur alijs Apoſt. ibid.

Pec-

Peccatum, quid ſit, ibid. p. 94.

Peccatum deſtruitur per Baptiſmum. vide Baptiſmus.

Pænitentia quid ſit. ibid. p. 97.

Pænitentia qualis ſit neceſſaria ad ſaluandas animas ibid.

Præcedentia in Proceſsionibus, vide locus honoratior; & etiam Abuſus 5.

Preces fuſæ in Litanijs an ſint exquiſitè perfectæ. Sect. 1. in app. Litan. p. 2. p. 83.

Poteſtas indicendi proceſsiones ad quales perſonas pertineat. Sect. 3. p. 1. p. 51. quæritur. 1.

Vnde nomen Proceſsionis originem ducat, & quid ſignificet. Sect. 1. punct. 1. p. 1.

Proceſsio Eccleſiaſtica quomodo definiatur, ibidem. p. 2.

De Antiquitate Proceſsionum, & earum vſu in veteri Teſtamento. Sect. 1. p. 3. p. 3.

Exempla proceſsionum nobis exhibitam à Chriſto Domino, ibid.

Quales fuerint Auctoros Proceſsionum poſt promulgationem Euangelij. ibid.

Vſus earum, quomodo manauit ex Doctrina Apoſtolorum, ibid.

Qualis ſit earum Materia. Sect. 1. p. 4. p. 4.

Qualis ſit earum forma. Sect. 1. p. 5. p. 4.

Diuerſæ adnotationes circa Proceſsiones extrauagantes ibid p. 5.

Quales ritus ſeruandi ſint in Proceſsionibus ordinarijs, ibid. p. 6. p. 5.

Preces à Fidelibus in Proceſsionibus cur fundentur. Sect. 1 p 6. p. 7. conſid. 1.

Quale ſit principium proceſsionum, & cur tale, ibidem conſid. 2.

Quomodo fideles debeant procedere in Proceſsione, ibid. p. 8. conſid. 3.

Cur ſint inſtitutæ Proceſsiones. Sect. 1. p. 7. p. 11.

Quod Proceſsio ſit actus Religionis, & cultus Dei, ibidem.

Proceſsio eſt optimum medium ad obtinenda, quæ petimus à Deo ibid. p. 11.

Proceſsio in Dominica Palmarum quomodo ſit celebranda, & obquam cauſam. Sect. 2. p. 2. p. 24 & 25.

Proceſsio Lugubris in Paraſceue valdè myſterioſa, ob quam cauſam celebretur. Sect. 2. p. 4. p. 27.

Proceſsiones in Sabbato Sancto cur duplices, & quando prima ſit celebranda, & quando altera. Sect. 2. p. 5. p. 28. & 29.

Proceſsio in Die Paſchæ, vide communio Paſcalis.

Proceſsio in Feſto Corporis Chriſti, à quo principium habuerit principium, & cur talis proceſsio inſtituta ſit. Sect. 2. p. 11. p. 56

Proceſsio in Die Sancti Marci, cur dicatur Litaniarum maiorum, vide Litaniæ in Die Sancti Marci.

Proceſsio Sanctiſsimi Roſarij, cui conueniat celebrari, Sect. 2. p. 12. p. 37. & vide Roſarium cur ita nominetur.

Proceſsio in occurſum Pontificis, & noui Epiſcopi, an facienda ſit. Sect. 2. p. 16. p. 44. & 45.

Proceſsio in occurſum Regis, vel magni Principis an facienda ſit, ibidem.

Proceſsio tempore Peſtis, & mortalitatis, an facienda ſit. Sect. 2. p. 17. p 45.

Proceſsio tempore ſiccitatis, an facienda ſit. ibidem pag. 18. p. 47.

Proceſsio tempore Belli, an ſit facienda ibidem p. 19. p. 48.

Proceſsio funeralis, qualis, quomodo, & cur ſit facienda, ibidem p. 20. p. 49.

Proceſsio, an celebrari poſsit in Eccleſijs Sæcularium inconſulto Epiſcopo. Sectio 3. p. 1. p. 53. quæritur 4.

Proceſsio, an poſsit à Regularibus celebrari inconſulto Epiſ. Sec. 3. p. 1. p 54. quær. 5

Proceſsio

Proceſsio, an celebrari poſsit à Confraternitate Laicorum inconſulto Epiſcopo, ibid. p. 55. quæritur 6.

Proceſsio Fœminarum, an ſit permittenda, vide Fœminis an liceat.

Proceſsiones, an inſtitui poſsint ne dum in gloriam Dei; ſed etiam in honorem Sanctorum. Sect. 3. p. 3. p. 65. quæritur in quinta circunſtantia.

Proceſsiones ad impetranda bona temporalia, an rectè, & piè inſtituantur. ibidem p. 66. quæritur 2. in quinta circumſtantia.

In Proceſsione manè celebrata, an ſit cantanda Miſsa in Eccleſia, ad quam perducitur, ibidem p. 68. quæritur 2. in 6. circumſtantia.

Proceſsio quando tranſit ante Altare, vbi aſſeruatur Sanctiſsimum Sacramentum, vel quando in Miſsa fit eleuatio, an debeant omnes genuflectere, & qualiter ibidem p. 68. quæritur 3. in 6 circumſt.

An debeant duplicari verſus in Litaniarum maiorum Proceſsione. ibidem p. 70. quæritur quarto in ſexta circumſtantia.

Proceſsiones tempore noctis, an ſint celebrandæ. ibidem p. 71. quæritur primo in vltima circumſtantia.

Proceſsiones tempore interdicti, an poſsint fieri, vide interdictum.

Proceſsiones tempore peſtis, an poſsint licitè fieri, Sect. 3. p. 3. p. 73. quæritur 3. in vltima circumſtantia.

Q

QVale peccatum committat, non accedens ad proceſsionem indictam ab Epiſcopo. ſect. 3. p. 2. p. 56. & 57. quæritur 2.

Quales cauſæ ſint excuſantes ab obbligatione Proceſsionum, ibid. quæritur tertio.

Quales ſint, qui poſsint expelli à Proceſsione, Sect. 3. p. 1. p. 55. quæritur 7.

Qualis locus ſit obtinendus à Clero ſæculari. Sect. 3. p. 4. p. 75. quæritur primo.

Quando circumſtantia in Proceſsione; vide circumſtantia.

Quarta ex vi conſuetudinis quis ſit obligatus ſoluere. Sect. 3. p. 5. p. 81.

Quænam perſonæ compelli poſsint ad proceſsiones, & in quo caſu. ſ. 3 p. 1. p. 51. q. 2.

Quibus auxilijs, circumſtantia in Proceſsione, vide Circumſtantiæ.

Quid circumſt. in Proceſsione, vide circumſtantia.

Quid petamus per ly Chriſte audi nos, vide explicatio complurium partium litaniar.

Quis circumſtant. in Proceſsione, vide circumſtantiæ.

R

REgulares exempti à Proceſsionibus, an teneantur eas celebrare in proprijs Eccleſijs. ſec. 3. p. 2 p. 59. quærit. 5.

Regulares, an ante, vel poſt Clerum Sæcularem incedere debeant in Proceſſionib. vide qualis locus ſit obtinendus à Regular.

Regulares an teneantur ſoluere Parochis quartam funeralium, ſeu Canonicam portionem, vide funus, & etiam Deciſ. Rot.

Reliquiæ Sanctorum, quomodo ſint adorandæ, Sect. 2. p. 15. p. 43.

Reſponſio contra Hæreticos in deprecatione, & pro Pontifice N. &c. Sect. 1. in app. lit. p. 9. p. 100.

Rogationes cur celebrentur ante Aſcenſionem triduò, Sect. 2. p. 10. p. 35.

Rogationes vnde habuerint principium, ib.

Roſarium, cur ita nominetur, Sect. 2. p. 12. p. 35.

Roſarij quis fuerit auctor, ibid. p. 38.

Roſarium quomodo celebretur, & quales

quales ſint partes eius. ibidem.

S

AN Sanctorum inuocatio ſit de præcepto, vide inuocatio Sanctorum.

De Sanctis coniugatis in Litanijs cur nulla ſit mentio, Sect. 1. in app. litaniarum p. 5. p. 87.

De Sanctis Patronis locorum, & de ſpeciali patrocinio Vrbium, Sect. 2. in app. Litan p. 7. p. 104. vſq; ad 107.

An Sancti in Cælo exiſtentes cognoſcant noſtras orationes, quibus eos inuocamus, Sect. 2. p. 1. p. 101.

An Sancti pro nobis orent in Cælo, Sect. prima in app. Litaniarum, p. 1. p. 101.

De ſpeciali quorundam Sanctorum prærogatiua impetrandi pro alijs peculiares gratias, Sect. 1. p. 6. p. 104.

Salutatio Angelica pars componens Roſarium, quomodo ſit nobis tradita, & à quibus, Sect. 2. p. 12. p. 38.

Salutationes, dum fiunt Proceſsiones, an permittendæ ſint, Sect. 5. p. 5. p. 71. quæritur 6. in 6. circumſtantia.

Sæculares Clericus qualem locum obtinere debeant, vide qualis locus à Clero Sæculari ſit obtinendus.

Statio à quo habuit ortum, & quid ſit, Sect. 2. p. 14. p. 42. & 43.

T

TErmini à quo, & ad quem ſacrarum Proceſsionum quales ſint, ſect. 3. p. 3. p. 63. quæritur in 5. circumſtantia.

Thuriferarij, an debeant incenſare, vel ſuffumigare pauimentum, ſternendo viam, in proceſsione, quando defertur Sanctiſsimum Sacramentum, ſec. 5. p. 3. p. 70. quæritur 5. in 6. circumſt.

Tranſlatio reliquiarum Sanctorum quomodo ſit facienda. Sect. 2. p. 15. p. 43. & vide reliquiæ Sanctorum.

Trinitas in vnitate, vide vnitas in Trinitate.

Turbatio in Proceſſione vide Abuſus 1. p. 19.

V

VAgus aſpectus in Proceſ. vide Abuſus.

Vbi, circumſtantia in Proceſſione, vide circumſtantiæ.

Vnio cum Chriſto per Bapt. qualis ſit, vide Baptiſmus.

Vnitas in Trinitate, & Trinitas in vnitate probatur contra Hæreticos. Sect. 1. in app Litan. p. 6. p. 89.

Vſus bonus qualis ſit in Proceſsione adhibendus, vide media adhibenda, &c.

F I N I S.